



JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA.



JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA.



R. 2562

JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA,

DISTRIBUTA ET ORDINATA

IN ARGUMENTORUM CLASSES PRÆCIPUAS
A GREGORIO MAJANSIO, GENER. VALENT.
*CAROLO III. Hispan. Regi a Consiliis, et Honorario XII. Viro
Litibus judicandis in Urbe, et Domo Regia.*


ITEM

VITA VIVIS SCRIPTA AB EODEM MAJANSIO.
LIBERALITER EDITIONIS IMPENSAS SUFFICIENTE

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. D. FRANCISCO FABIAN ET FUERO,
ARCHIEPISCOPO VALENTINO,
*Equite Præfato Signato Magna Cruce Insignis Regalis
Ordinis CAROLI III.*

TOMUS III.



VALENTIÆ EDETANORUM.

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT, EXC.^{mi} ET ILL.^{mi} DOMINI
Archiepiscopi Thyppographi. Anno M.DCC.LXXXII.

E L E N C H U S

TRACTATUUM, QUI IN HOC TERTIO TOMO
CONTINENTUR.

PHILOSOPHICA.

| | |
|--|---|
| D E Initiis, Sectis, et Laudibus Philoso- phiæ. Pag. 3. | De Generatione. Cap. II. 308. |
| De Aristotelis Operibus Cen- sura. 25. | De Sensibus. Cap. III. 311. |
| In Pseudo-Dialecticos. 37. | De Visu. Cap. IV. 312. |
| De Disputatione liber unus. 68. | De Auditu. Cap. V. 315. |
| De Instrumento Probabilitatis liber unus. 82. | De Tactu. Cap. VI. 317. |
| De Explanacione cujusque essentiæ liber unus. 121. | De Gustu. Cap. VII. 319. |
| De Censura veri in enuntia- tione liber unus. 142. | Odoratus. Cap. VIII. 320. |
| De Enuntiatione. 148. | De Sensibus in genere. C.IX. 321. |
| De Censura veri et falsi. 155. | De Cognitione interiore. Cap. X. 326. |
| De Censura veri in argu- mentatione liber poste- rior. 163. | De Vita Rationabili. C.XI. 329. |
| De Syllogismo. 169. | Quid sit Anima. Cap. XII. 330. |
| De Prima Philosophia, sive de Intimo naturæ Opifi- cio liber I. 184. | De Anima, et Vita, Lib. II. 341. |
| De Intimo naturæ Opificio, sive de Prima Philoso- phia liber II. 216. | Simplex inreligentia. Cap. I. 343. |
| De Prima Philosophia, sive de Intimo naturæ Opifi- cio liber III. 273. | De Memoria, et recorda- tione. Cap. II. 345. |
| De Anima, et Vita, liber I. 300. | De Composita Inteligentia. Cap. III. 353. |
| De Auctrice facultate. Cap. I. 305. | Ratio. Cap. IV. ibid. |
| | Judicium. Cap. V. 362. |
| | De Ingenio. Cap. VI. 364. |
| | De Sermone. Cap. VII. 369. |
| | De Discendi ratione. C. VIII. 372. |
| | De Cognitionibus seu noti- tiis. Cap. IX. 378. |
| | De Contemplatione. Cap. X. 380. |
| | Voluntas. Cap. XI. 382. |
| | De Mente in universum. Cap. XII. 387. |
| | De Somno. Cap. XIII. 390. |
| | De |

| | | | |
|------------------------------|------|---------------------------------|-------|
| De Somnio. Cap. XIV. | 393. | Lætitia, et Gaudium. Cap. | |
| Habitus. Cap. XV. | 398. | VIII. | 463. |
| De Senectute. Cap. XVI. | 400. | Delectatio. Cap. IX. | 464. |
| De Vitæ longitudine. Cap. | | De Risu. Cap. X. | 469. |
| XVII. | 401. | De Offensione. Cap. XI. | 471. |
| De Morte. Cap. XVIII. | 403. | De Contemplatione. C. XII. | 475. |
| De Animæ humanæ im- | | De Ira, et Offensione. C. XIII. | ibid. |
| mortalitate. Cap. XIX. | 404. | De Odio. Cap. XIV. | 483. |
| De Anima, et Vita, Lib. III. | 421. | De Invidia. Cap. XV. | 486. |
| Enumeratio affectuum. C. I. | 426. | De Zelotypia. Cap. XVI. | 490. |
| De Amore. Cap. II. | 428. | De Indignatione. Cap. XVII. | 493. |
| Cupiditates. Cap. III. | 436. | De Ultione, et Crudelitate. | |
| De Utroque Amore mix- | | Cap. XVIII. | 495. |
| tim Cap. IV. | 438. | De Mœrore. Cap. XIX. | 498. |
| De Favore. Cap. V. | 453. | De Lacrimis. Cap. XX. | 500. |
| Veneratio, seu Reverentia. | | De Metu. Cap. XXI. | 502. |
| Cap. VI. | 454. | Spes. Cap. XXII. | 508. |
| De Misericordia, et Sym- | | De Pudore. Cap. XXIII. | ibid. |
| pathia. Cap. VII. | 458. | De Superbia. Cap. XXIV. | 514. |



JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

OPERA OMNIA.

PHILOSOPHICA.

HERMANNO COMITI NOVÆ AQUILÆ,
VIRO CLARISSIMO.

S. P. D.

CREDO neminem fore, qui me ferat, si Tuam istam tantam eruditionem, si probitatem incredibilem morum, quæ omnibus in illustri sunt, meis tentavero laudibus efferre, hoc est plane *ἡλιωτὸ φῶς δαειζέειν*. Ideo et huic epistolæ præcipua illa deerit pars, quæ esse solet in nuncupatoriis, de laudibus ejus, cui opus dedicatur: facies æqui et boni, ac æstimabis pluris virtutes Tuas per se omnibus esse probatas, quàm per alienum præconem: ipsæ enim se se singulares, et plane divinas suis actibus apud totum orbem prædicabunt atque ostendent, nec præcone indigebunt, ut olympio-
Tom. III. A ni-

Soli lumen dare.

Proverbiū

nices illi, et ceteri Græciæ hieronica. Illud ergo solum nunc dicitur, quum persæpe quæsierim occasionem, qua ostenderem Tibi animum erga te meum, ea in re, quæ foret Tibi gratissima, quam mihi jamdudum exploratum erat, librum aliquem futurum. Sunt enim unicæ quæ Tibi placent litteræ, oportunitatem mihi modo me nactum videri, composito a me de Philosophiæ Initiis, Sectis, et Laudibus, inter nugandum (ut soleo) opusculo. Quod ego, quo minus quamprimum ad Te mitterem, qualiscunque operæ esset, nihil cunctandum duxi; non ignarus, quicquid tandem fuerit, modo litteræ, Te consulturum optime. Probavit etiam institutum hoc, auxitque animum Paschasius Berselius, homo mihi per quàm amicus, Doctorum omnium, ut est ipse longe doctissimus, sed in primis Tui admirator, adoratorque. Dico ergo Tibi hac lege, ut scias libellum non ad te ire censorem Persium, sed amicum Lælium. Vale.

Paschasius
Berselius.

LOVANI, ANNO 1518.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE INITIIS, SECTIS, ET LAUDIBUS

PHILOSOPHIÆ.

INTER omnes qui altius mortali humilitate exertere sanctissima atque divina capita, constat unam philosophiam munus illud esse, quod a diis immortalibus maximum optimumque nobis donatum est, quæ sola homines reddere perfectos potest, et ad bene beateque vivendum (quæ summa est votorum omnium) perducere. Hæc vero sive donum, sive munus, sive (ut alii vocant) inventum deorum, quale omnino sit, difficillimum explicatu. Veritas, ut Democritus ajebat, altissimo in puteo demersa latet; quonam vero modo ad nos usque pervenerit, rerum Scriptores intricarunt, obscurumque reddiderunt, dum aut ad suam quisque gentem trahit tantorum gloriam initiorum, aut ad eam cui maxime favet. Nobis vero probatiores sequi auctores, et verisimilliora affirmare fuerit satis, quibus unusquisque contentus nimirum erit, qui tantam rerum usque adeo procul a nostra memoria positarum obscuritatem paullum considerarit. Fuere olim primis illis renascentis terrarum orbis temporibus; nam de mundi origine, usque ad eam inundationem, quæ ætate Noæ fuit, nihil attinet loqui, quarum perexiguam quandam historiam, atque eam implicitam plenamque mysteriis ex arcanis gentis Hebrææ monumentis erutam, in quibus illa inerant, quæ in columnis duabus sunt a filiis Seth conscripta, litteris ipse tradidit Moyses.

Veræ Sa-
pientiæ laus

Veritas in
puteo demer-
sa latet.

Historia ini-
tiorum orbis.

Fuere itaque per ea tempora magni quidam (ut credi par est) viri, qui beneficio Dei res istas inferiores contemnerent tamquam instabiles, fluxas, vanasque: ac superiora, utpote nobilissima, multoque aliis præstantiora demirati, totum ad ea converterent animum, ut corpus hoc hîc tamquam in domicilio deserentes suo, Ætherea ipsa, mente supervolarent, totique

A 2

men-

mente viverent; quod hominum genus varii variis nominibus appella verunt. Apud Hebræos enim Prophetæ nominati sunt, quasi futura videntes: apud Ægyptios vero Vates, Sacerdotesque, semina, regiæ seminarium dignitatis. Habuere suos Druydas Celtae silvicolas mortisque amicos, velut viæ cujusdam ad alteram immortalē melioremque vitam. Brachmanæ Æthiopiam incoluere. Indiam Gymnosophistæ, id est, nudi sapientes, quorum dogmatis Buddam fuisse principem ferunt. Hispanos, tametsi de nomine parum liquet, antiquissimos tamen habuisse sapientes magni sunt auctores qui tradant, et sapientiæ studio ante Græcos, ceterasque gentes, præter Hebræam, deditos fuisse. Persarum vero fuere Magi, quorum primus Zoroastres extitit, is qui fertur quo natus est die risisse. Magi, quasi sapientes dicti, quemadmodum etiam primi illi Græciæ Orpheus, Museus, Linus, Amphion, et ii qui a Thalete Milesio ad Pythagoram Samium rerum se se cognitioni dederunt. Illi vero Septem in primis, ad quos Apollinis responso delata est aurea mensa, ceu ad totius Græciæ sapientissimos, qui omnes de rerum naturis multa licet hallucinatione disserebant: prorogata sensim est eruditio.

Ausus est Gorgias Leontinus maximo Græcorum conventu rogatores omnes provocare, nullum reformidans, ut quærerēt quisque qua maxime de re audire vellet, responsurum se se ad omnia professus; idem ludis Olympiis Hippias fecit: deinceps vulgare ferme Græcorum fuit; quorum omnium studii bona pars de cælorum erat cognitione observata multis seculis, traditaque a primis illis Chaldæis et Ægyptiis, apud quos Vulcanum, qui primordia aperuerit philosophiæ, e Nilo prognatum affirmant, Linum item Eubæum a Mercurio et Urania ob astrorum peritiam, lyræque inventæ laudem, genitum perhibent: nam Mercurius lyræ monaulique fuisse auctor creditur, et Urania apud Pœnos ipsa luna est, apud Græcos vero Musa, cui de cælestibus cantare munus obvenit. Atlantem etiam Libicum sustinuisse humeris cælum produnt, et discipulum Herculem ei successisse, quod ille (ut Plinius scribit) astrologiæ sphæræque fuerit inventor, hic vero discipulus, et inventæ artis heres, quæ in Græciam

Prophetæ.
Vates.
Sacerdotes.
Druidæ.

Brachma.
Gymnosophistæ.
Budam.

Magi.
Zoroastres.

Septem sapientes.

Caldæi.
Ægyptii.

Mercurius lyræ inventor.

Urania luna

Atlas inventor astrologia.

ciam postmodum adducta, multa magnaque accepit incrementa; Endymion nanque variam illam atque instabilem Lunæ naturam scribitur primus deprehendisse, captusque ideo fertur ejus amore, qui repudiatus primum, post depastis ejus albis gregibus, si fabulis creditur, cum in Lamio Cariæ monte obdormivisset, a Luna suaviatus est, necdum tamen ex eo somno est experrectus. Thales Milesius Cynosuram illam parvam notavit, (*)

*Que cursu interiore brevi convertitur orbe,
Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto.*

Solis defectum Olympiadis octavæ et quadragesimæ anno quarto futurum prædixit, qui fuit a Roma condita annus centesimus et septuagesimus; ejusdem Solis cursus conversionesque perscrutatus est, cujus Lunæque contulit inter se se magnitudines.

Hujus vero discipulus Milesius Anaximander Lunam luce lucere aliena cognovit, obliquitatemque signiferi docuit, hoc est totius cæli aperuit fores, γνώμονα horologium *επιπέδιον* ad horas ex umbra distinguendas a se excogitatum aprica parentique Spartani fori parte, non sine magna omnium admiratione locavit. Hujus porro generis machinulam Marcus Varro auctor est, non ante primum Punicum bellum Romæ visam esse, translata ex Catina Siciliæ civitate a Valerio Messala Consul. parum ad horas congruentibus in Latio hemisphærio lineis: quamvis Fabius Vestalis Lucium Papyrium Cursorem horologium primum statuisse scribat ad ædem Quirini, quam a patre suo Dictatore votam Cons. ipse victis Samnitibus dedicavit, annis ante Messalam Cons. triginta. Sunt qui totam nauticam astrologiam eidem ipsi acceptam referant Thaleti. Pluribus Phæaci fuisse Samii placet, cujus civis Pythagoras Vesperi naturam prodidit, observavitque eundem esse *εὐερον* et *φώσφορον*. Signa in zodiaco Cleostratus ostendit, primumque Arietis, a quo cælestium rerum periti novum suum auspicantur annum. Quam æstimamus hanc fuisse oblectationem? Quales homines illos, quos rectius immortales dixerimus deos, qui supra tecta nostra, immo vero supra corporis sui elementa se se extu-

Endymion.

Cynosura.

Solis defectus.

Horologium.

Lacedæmone.

Horologium Romæ

Astrologia Nautica.

Hesperum Luciferum. Arietis primum signum.

(*) Manil. lib. 1. v. 297.

tulerant, et quod gigantes immani corporis robore assequi nequiverunt, hi viribus suorum ingeniorum nixi, cœlos ipsos penetrarunt? Quis credat ipsis totum hunc sublunarem non sortuisse orbem, præ divino illo domicilio, in quo non modo quid rerum in universo geratur mundo, sed quid etiam futurum sit, quibusque de causis prospexerunt, tradideruntque sociis suis mortalibus eruta ex sanctuariis ipsius naturæ, tamquam antistites illius, consiliorumque ejus participes? Macti este ingenio, cœli interpretes, totius naturæ rerum capaces; quorum ingens excelsaque mens cunctas Regum atque Imperatorum opes longe superat: vos enim sine illis beatissime vivitis, illi vero populi que omnes sine vestris inventis ne vivere quidem possent: (*)

*Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est, illas pariter vitis que jocus que
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus, et vinum sublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militieque labor,
Nec levis ambitio perfusa que gloria fuco,
Magnarum ve fames sollicitavit opum,
Admovere oculis distantia sidera nostris,
Ætheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur cœlum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summa que Peliacus sidera tangat apex.*

His oblectamentis, ut tantisper cœlum desisterent perambulare, ut tanto interquiescerent consensu, nec dulci tamen vacarent voluptate, successit Musices, id est sonorum concentusque peritia, quam quum ad cœlorum harmoniam invenisset quisquis fuit ille tam mirandæ inventor rei, sive Thubal, sive Dionysius, in rerum quoque altissimarum contemplationem concentus illius dulcedine permulcti miro cum desiderio efferebantur, et ipsas res excelsas, ceterasque non minus admirabiles, ex illis tamen profectas, lyræ, citharæ, fistulæ sonis

mo-

(*) Ovid. 1. fast. v. 297.

modulabantur; sic Orpheus, sic Linus, sic Vergilianus: (*)

—*Cithara crinitus Joppas
Persona aurata, decuit que maximus Atlas,
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores,
Unde hominum genus, et pecudes: unde imber et ignes,
Arcturum, pluviasque, Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel que tardis mora noctibus obstet.*

Atque ita musicis oblectabantur, ut hæc illorum animos e corpore fere aducerent. Pythagoram ferunt quoties cubitum iret, quoties cubitu surgeret, lyræ sonis animum demulcere ac componere solitum, ut altius saperet humanitatem, quem morem ex Pythagoreis Pythagorici per manus excipientes diutine tenuerunt. Hinc prima olim hæc sapientia credita est, qua, ut Horatius canit, molliti ac mansuefacti homines, cicuriores ex efferratissimis redditi, in sententiam musici bene momentis iere, ut relictis specubus casisque, quas seorsum singuli inhabitabant, coirent in conventus, jura communia civitatum, et in societate, ad quam sua sponte humanum ingenium fertur, viverent veri jam homines facti. Tanto ex beneficio Orpheum lapides movisse finxit antiquitas, et feras fecisse cicures.

Idem præstitisse ajunt et Amphiona Jovis et Anthiopa filium, cui citharæ inventionem nonnulli attribuunt, Pontico Heraclidi Platonis discipulo astipulanti, qui ex parente Jove artem illum didicisse perhibet, quanquam Eusebius Zetum ipsius fratrem ejus gloriæ participem facit: alii in Linum, plerique in Orpheum referunt: et ne semper fabulas, quamvis neutiquam indoctas consecrer, ad vires harmoniæ transibo. Timothæus Milesius modulis suis, quos volebat in Macedonem Alexandrum immittebat affectus, alias incitabat torpentem, alias incitatum atque adeo furentem revocabat. Fama est et Empedoclem Agrigentinum cantiuncula quadam furibundum adolescentem nudoque ferro hospitem impetentem suum compressisse atque sedasse:

(*) Æneid. lib. 1. v. 744.

Pythagoricorum mos.

Orpheus quomodo movit lapides.

Inventor cithara.

Timothæus Milesius.

Empedocles

Apollo. se. Verissimum quoque illud fuisse affirmant Apollinem certis quibusdam citharcedicis nomis a se inventis vitam multis mortalibus produxisse, abstulisseque feritatem; et quamvis inventio hujus tam suavis tamquam amœnæ artis angustiis primum finibus fuerit conclusa, diffudit se tamen brevi quàm latissime: nam ex testudine ad vocum humanarum cantus itum est, in quibus tot modulaminum, tot subinde carminum genera excogitata, tam varia et miræ tamen omnia suavitatis, cujus rei principes Linus et Anthes Anthedonius fuere, quorum ille lamentabile carmen scripsit, elegum quantum conjicio. Hic vero hymnos, quibus non ita multo post successere, Pierius, qui de Musis pleraque cecinit: Philamon et ab eo Thamira genitus, quem cum Musis certasse vetustas fabulata est, quique bellum Titanum versu lusit. Demodocus item Corycæus, qui ante Homerum Iliada et Martis Venerisque cantavit amores; verum in sonis, cum numeri egerent multitudine, in cœlis vero, et iisdem numeris et figurarum varietate, adjectæ sunt disciplinæ quæ de illis dissererent, ac traderent.

Elegum carmen.

Hymni.

Ilias Demodoci.

Arithmetica.

Geometria.

Mathesis.

Constantia mathematica Scientia.

Theut tradidit mathematicas artes.

Filii Seth primi scripsere.

Arithmetica a numeris dicta, et Geometria, quæ a terræ mensura, cui etiam percommoda est, nuncupatur; quæ porro quatuor inter se artes quum tam vicinæ tamquam attigæ sint, conflarunt unam studii atque oblectamenti rationem, quam dixerent Mathesin, quæ nobis a discendo disciplina nominata est, quod ea essent una priscorum studia, quodque certissima esset hæc sciendi via: nam philosophorum nationes et sectæ quum de rebus aliis *in διαμέρως* dissentiant, quum temere ac fortuito jacentur, hîc omnes in unam eunt sententiam, et non similia, sed eadem omnino tradunt præcepta; quin eam primam scientiam, et scholarum, id est humanorum exercitamenta otiorum, ferunt hominibus discenda Ægyptiis a Theut, ut Platonis Socrates in Phedro refert, simul cum litteris data; quem ego Theut verius Abraamum esse crediderim qui quum in Ægyptum ex Chaldæa transisset, litteras illos, quatuorque has matheses edocuit, quæ a filiis Seth, Adæ illius primi nepotibus, in columnis duabus, lapidea una, lateritia altera, litterarum consignatæ monumentis, per Noam et Semum ad Hebræam gentem primum

pervenere; ita litteras, disciplinas, mores, leges Abraam in Ægyptum secum invexit, quæ omnia pariter et circumcisonem ex Abraamicæ familiæ instituto Ægyptii accipere: at vero sapientes deinde viri ab eminentissimis illis rebus ad imas atque adeo despiciatissimam naturæ partem sensim delapsi sunt; ne quid in hoc esset universi hujus mundi horto, quod divinus eorum animus tamquam solers quædam apicula non lustrasset atque gustasset: unde diffinita philosophia est rerum, et humanarum et divinarum cognitio: ia hac itaque parte, quæ in ventis, quæque in mari fiunt, magno sunt ingenio percepta, imbres, nubes, nives, grandines, fulgura, trabes, globi, faeces, ardores, et reliqua serenarum spectacula noctium, vicissitudines lucis, tenebrarum, æstus, rigoris, nubili, sereni, effluxus, refluxusque maris, tempestatum, tranquillitatum.

Diffinitio philosophiæ.

Tum et ad terram descensum, in qua admirandum naturæ, seu Dei potius sapientissimi, intellexerunt adoraveruntque artificium, virium scilicet herbarum, lapidum, metallorum, quæ tam stupendæ sunt, ut vix vel audiri, aut sine horrore, aut sine summa admiratione, queant. Hanc sibi medicina partem vendicavit, quod medendis hominum corporibus, vires illæ a natura, benignissima atque indulgentissima matre, tributæ videntur, quæ mediisfidius res non tam admirabilis est, quàm toti nostro generi salutaris, observata atque deprehensa partim magistris brutis ferisque, partim audaci hominum experimento partim Deo monstrante viam; hinc ars atque inventio ejus in deos ipsos relata est: ab Ægyptiis enim Mercurio defertur, atque Api, suis diis; a Græcis Arabo, Apollonis et Babylonis filio, quem nonnulli Æsculapium fuisse existimant, eum, quem ob Hippolytum vitæ redditum, fulmine ictum interiisse tradunt.

Medicina.

Quomodo deprehensa.

Inventores Medicinæ.

Æsculapius fulmine ictus.

*Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumen surgere vitæ,
Ipse repertorem medicine talis et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas. (*)*

Quantum non desunt qui negent hunc Æsculapium Apollini
Tom. III. B ne

(*) Æneid. lib. 7. v. 770.

ne natum, illum quem fulmen interemit, sed alium quendam Valentis et Pheonidis filium Mercurii Thryphonii fratrem, cuius sepulcrum adhuc ætate Ciceronis visebatur Cynosuris, qui etiam Cicero tertium addidit Æsculapium Arsippo et Arsinoe progenitum, qui primus purgationem alvi, dentisque evulsionem invenit, cujus in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum et lucus ostenditur, sed hos tres Æsculapios, ut homines complures, et res alias permultas cum longa vetustas, tum Græca scribendi licentia confudit.

Æsculapii vero filii Podalirius et Machaon bello Trojano vitalibus auris mortuos restituisse feruntur, non alia de causa quam quòd difficillimis et periculosissimis vulneribus præsentanea remedia adhiberent, edocti ab Æsculapio parente, qui et ipse a Chirone Saturni ex Phillyra nato, centaurorum æquissimo, institutus erat, cujus inventum medicinam herbariam atque medicamentariam fuisse Plinio placere video. Non vacat fabularem historiam persequi, ac referre artem hanc ad Zoroastri illius tempora, qui Bractrianorum rex fuit, cujus opes Ninus fregit: nec Apis regis Ægyptiorum, de quo ipse modo memini, quem Phoronei, Argivorum regis, Pythonis filium faciunt, quamvis hunc ego, quem eundem Osirin Serapinque esse dicunt, Apollinem, qui et idem Sol est, esse crediderim; at vero etsi Pythagoras Samius, Agrigentinus Empedocles, Abderitesque Democritus medicinæ haudquaquam ignari fuerunt, de illa tamen nullus Hippocrate Cooprior scripsit; transeo quod hic Æsculapium Apollinis filium librum, cui Naviculæ nomen est, scripsisse affirmat; verum Hippocrates ipse mire hanc artem auxit, et ex vulneribus ad reliquis quoque morbis opem ferendam vocavit, orationeque illustravit et clara et copiosa, ut qui Georgiam Leontinum, et Prodicum Chium, maximos ætatis suæ rhetores, diligenter audivit; eum secuti sunt eadem arte nobiles Diocles Caristius, ætate et fama ipsi secundus, Praxagoras, Chrysippus, Herophilus, qui primus de arteriæ pulsu nonnulla observavit; Alcmeon Crotoniata, Eudoxus Gnidius Pythagorici: hi omnes maximo olim in precio habiti sunt, magnisque a principibus donati stipendiis, quos secutus Erasistratus,

Æsculapius
Naviculam
scripsit.

Medici no-
biles.

tus, Aristotelis ex filia nepos, is qui se ab experimentis ἐμπει-
ρον sive ἐμπερίρον cognominavit, a Ptolemæo ob Antigonum pa-
trem sanatum talentis centum donatus est, drachmis videlicet
centum quinquaginta millibus, id est aureis numis nostratibus
quindicies millibus: erant enim Syria talenta, et Stertinius, qui
fuit sub Neronibus, ignavia principum sestertiis quingenis an-
nuis contentum se esse profitebatur, quæ sunt numum nostro-
rum duodecies millia et quingenti; par et fratri ejus merces a
Claudio Cæsare Drusi filio infusa est.

At hæc ipsa quis miretur? Quippe quum duo sint, quæ
optanda parandaque præ ceteris universis rebus sapientissimi qui-
que duxerint: (*)

: : : : : *Mens sana in corpore sano,*

Male enim affecto corpore, male animo affecto, reliqua omnia,
opes, copiæ, potentia, nihil plane sunt; quæruntur ingenti ope-
ra corporis quamplurima oblectamenta, at illis frui non licet,
nisi corpore sano: quæruntur animi, at nec his nisi animo sa-
no: nam tum demum sentimus unumquodque illorum quan-
tum in se habeat voluptatis, cum sensus, cumque mens, iudex
illius, vivens, sincerus, ac purus dijudicat inter illud et adver-
sum; quòd si magno negotio, multa cura, per tot pericula, per
mortes etiam, divitiæ, opes, copiæ, voluptates, aliaque ejus ge-
neris tantum non innumera, ut delectemur, quæruntur, quis
inficietur requirendam prius, parandam, retinendamque majo-
re etiam labore, majore cura sanitatem esse, quam et omis-
sam restituit medica ars, et restitutam corroborat confirmatque:
verum quo est animus corpore suo excelsior diviniorque, neque
enim est in terris majus aliquid homine, nec in homine majus
est quicquam ipsa mente, eo sanitas illius, sanitate hujus, eo
etiam medicina animorum, medicina corporum longe melior
est; quòd si hujus inventores pro diis olim habiti cultique sunt,
quales inventores illius existimari, qualibus nos honoribus eos
persequi par est? Hi sunt illi qui rebus familiaribus, qui pu-
blicis, qui populis, gentibusque sanctissimas saluberrimasque

Legum lato-
rum laus.

B 2

tu-

(*) Juvenal. sat. 10. v. 356.

Legum latorum.

Per Ironiam

Forte Pan Hispanus. Vide Plinium lib. 3.

tulere leges, quarum beneficio unusquisque quietissima et suavissima in pace, gratissima in tranquillitate bene beateque perpetuo vivit: ex horum numero sunt sanctissimi illi viri Mercurius Ægyptius, Rhadamantus minosque Cretenses, atque eorum æqualis *Joannes Hispanus*; Draco et Solon Athenienses, Lycurgus Lacedæmonius, Zeleucus Locrensis, Turius Charondas, Gnidius Eudoxus, Numa Pompilius Romanorum Rex, et alii, quos dubites homines ne, deos ne appelles, ut de Lycurgo dixit Pythia illa, nam populos gentesque suas ita prudenter, ita sancte instituerunt, ut non ferendis solum profuerint legibus, sed exemplo vitæ omnibus ad imitationem exposito, multo suis legibus augustiore; neque enim soluti iis legibus esse voluerunt, quibus alios devincerant et obligarant, quin illi potius latiore ceteris tulerunt vivendi rationem et legem, quam ipsi præscripserant sibi, ut reliquos solutos, ipsos vero devinctos dixisses.

Theologia.

¶ Sed quo te piaculo, Theologia mater, præteribo, suprema atque purissima philosophiæ ne pars, dixerim, an ipsa potius tota philosophia, quæ non corpusculis et caducis rebus intenta, sed in animis tota sita, tota totis animis vacas, eos detergis, eos multis perpurgas maculis sordibusque, illos insanissimos reddis sanitati? Quum prisci homines tanta sunt prosecuti veneratione, ut non nisi paucissimi, atque ii præstantes summo excelsoque quodam animi vigore, te attingere ausi sint, nec ipsi vulgo notis vocabulis, sed mirabilibus verborum involucris, et non tam aperuerunt quam contexerunt, quam ab injuria et contaminatione prophanæ plebeculæ subtraxerunt, veriti ne a quoquam polluto contrectaretur nitidissima res: sic Orpheus, sic Musæus, Plato, et reliqui de divinis scripsere: timuerunt alii ne non possent indignos homines ænigmatibus satis arcere, quia adhereret aliquando libro, aut temerarius, aut sceleratus lector, qui arcana detegeret, qui recondita mysteria stultæ proderet plebeculæ, nihil Theologiæ sunt ausi scriptis posteritati relinquere, verbis nonnulla in discipulorum sinus, silentii fide data et accepta, effudere; hanc ob causam jubet Platonius Syracusano Dionysio ut epistolam quandam, quam ad eum

de

de divinis rebus scribebat, simul perlegisset, e vestigio combureret, ne forte in parum dignas manus aliquando deveniret: hæc omnia admirabili veneratione Theologiæ, quam utpote rem præstantissimam atque sanctissimam nefas ducebant ab omnibus passim attingi: nunquid injuria? Tu enim diva mater es, quæ nos religione separas a brutis; tu veram certamque viam indicas bene et beate vivendi, in eaque nos ducis; tu Deum nobis exponis cognoscendum, quæ, vel veritatis ipsius testimonio, unica est æterna et felicissima vita; tu a nobis, integris accepta mentibus supra nostram nos effers mortalem naturam, adjungis Angelis, unum facis cum ipso Deo.

¶ O salve perfectissima sapientia, quæ ex ore altissimi prodisti! Salve tanti momenti doctrina, ut etiam Deo docente, nos te scire oportuerit, neque enim novisse potuissemus, nisi tanto magistro, et te tamen nosse necessarium omnino erat! Hactenus exposita est a me paucis ea philosophiæ pars, quæ de rebus ipsis inquirat, illa superest, quæ tota est de sermone, multoque est quam altera illa recentior; nam quum ea in tria velut membra sit secta, Grammaticam, Dialecticam, atque Rhetoricen, hæc quæ sororum est natu maxima, cognita primum est ab Empedocle Siculo, edita vero ab ejusdem insulæ viris Corace magistro, et Thysia discipulo, de quibus illa est in ambigua et involuta causa, populi exclamatio, quæ postmodum in proverbium abiit, καὶ νόρακος καὶ δὲ ὄον: dialecticæ vero artis posse nonnulla tradi præcepta, qui antequam Aristotelem fuere deprehenderunt potius, quam vel ipsa tradiderunt, vel quæ saltem esse possent, quaque via et ratione, explicuerunt; quorum primus fuit Eleates Zeno ex Italica philosophorum natione, Parmenidis discipulus, Aristoteles totius ejusce artis et inventor fuit, et consummator. Grammatica quædam cœpit primus Plato observare, Epicurus de illa ante alios omnes scripsit, quas tres artes haud dubium est, ut reliqua fere omnia ex observatione deprehensas intellectasque esse earum rerum, quæ sunt in sermone vulgari; nam quæ in eo proprie recteque dicta sunt, quibus oris sonis prolata, quibus litteris consignata, ea docet grammaticus; quæ eleganter, quæ splendide mag-


nis

Rhetorices
initia.

Proverbium: *Mali corvi malum ovum.*

Dialecticæ
initia.

Grammaticæ
initia.



nis orationis luminibus et fulgore, hæc rhetorice; quæ vera, quæ falsa, quæ quibus adjunctis sint probabilia, quæ pugnantia, quæ consequentia, qua lege inveniendâ, qua lege inventa judicanda docere, eæ demum sunt dialecticæ partes: quæ tres artes simul cum reliquis illis, de quibus paullo antea sumus loquuti, conficiunt illum quem Græci dicunt τὸν παιδαγωγὸν κύκλον, unde illa est nobilis κυκλοποιία φησὶ: omnis enim doctrina harum ingenuarum, et humanarum artium, uno quodam societatis vinculo continetur, ut præclare a Platone traditum est, cujus est etiam illa philosophiæ sectio, quam ab Hebræis eum accepisse vult Eusebius, ut essent quoque illius quasi tria membra, quorum primum disquisitionem naturæ rerum complecteretur, quæ in cœlo, quæque toto in mundo essent, secundum, quod de verbis disputaret, tertium, quod mores hominum componeret: hæc a me breviter atque compendio de philosophiæ initiis sint perstricta, reliqua etiam de philosophiæ nomine, de sectis, deque laudibus non multo a me dicentur prolixius, gratiamque superioris brevitatis etiam in sequentibus servabo.

Pythagoras ille Samius Philuntem quum venisset, sicut ab Heraclide Pontico memoriæ proditum est, fertur a Leone Phliasiorum tyranno rogatus qua ipse arte maxime valeret, et quo se nomine insigniret, se artem ille respondit habere nullam, verum esse philosophum; admiratus nominis novitate tyrannus, nam superiores, quorum erat Pythagoras similis, nec forte impar, σοφός se se, hoc est, sapientes appellarant, Pythagoras vero nomen illud ipse sibi confinxerat; rursus quæsit quid nam philosophus, quidque discriminis esset inter eum et sophum? Tum Pythagoras præclare reputans non magis ad sapientiam, quàm ad veram beatitudinem, mortalium quenquam posse in vita hac pervenire, tantum nomen sapientis, velut invidiosum, non ausum se contingere dixit, quum suas vires ejusmodi appellationi satisfacere non posse sentiret, imparque esset nomini tam Augusto, idcirco se se φιλόσοφον nominasse, quasi amantissimum, vel quasi studiosissimum sapientiæ, non socium ejus, quod priores utpote sophi profiteri visi sunt, sed clientem atque sectatorem, sed eum qui ex illius præceptis et insti-

tu-

tutis vivere, qui edictis illius parere maxime gaudeat, secumque actum præclare putet, si id assequatur; ita verecundiore posthac, majorisque modestiæ, minoris invidiæ nomine appellatum est philosophiæ studium, quod prius sophiæ, et studiosi philosophi, qui antea sophi dicebantur; ipse verò (Pythagoram intelligo nam sic eum discipuli nuncupabant sui, frequentissimo inter se ac firmissimo argumento αὐτῶν ἔφαθ', quod est, ipse dixit) quum in ea Italiæ ora, quæ nunc Calabria, magna tum Græcia dicebatur, ingenti et discipulorum frequentia, et civitatum regionis illius omnium veneratione, philosopharetur, Italicam disciplinam dicitur instituisse.

Ante id enim tempus Jonicam omnes sèquebantur, quæ Thaletem Milesium principem habuit et auctorem, est nani- que Miletus in Jonia, finibusque Cariæ; Italica vero disciplina a Thelage Xenophani Colophonio, ab hoc Parmenidi, a quo Zenoni Eleati, ab eo Leucippo Abderitæ, a Leucippo Democrito civi suo, a Democrito Nausiphani per manus tradita est, at Nausiphanes Epicurum docuit, in quo hæresis illa finem accepit; ex Jonico autem Anaximander a Thalete ipso institutus est, a quo est eruditus Anaximenes, quem Anaxagoras audivit, cui discipulus fuit Archelaus Physicus Socratis magister: Socrates primus philosophiam, in cœlis elementisque versantem et divagantem, ad civitatum atque hominum singulorum usus, vitamque devocavit, ut ea primum mortales scirent quæ scire et expediret, et oporteret, ne quum alia permulta magna quidem nossent et admirabilia, se ipsos prætermitterent incognitos, quod maxime dedecorum est, contrariumque illi Apollinis oraculo, primo ad sapientiam gradui, γινῶθισεαυτόν, turpè ducens ea non doceri, quæ nesciri summa sine turpitudine non poterant; neque enim divinus ille vir congruum existimabat ea magno labore quæri, quæ prætermissa nullum afferrent malum, illa vero ignorari, quæ nesciri grande flagitium nefasque esset: et ne homines, moribus desertis, ad res illas naturales, quæ nostris animis magis arridere videntur, propensiores fierent, quod et antè suam ætatem ubique factum erat, quum esset unus omnium consensu et approbatione rerum ejusmodi scientissimus, affirmavit tamen,

Ipse Pythagoras.

Italica philosophia.

Jonica philosophia.

Philosophi Jonici.

Philosophia moralis a Socrate.

Nosce te ipsum Primus ad sapientiam gradus.

sc

Circulus scientiarum Cyclopædia

Triplex philosophia.

Philosophi appellatio.

se illorum omnium ignarum esse, nihilque penitus scire, præter hoc ipsum, ut ceteri desperata, tanto auctore, naturæ arcanorum scientia, illis relictis, ad morum compositionem (quæ non tam speciosa quàm in primis salutaris et necessaria res est) totos se se converterent: hanc ipse ob causam, tanto Deo sententiam ferente, habitus est totius Græciæ longe sapientissimus.

Secuit se postmodum philosophiæ studium in varias, quasi factiones, et tamquam rivos quosdam a Socrate, velut a sacro et augusto quodam fonte, derivatos; alii enim philosophi dogmatici dicti sunt, quòd aliquid asserant doceantque; alii vero nihil asserentes refellunt aliorum sententias, et opiniones, quod Socrates ipse fecit, quod nova etiam Academia, cujus principes Lacysdes et Carneades existere, ita dissonantes, ut comprehendere posse res negent, ac perinde neminem vel affirmare jure, vel scire quicquam posse, tum ex ipsa rerum difficultate, tum ex imbecillitate atque caligine mentium nostrarum; jam alii dici voluerunt Platonici, de nomine magistri, alii Academici, qui ex eodem fonte manarunt, de nomine Academiæ, quod est ad Athenas gymnasium: Academicorum vero non una, sed tres quasi familiæ traduntur, nam quidam veteres sunt a Platone et Xenocrate geniti, alii novi a Carneade, qui fuit acer subtilisque disputator, alii medii, quos Arcesilas, qui Crati successit, instituit; quamvis hi omnes, longa licet progeniei serie, in Platonem tamen Socratemque sui generis exordia referunt, continuata disciplinæ velut hereditaria successione, quippe a veteribus medii, a mediis recentes orti sunt; idcirco Cicero non tres, sed unam facit Academiam, profectam a Socrate, repetitam ab Arcesila, confirmatam a Carneade: jam et ex eodem Socrate gentis auctore Stoici sunt non ignobiles philosophi, quibus $\sigma\tau\omicron\delta$ quædam, id est porticus, in qua philosophabantur, nomen dedit; Pæcile hæc appellata est, insignis pictura Miltiadis et Marathonis pugnæ, nobilis etiam philosophis illis, qui et Zenonii prius nuncupati sunt, a familiæ parente Zenone Cittieo, summo Socraticæ illius rigidissimæ virtutis æmulo, quorum præter sanctitatem, innocentiam, virtutemque illam numeris suis omnibus absolutam, nihil erat finis

Academia
nova.Platonici
academici.Academiæ
tres.

Stoici.

bonorum, nihil extremum malum, extrema nihil præter vitam miseria: stupidum saxum suum reddebant sapientem firmitate animi incredibili, et omnium affectuum extirpatione: admirandum, mea sententia, et divinum potius ejusmodi sapientem, si modo ullus unquam inter eos fuit, cui ad unam virtutem quæque agat, quæque dicat, referantur, quam adeptus quum fuerit, tum demum se bene beateque victurum arbitretur, nec minus beatus futurus sit, si in equuleo torqueatur, vel in Phalaridis tauro, quàm si maximis voluptatibus hilariter ducat ætatem; nullum veriore hoc sapiente Christianum fore puto, persuasis ei præceptis nostræ religionis, quo facilius ne sit alter assensurus haud sciam.

Adversa fronte, atque infestis signis in istos pugnant Epicurei, quorum est ab Epicuro Atheniensi origo, qui dialecticem relegantes, ad res Physicas tuendas legionibus insectilium corpuseulorum, quas vocant $\alpha\tau\omicron\beta\upsilon\sigma\tau$, in aciem prodeunt, et de summa rerum pro voluptate dimicantes, etiam præstantissimam, et pulcherrimam rerum omnium, virtutem, et subjiciunt, atque illam rerum dominam brutali titillationi fœde jubent ancillari. Prætermittam minus nobiles philosophorum sectas, quarum fama in obscuro est; Cyrenaicam, cujus auctor Aristippus Socratis discipulus, cujusque fuit ultimus sectator Lybs Anniceris ille, Hegesiæ mortiferi auditor, (1) cui Plato libertatem suam acceptam refert; Eliacam, cujus institutor Phedon; Megaricam, cujus Euclides; Eretricam, cujus Menedemus, de nominibus patriarum eorum a quibus constitutæ sunt, ita appellatas; Herilla vero a principe ipso Herillo dicta est: quæ omnes vi et disputationibus nobiliorum sectarum jam diu fractæ et extinctæ sunt. Instituit Cynicam Antisthenes Atheniensis prius Peripateticus, mox Cynicus appellatus, cujus discipulus Sinopeus Diogenes admirationi toti Græciæ fuit ob tantum rerum omnium humanarum contemptum; ex hujus ludo egressi sunt

Epicurei.

Individua
corpora.

Cyrenaici.

Eliaci,
Megarici,
Eretrici,
Herilli,
Cynici.

Tom. III.

C

il-

(1) De Hegesiæ sic Cicero Tuscul. lib. i. 34. A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si querimus. Hoc quidem a Cyrenaico Hegesiæ sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi, his auditis, mortem sibi ipsi consciscerent: unde mortis orator dictus, eumque mortiferum Vives noster appellat.

Hipparchia. illustres Nomius Onesicritus, Crates Thebanus, cujus uxor Hipparchia, Metroclis soror, virilem animum in muliebri corpore nacta, contra femineum morem spreto repudiatisque opibus, disciplinarum et philosophiæ splendore præincta, sordes mariti non vidit, Scholam ac vitam illam Cynicam, sane quam duram, sedentariis mollibusque feminarum artibus pertinacissime prætulit, et dedignata plerosque nobiles procos, solus hic placuit, quia philosophus; Cratis istius auditor sectatorque fuit Menippus Phœnix homo natus ad risum movendum, plenus salium, plenus dicacitatis vitiorum summa cum gratia insectatricis: hi etiam Stoici dicti sunt, verum *μυρικοί*, id est canini, ex ipsis moribus, nam illi de quibus paullo ante loquebar, qui et ab his originem duxere Zeno enim Cratem audivit, viriles nuncupati sunt, quasi homines vere saperent, atque eos non molles aut effeminatos, sed viros. A Xenophane vero Colophonio Cleantico manavit dogma, quod Eusebius Jonio et Italico tertium addidit, quamvis Xenophanes, ut ante diximus, Pythagoricos habuerit præceptores.

Peripatetici. At vero nostrates philosophi, quorum princeps idem, philosophorum omnium facile sapientissimus, Aristoteles Stagyrates fuit, aut quod deambulantes in Lycio dissererent, aut quod *περιπατῆς*, quod est sive deambulatio, sive deambulatorium, fuerit eorum gymnasium, Peripatetici certe appellati sunt, qui de triplici illa philosophiæ parte, multo quam reliqui omnes cunctorum consensione et sententia melius accuratiusque disserunt, ac inquirunt; partibus enim ex istis, quam Peripatetici non attigerunt modo, verum copiose non sunt executi, plene non absolverunt? Si enim desiderantur naturæ arcana, et secretissimæ rerum nationes, præsto sunt tam multi, tamquam varii Aristotelis de rebus physicis libri: sin vero dialectices subtilissimæ rationes ac formulæ, et callidi sophistæ astuta cavilla, adsunt logica ejus volumina, quæ ars ab eodem et incepta et perfecta est: sin orandi, et poësis via atque inventio, duo sunt de Rhetoricis opera, et unum de Poëtica arte: si quis autem mores sibi poscit componendos, parata sunt ei moralium rerum volumina viginti: at gubernanda est sive respublica, sive

res

res familiaris, conscripti sunt ad ipsum institutum libri de Republica octo, de Re vero familiari duo: verum enimvero aliquis quærat hæc omnia quo nam sunt tradita modo? an paucissimis præceptis, ut quidam fecere, quibus nihil fere ejus rei, de qua præcipitur, sciri possit? an verborum caliginosissimis involucris, et densissimo cortice, demersa re illa, de qua loquuntur, in profundissimo mari, ut lectoris ingenium, nisi sit plane divinum, penetrare nequeat ad sensa, opusque sit in tantis tenebris magna face, et ut dicebat Socrates, in tam alto pelago Delio natatore, qui progressus aliquantum, obrutus non suffocetur, quod prisca se se de industria facere profitebantur, ne passim ab omnibus intelligerentur? Nihil profecto; istorum omnia copiose, omnia dilucide, perspicueque; torpor vero ac negligentia nostra efficit ut nonnullæ tenebræ in Aristotele esse videantur, qui superioribus collatus, ipse quoque meridie clarior est.

Cedo veterum philosophorum aliquem, quis nam nisi divinans sensus ænigmatum illius extorquet, quæ mihi interdum ex his videntur, quæ inter lusum pueri sibi invicem objectant? Videas in illis vocabula tam procul quæsitæ, ut non magis id declarent ad quod notandum posita esse dicuntur, quam *anserem canis*, aut *asinum homo*: at in Aristotele quid non appositissime dictum est? quid non suis veris expressisque nominibus signatum? Desidia, mihi credite, nostra, et ignorantia Græcarum litterarum effecerunt, ut eum quibusdam in locis obscure locutum existimemus, est enim multo apertior, multo clarior, multo lucidior Græcus ipse, quam Latinus, nam interpres noster, cum conatur singulis verbis Græcis singula verba Latina reddere, cespitat, invertit, obscurat, confundit et dictionem totam, et sensa; nam quæ belle dicuntur Græce, non ea semper eodem ordine, eadem figura, paribusque nominibus, belle dicuntur Latine, et e diverso: quis hoc nescit in lingua omnibus usu venire? sua sunt cuique idiomata, suæ loquendi figuræ: sed ut de Peripateticis dicere pergum, nihil est aut quod ad cognitionem rerum, et naturæ oblectamenta, aut quod ad bene et dicendum et vivendum, aut quod ad re-

Peripateticorum laus.

reliquis imperandum, legesque ferendas pertineat, quin id ipsum Peripatetica schola consummatissime sit executum; unde, quæso, nunc tam variarum cognitio rerum, tanta omnium artium eruditio, nisi ex Peripatetico fonte, a quibus omnia ante sua tempora fluctuantia, temere jactata, nullo ordine, nullis finibus composita et definita, dispersa, atque dissipata, certa in præcepta, certasque formas redacta, ratione apta et connexa, suis quæque artibus, suis limitibus discreta, ac reddita sunt? Ex eorum enim scriptis et institutis, utar non meis, sed Ciceronis verbis ac testimonio: *Quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas tanta est artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem possit accedere, ab his oratores, ab his Imperatores ac rerum publicarum principes extiterunt. Ut ad minora veniam, Mathematici, Poetae, Musici, Medici denique, ex hac, tamquam ex omnium artium officina, profecti sunt.* Hæc et alia permulta in eandem sententiam Cicero, Marci Pisonis persona, libro de Finibus quinto, et plerunque alibi.

Verum laudes horum hominum, hujus divinæ disciplinæ, finem nunquam acciperent, et oratio tamen destinatum jam egressa modum, finem aliquando tandem inveniat necesse est; idcirco redeo ad philosophiam ipsam, studiumque sapientiæ, quam divinarum humanarumque rerum contemplationem esse dixerunt, ut plane solutus hoc carcere corporis animus, per inferas, perque superas sedes, liber expeditusque spatia retur, lustraretque mentis aspectu universa neque mole ista corporis detraheretur, quo minus ab eo, quasi in repudio aut in divorcio conjugatorum sepositus, viveret; idcirco Plato mortis cogitationem eam vocat, quæ est corporis animique seunctio ac dissociatio, neque illam temere Deum, optimum, maximum, invenisse, donoque hominibus dedisse ajunt, quod tam excelsa, tam sublimis, tam recondita res est, ut nisi aditus ad eam ipse patefecisset, nequicquam noster se se attolleret animus, quamlibet per se vividus, quamlibet perspicax, industrius, solers; non enim admirandæ inventionem rei, nisi præstitis seminibus, nisi patefactis exordiis, nisi introductus ab artifice

ip-

ipso, quasi per manum, in vestibulum ipsum, fuisset unquam assecutus: sed video me jam in Philosophiæ laudes ingressum, quæ tam amplæ, tam magnificæ, variæque sunt, ut non verear, ne hoc loco vel infantissimo cuiquam deesse possit oratio, verear potius ne orationis modus atque exitus haud facile inveniatur; illud vero in primis a me efficietur, ut in arcum nonnullas virtutes philosophiæ complexus (nam omnes quis possit) institutæ brevitatis rationem habuisse videar, et nemo sit, qui non mente sua de hoc summo summi Dei munere, ex iis quæ dixero, intelligat et existimet majora, quàm fuerint a me explicata.

Atque ego quidem ad hunc modum existimo, non posse brevi sermone, qualis noster futurus est, dilucidius laudes philosophiæ declarari, quàm si summa quadam ostenderimus esse ipsam pulchram, jucundamque animis humanis, esse commodam, et in primis utilem, atque adeo unam rerum omnium maxime necessariam usibus, totique vitæ nostræ; illudque ante omnia positum sit nobis oportet, quod nemo sapiens ignorat, non esse nos ad ludum jocumque natos, non ad puerilem vitam, semper inter nuces, ceterosque agendam lusum, hoc est, inter nugas atque ineptias, a natura genitos, sed ad gravitatem et sapientiam, ad ea quæ non tam hac nostri corporis sarcina, quàm mentis nostræ præstantia, quæ est plane divina, digna sunt: quæso igitur, id ita si est, ut esse constat, quid animo nostro dulcius suaviusque esse potest? quid quod majorem afferat voluptatem, quàm in illas æthereas sedes se se attollere? quàm lustrare ipsum, tamquam incolam quendam, domos illas admirabiles siderum? nosse quando defectus futuri solis lunæque? quo tempore coitiones, separationesque astrorum? quando pluviam, venti, nives, grandines, tonitrua, fulgura, glacies, oceani æstus, ventorum, marisque tempestates, brumæ rigor, æstatis fervor, flores, ac species illa tam grata veris? quando autumnus frugum omnium maturitas, et perceptio? ac nosse non quibus modo temporibus, sed quas ob causas hæc omnia futura sunt? Quid hac re pulchrius? quid admirabilius vel excogitari potest? ut cum ceteri homines tam

quam

Philosophiæ
laudes.Non sumus
ad ludum
facti.Delectatio
philosophiæCicero de
Peripateti-
cis.

quam bestiæ proni semper terram spectent, ipse unus vere os habeas hominis sublime, cœlum uideas, et ad sidera tollas vultus, cumque alii vilia sint opum fortunæque mancipia, ipse solutus ac liber, verus sis hujus mundanæ spectator scænæ.

¶ Vult forte sensim animus ad terram se demittere? ¶ Quantæ delectationi sunt avium, pisciumque perspectatæ naturæ, ceterorum animalium, aut fera, aut mansueta ingenia, actus eorum omnes, quibus quique ex fontibus et initiis manant? Accedet tum ad illam admiratione dignam naturæ partem, de plantarum, herbarum, arborum, virgultorum, fructuum, florum, frondium, foliorum, fructuum, radicum viribus: tum ad lapides et metalla ipsa, id est opes humanas, transibit, in quibus cognoscet, quàm vilia, quàm se indigna, homines summis laboribus per tot pericula quærant, quo modo rerum universarum domini erugini futilissimæ miserrime serviant; tum ipse incipiet et inania mortalium desideria misereri, et vana ridere gaudia, eritque ex illo præstantissimo genere hominum, qui ad ludos Olympios, non lucro, quæstui aut gloriæ addictissimi servi veniebant, venibantque, sed eo solum commeabant ut studiose quid ibi ageretur in tanto hominum conventu, in tanta rerum varietate, et quo modo, contemplarentur, quibus ex rebus quanta sequatur utilitas, quantus fructus; videtis, ut per hæc homo, qui despiciatissimum erat fortunæ mancipium, supra ipsam se se efferens, suæ civitati suisque natalibus restituatur: jam vero et illa, commoda ne dicam, an in primis necessaria, ut sciamus cœli vias et sidera,

Defectus Solis varios, Lunæque labores, ()*

*Tempora, quæ messor, quæ et seruet curvus arator. (**)*

Quæ orientur cœli astra, quæ occidant, quantum qualiumque sit unumquodque virium,

*Quis sine, nec potuere seri, nec surgere messes. (***)*

¶ An putatis sine his vitam nostram ordinem aliquem serva-

(*) Virg. Georg. lib. 2. v. 478.

(**) Buc. Egl. 3. v. 42.

(***) Georg. lib. 1. v. 160.

vare posse, quo minus temere fortuitoque jactaretur, quum hæc ignoraretur certa dierum noctiumque partitio, mensium, annorumque rati cursus, et in omni æternitate statutæ progressionum mensuræ? ¶ quando futura hiems, quando ver, quando æstas, quando autumnus nemo sciret? ¶ quando vero sementem facere oportet, quando agrum colere, quando demetenda seges, agricolæ ipsi ignorarent? At hæc putatis tam vitæ humanæ conducere, quàm esse necessaria: age vero, vivat mihi aliquis, nisi animalium pernoverit ingenia, quæ cicurari possint, quæ perpetuo fera persistent natura, quæ in cibos inferenda, quæ virus exitiabile morsibus inspirent, quorum oporteat rabiem declinare sævitiemque, cum quibus, quo tempore, qua ratione sit homini certa pax; ¶ tum et stirpes nihil, videlicet, vitæ nostræ conferunt, atque usui sunt, nihil dignoscere necessum est, qui salutare, qui letiferi, qui cibis apti, qui inepti, qui quibus malis, quo tempore, quo loco afferant remedia, quibus interitum adducant? At hæc omnia, ¶ quo (quæso) magistro accepimus, quo retinuimus, nisi philosophia? Jam et illa, ¶ Deus immortalis! cujusmodi sunt de moribus uniuscujusque componendis, de gubernandis rebus et publicis et privatis, sine quibus non video qua in re genus hominum a beluis ferisque ipsis abesset; per hæc enim vita nostra humanitati suæ reddita est, per quæ docemur justitiam, prudentiam, fortitudinem, adde etiam modestiam in omnibus rebus et temperantiam, in dictis et factis constantiam atque modum: hæc est illa Ethicæ philosophia, quæ mores vere humanos in civitates, domos, animosque singulorum invexit, immo vero domos et civitates ipsa fecit, animos nostros composuit, sine cujus institutis atque præceptis, non res ulla privata, non respublica consistere, non ullus hominum conventus coli et celebrari posset, ac sicut medicina illa corporibus, ita hæc nostris affectivissimis animis remedium medelamque præsentissimam affert.

Itaque quum per totam rerum naturam late fuerimus pervagati, illum tandem, ex visibilibus istis rebus, invisibilem mundi principem, omnipotentem, æternum, immortalem inveniemus, quem quum noverimus, magno tum animo, atque

Philosophiæ
necessitas.

Ethicæ.

excelso, quæcunque vanis mortalibus inania afferunt gaudia, despiciemus, tranquillitatem nostras in mentes adducemus tantam, ut nulla posthac agitari tempestarum procella possint, nulla vi de loco illo suo quietissimo dimoveri, nullo fortunæ icu placidissima queat turbari pax, vivemus læti, vivemus securi, quæ profecto, aut nulla est, aut hæc est una bene beateque vivendi norma, quod universum genus humanum semper in ore habet, omnibus omni tempore expetit votis, ratio et via, quæ ad illam ducit infinities meliorem sempiternam vitam, in qua animus divina origine haustus, cui nec senectus ulla nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus, ad sedes suas et cognita cognataque sidera, summa cum felicitate recurrit: eant nunc alii, et suas titillantes universas voluptates cum hujusce philosophiæ vel minimo conferant oblectamento; dicant opes vitæ humanæ utiliores esse, quum absque illis melius viveretur, sine philosophiæ dogmatis, ne vivi quidem possit; asserant homini aliud quicquam magis philosophia necessarium, quum sine ceteris rebus homo equidem sit semper, absque philosophia vero fera sit, non homo. Et dubitat quisquam in hac sapientia, in hoc tanto bono, quo amplius, quo præstantius, quo excelsius mortalibus a Deo maximo dari vix poterat, totam impendere ætatem, quam non possit vere consumptam contritamque dicere, sed ad fœnus ingens mutuatam? Est ne aliquis, quum hæc videat, qui non malit vel paucissimos cum hac vivere dies, quàm sine ipsa diutissime magnis alioqui comitatus opibus, magnaque potentia? quum sit unus dies, bene et ex præceptis hujus, actus, toti etiam immortalitati anteponendus.

DE PHILOSOPHIÆ INITIIS, SECTIS, ET LAUDIBUS

FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE ARISTOTELIS OPERIBUS (1)

CENSURA.

DE ARISTOTELE.

PLINIUS Secundus libro septimo naturalis Historiæ inquit, quodnam existimeretur maximum fuisse ingenium, ex iis quidem, quorum extet memoria, vel suis ipsorum, vel alienis monumentis? et eam tantæ ambitionis palmam videtur ad Homerum vatem deferre, secutus Græciæ judicium, quæ illum fontem ingeniorum appellat; sed mihi tamen acrius eam rem intuenti, atque examinanti subtilius, nullum videtur fuisse ingenium Aristotelico præstantius. Legenti opera ejus attentè ac diligenter, exoritur ingens admiratio, quàm ab ultimis principiis deducit abditissima, et profundissima rerum omnium, quàm acute refellit aliena, quàm fortiter communit, et corroborat sua, quo ordine digerit singula, et, quod est in tradendis artibus perutile, quanta frugalitate verborum: nihil est in eo vacans, aut inane, omnia solida, et plena: nusquam sinit lectorem oscitari, aut aliud agere: de hoc vere dici potest, quod Lysiæ Atheniensi minori de causa attribuitur, ruituram structuram universam, si vel verbulum unum tamquam lapidem detraxeris: axiomata autem illa universalialia, quis non admiretur in omni argumento et materia tam multa esse ab illo excogitata vera et perpetua, quibus sequens ætas in tanto decursu seculorum vix exceptionem ullam annotavit! Scripserunt veteres philosophi ante Aristotelem pauca, atque ea confuse; primus omnium Plato eleganter sane multa, et docte, sed ad docendum, discendumque parum accommodate.

Aristotelis omnia ordinem, et formam habent institutionis, ac disciplinæ, nec fuit dexteritas in aliquo ad artes tradendas par,

Tom. III.

D

om-

(1) Argumenta in plerosque libros philosophiæ Aristotelis. Videat. Possevinus. in App.Sac.

omnia vero sunt illi certis præceptis, et formulis conscripta, ea brevitate, et gravitate verborum, ac sententiarum, ut accipi facile, retinerique possint, et ad usum, quum res postulat, accommodari; verba autem nullus Græcorum habet æque apposita, ita ut ex rebus videantur nasci, quas tractat; non persequitur rerum flosculos, et orationis delicias, queis inani oblectamento delinitum lectorem teneat, postea remittat vacuum; plena est illius oratio ingenti fructu cognitionis rerum sciri dignarum; non captat præsentem gratiam levem, ac momentaneam, sed adfert diuturnam utilitatem, idcirco nec ad quemlibet gustum facit tantus auctor, nec quemlibet lectorem desiderat; volunt Aristotelis opera lectorem ingenii non acuti tantum, sed etiam profundi, solidi, sani, circumspecti; volunt attentum, diligentem, imbutum lectione variorum auctorum, et cognitione rerum multarum: hæc si desint, nihil Aristotelicis libris existimabitur asperius, insuavius, inamœnium, quemadmodum nonnulli de eo judicant, vel propter ignorantiam, vel propter teneritudinem ingeniorum, pondus non ferentes tantæ doctrinæ, quemadmodum infirmis oculis lux Solis et diei splendor molestus est, quo nihil est sanis et valentibus jucundius: verum, ut Aristoteles primus inveniebat prope omnia, ita non poterat nova inventa omnino unus excolere, atque expolire: erant etiam nonnulla, quæ propter novitatem nondum habebat satis explorata, et percognita: accedebat ad hæc ingenium viri tectum, et callidum, et metuens reprehensionis, quod inhibebat eum ne proferret interdum aperte quæ sentiret, inde tam multa, per ejus opera, obscura, et ambigua.

DE LIBRIS ILLIUS.

Libri ejus diu latuerunt cum bibliotheca Theophrasti discipuli, quæ ad heredes imperitos devoluta, multis annis in tenebris et squallore jacuit, usque ad tempora L. Syllæ Dictatoris, qui bibliothecam illam coëmit, et libros describendos in ordinemque redigendos Tyrannioni dedit grammatico, sicut auctores sunt Plutarchus Cheronæus, et Strabo; post ea tempora fuerunt in omnium manibus, sed non magno in precio, propter difficultatem sensorum, ad

ad quæ pauci penetrabant, quousque Alexander Aphrodisiensis, Antoninorum temporibus diligens Aristotelis lector, commentarios in multa illius opera conscripsit: tum primum cœpit Aristoteles et legi, et intelligi, et versari in hominum manibus, nimirum intellecta utilitate, quæ ex illius attenta lectione caperetur: verum non omnia illius ingenii monumenta, etiam quæ L. Sylla invenit, ad nostram ætatem pervenerunt, quod est intelligere ex iis, quæ a veteris memoriæ scriptoribus citantur. M. Tullius in secundo libro *De natura deorum*, argumentum adfert Aristotelis, quo ille Dei providentiam ex consideratione pulchritudinis, ordinisque mundi hujus colligebat; atqui argumentum hoc apud Aristotelem, quem habemus, nusquam legitur: idem Cicero libros Aristotelis de natura deorum visos a se testatur: Servius grammaticus Aristotelem citat dicentem, aliqua numina mori: Isidorus, non Hispalensis Antistes, sed antiquior quidam, et Clemens in *Stromatibus*, asserunt Aristotelem de diis localibus mentionem fecisse, qui urbibus, et regnis præsiderent. Transeo quæ de Aristotelis scriptis recenset Laërtius, qui voluminum ejus summam ad quadringenta perducit, de quibus quidem nihil dubitetur, et multo aliter distinguit libros, quàm nos: ac ut non omnia Aristotelis habemus, ita quædam sub nomine illius aliena circumferuntur, quod est Aristoteli cum omnibus fere magni nominis scriptoribus commune: jam de singulis dicamus libris.

PERI HERMENIAS.

Libri hic dicitur *De Interpretatione*: quoniam in eo Philosophus interpretatur, quid sit nomen, quid verbum, quid oratio, quid pronuntiatum; quæ sunt quidem partes grammatici, explicat tamen illa Aristoteles in opere dialectico, quod grammatica nondum esset illa ætate inventa; hæc utique grammatica, qua nunc utimur, nam olim prisca homines cognitionem elementorum, et syllabarum, scriptionem rectam, ac legitimam, tum pronuntiationem germanam, et propriam cujusque linguæ, grammaticam nuncupabant, jam inde ab Homeri seculo; itaque grammatici munere Aristoteles fungitur in prima operis hujus parte: unus est

liber *περί ἐπιμνησίας*, non duo; disputatio autem illa de futuris indefinitis, quæ contingentia nuncupantur, perplexa est, et difficilis; atque eo magis, quòd Aristoteles disputat secum ipse, objicit sibi argumenta, et dissolvit, confusis omnino distinctionum notis, ita ut dialogismus sit absque personis: sed si distinctiones diligenter animadvertantur, dilucidior fiet tota tractatio.

C A T E G O R I Æ.

Opus hoc desumptum est ex prima philosophia, quæ *μετά τὰ φυσικά* nominatur; sed hæc tractantur illic ut res, in categoriis autem ut voces res illas significantes, idcirco categoriæ nominantur, quasi prædicationes, ut vulgo vertunt, uno autem verbo Latine dicere, per difficile: sunt autem hæc modi quidam, et velut rationes, quæ primas essentias, hoc est singula rerum denominamus, consignamus, configuramus, convestimus, seu quod aliud vocabulum magis placet, aut si quod est istis aptius; dicimus enim Socratem animans esse, et album, et procerum, et maritum, et Athenis, et quæ sunt ejusmodi: sed denominationes istæ ex rebus pendent, atque ut res separare, ac segregare operosum est, et arduum, ita et categorias istas: multum tamen ab Aristotele est profectum, plurimum confectum viâ uno decursu.

P R I O R A A N A L Y T I C A.

Post explicatas pronuntiationes, rationesque aliorum de aliis pronuntiandi, atque judicandi, tradit Aristoteles præcepta quemadmodum in ratiocinationem connectantur, vocat autem analytica, hoc est resolutiva, quod ratiocinationes in partes suas dissolvat, et ex quibus constant perhibeat: ipsum Totum facile est cuius intueri, etiam imperitissimo, nosse autem ex quibus componatur, quasque confletur, et id docere, non nisi docti, atque artificis. Nihil excogitari potuit ad omne artium, ac scientiarum genus conducibilius, quàm syllogismorum formulæ; nihil rursus molestius, quàm quæ de necessario, possibili, impossibili, et contingenti comparat, et conjungit inter se: magno quidem illa acumine, quis neget? sed inutiliter.

POS-

P O S T E R I O R A.

Duo sunt in syllogismo, tamquam in homine corpus, et animus; in corpore est materia, et dispositio, ac ordo partium; in animo vis, et vita, et actio: in superioribus analyticis Aristoteles velut de syllogismi præcipit corpore, hoc est de partibus, deque illarum nexu et compositione, ideoque priora nominantur; in his autem posterioribus, hoc est interioribus, et magis reconditis, de anima ipsa syllogismi, nempe de demonstratione, de vi, et efficacia rationis: Analytici libri sub Aristotelis nomine multi olim circumferebantur; sed hi quatuor ex orationis filo, totiusque præcipiendi rationis modo, ac facie, Aristoteli sunt adjudicati ceteris rejectis.

T O P I C A.

Hoc est *loci unde ducuntur argumenta*; opus est octo voluminibus distinctum, varium sane, hoc est multæ eruditionis, et observationis rerum diversarum, sed ut illa omnia primus ipse pariebat, non potuit tam multa simul edere, simul expolire, itaque relicta est velut ingens quædam materia, et dives, ad extruendum pulcherrimum ædificium: eruere ex quantumlibet sedula, et attentata lectione illorum librorum, rationem inveniendi argumenta, haud facile quisquam possit; Rhetoribus hoc debent Dialectici, qui obscuritatem hanc illustraverunt, et tradiderunt quis esset materiæ istius usus, quod Cicero præstitit in Topicis ad Trebatium, nam partem hanc de dialectica inventionem, et rhetores avidè occupaverunt tamquam suam, et dialectici verecunde cesserunt tamquam alienam: non id recenti vitio, ut alia permulta, sed ab Stoicis ipsis factitatio, qui philosophorum omnium acerrimi sunt dialectici existimati.

E L E N C H I.

Elenchus multa significat, sed hoc loco pro *redargutione* sumitur; libri sunt duo, ad cavendas sophisticas captiones, et ne in disserendo falsa pro veris per ignoracionem colligamus, aut admittamus; huic operi initium dedit Plato in Euthydemo; ostenduntur

tur illic pauci quidem doli disputatoris captiosi, Aristoteles autem rem omnem, ut solet, a primis initiis complexus, digessit in ordinem, et formulas: cavendum tamen, ne et Latini homines fallantur, dum Græcæ linguæ exempla parum congruenter aptant ad Latinam: absoluta est iis libris omnibus dialectice omnis, et de inveniendis argumentis, et de inventis iudicando.

PHYSICA.

Hic liber a Græcis inscribitur *Περὶ φυσικῆς ἀποδείξεως*, hoc est, de *Physica auditione*, ut videatur Aristoteles non composuisse hos libros, sed dictasse suis auditoribus, aut illos certe quæ ab eo disputarentur, annotasse; præcipua tractatio est de motu, quoniam de corporibus Naturæ traditurus, quorum essentia per actiones cognoscitur, aptissime a motu exorditur, quæ ex corporeis actionibus maxime exposita est cognitioni sensuum, ideoque prima et simplicissima, et ex motibus ad ea, quæ movent et moventur, ascendens, usque ad principem motorem pervenit, qui movet immobilis.

DE GENERATIONE.

Generationem et corruptionem Aristoteles motus appellat, sicut auctus, et diminutiones; post simplicem autem tractationem de motu locali, consequens erat ut causas inquireret, quæ procrearent, et interimerent corpora naturalia: libri sunt duo, minus quidem, quàm physici, intricati, sed accuratius tamen scripti, et indubie ab eo ipso.

DE COELO ET MUNDO.

Post motum et generationem disserit de essentia, et qualitatibus corporum naturalium, idque octo voluminibus, quatuor de *Cælo et Mundo*, et quatuor *Meteororum*; in his prioribus loquitur de compositione universitatis, et de supremis corporibus, quæ sunt vel cœlestia, vel cœlis affixa.

DE

DE MUNDO.

Libellus legitur Aristotelis nomine, titulo *de Mundo*, de quo a multis dubitatum est, an sit hujus philosophi; citatur tamquam Aristotelicus a plerisque Græcorum, ut a Themistio, et qui hoc fuit antiquior, Justino Martyre, ac philosopho, a Cardinale Besarione, et ex nostris a Joanne Pico: haud dubie opus est Peripateticum; sed tractatio ipsa, et orationis filum, non videntur esse Aristotelis: primum habet dedicationem cum præfatione, quod in germanis Aristotelis operibus non est invenire, Aristoteles enim vel non dicat opus, vel si dicat, non præfatur ad eum, cui dicat, nec præfatio est digna gravitate Aristotelica; deinde inscribitur, *Ad Alexandrum*, cujus ipse, tametsi discipuli, et tanti regis, nullam omnino in suis operibus facit mentionem, et si aliquod ei opus erat nuncupaturus, nuncupasset profecto libros de Animalibus, ad quos componendos talenta octoginta Alexander dederat: jam ipsa dictio plerisque in locis comptior est, et floridior, atque etiam, ut sic dicam, lascivior, quàm Aristotelica, ita ut interdum usque ad poëticas delicias progrediatur; libellus tamen est legi dignus, et qui merito scholæ Peripateticæ adscribatur: L. Apulejus eum vertit, et tamquam suum posuit inter sua opera, titulo *Cosmographia*.

METEORORUM.

Id est, de iis quæ sursum feruntur, cujusmodi sunt, fulgura, pluviam, nives, et hujusmodi; libri sunt quatuor; in quibus etiam de aquis, de terra, et metallis tractatur, sed opus accepit nomen ab iis, de quibus primo loco disseritur: absoluta est, a Physicis usque ad Meteora, philosophia de Naturæ corporibus, nihil enim aliud videtur restare.

DE ANIMA.

Corpora, et effectiones quæ vita carent, satis sunt libris superioribus explicata, his autem tribus libris, viventis effectionis, quæ anima nominatur, causas, et rationes inquirat; reprobat primo volumine veterum fere opiniones de anima, quos de re tanta, tamque

que abstrusa, in ruditate illa absurde sensisse mirandum non est: sequenti libro de vegetatione tractat et sensibus, docte, ut omnia, et explicatius, quàm multa alia, tum etiam diffusius: tertius liber de mente agente et passibili, aliquanto est sterilior: de sensu autem et sensili, de memoria et recordatione, de juventa et senectate, de respiratione, de longa vita et brevi, de somno et vigilia, de divinatione insomniorum, accessio sunt librorum de anima, de his enim argumentis erat disputaturus sub titulo *De anima*.

METAPHYSICA.

HI libri inscribuntur *περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικά*, hoc est de iis, que sunt post naturalia, nam libris superioribus, quorum est materia de Natura, proposita sunt spectanda integra Naturæ simulacra, tamquam statuæ a fusore aliquo, vel plaste, nunc explicatius monstrantur singula quæ sunt in re, quæque circa rem, principia, partes, causæ, qualitates, actiones: libri sunt duodecim: an sit eis absolutum Aristotelis propositum, nescitur, clausulam habent ex Homeri versu in primo Iliados, non esse bonam principum multitudinem, unum debere esse principem, quæ clausula videtur velut gradum ponere ad inquisitionem Divinæ Naturæ: libri sunt plerisque in locis obscuri, et difficiles, non tam tractatione ipsa, quàm ignorantia earum rerum, quæ tractantur, ad quas, in abditis, et abstrusis Naturæ positas, perpauca possunt ingenia penetrare: putant de his libris esse querelam illam, et quasi expostulationem Alexandri ad Aristotelem, quòd libros de philosophia, privatim sibi in schola prælectos, evulgasset, Aristotelem ita regi satis fecisse: libros illos editos fore tamquam non editos: neminem intellecturum, nisi qui ab eodem ipso Aristotele audivisset: leguntur de hoc Græcæ epistolæ Alexandri ad Aristotelem, et vicissim Aristotelis ad Alexandrum, quæ omnia existimo esse conficta, tametsi non ignoro, quid Themistius dicat, Aristotelis libros obscuriores esse foras proditos, quàm essent domi discipulis traditi, quod mirandum non est, quis enim tam explicate et dilucide scribit, quàm docet? Hæc est meta totius philosophiæ naturalis, hinc studium humanæ mentis duas in partes tamquam in vias scinditur, altera est de contempla-

tio-

tione virium, atque efficaciarum corporum naturalium, in quo medica ars continetur, altera est de animorum contemplatione ad eos formandos, in quo philosophia: de utraque istarum extant Aristotelicæ doctrinæ libri.

DE ANIMALIBUS.

DE historia animalium volumina duo et viginti, quibus animalium omnium generatio, partes, ingenium, vires, atque actiones explicantur, quibus nihil est ad cognoscendum vel jucundius, vel conducibilius; hos libros octoginta talentorum Græci nominant, quòd tantum Rex Alexander impenderit in ejusmodi observationem, nempe in coëmendis belluis, et conducendis his, qui singulas belluarum actiones diligenter observatas, et perspectas ad Aristotelem referrent: stilus est hîc, nempe in historia, fusior, ac ornatio, et non rerum modo amplissimarum cognitio, sed ingens quoque verborum copia, quæ non sunt passim cuivis obvia.

PROBLEMATATA.

DISputationes libri hujus Aristoteles *Encyclias* appellat, hoc est circulares, sive quòd in circulis sint habitæ, et consensu auditorum rogantium doctorem, et annotantium quæ ab illo responderentur, quemadmodum Horatius, scriptorem cyclicum, appellat, circumforaneum qui opera sua in circulis recitaret, seu quòd de iis rebus agitur, quæ Græci solent appellare *ἐγκύκλια*, hoc est circularia, quæ sunt quotidiana de usu vitæ communis, de quibus senes et patresfamilias soliti sint in circulis suis disserere; unde encyclopædia dicta, non illa disciplinarum connexio, de qua Plato loquitur, et Quintilianus, sed de qua Plinius in præfatione Historiæ Naturalis. Apparet autem opus hoc non esse ab Aristotele conscriptum, sed ex disputationibus illius ab auditoribus collectum, et congestum; multæ insunt in eo repetitiones, quas nunquam reliquisset auctor ipse, si in ordinem digessisset quæ disputat, et consignasset monumentis litterarum, reliquit autem studiosus coacervator, dum majorem diligentiam adhibet in cogendo, quàm judicium in disponendo; multæ insunt in eis rationes

Tom. III.

E

fri-

frigida, leves, diluta, aliena ab Aristotelici ingenii gravitate, atque acrimonia; alia obscura, et molesta, sunt enim dubitata omnia, nihil affirmatum; quae autem inter colloquendum, inquirendumque excidebant, ut usu venit, tenuia, inania, ambigua, non minus rapta sunt ab avidis auditoribus, quam dilucida illa, gravia, et solida: ita conflatum est opus egregium sane, sed inaequale, enorme, et multis in locis sui dissimile.

LIBRI MORALES.

IN altera disciplina via, quae est de moribus, multa sunt etiam Aristoteli scripta pari iudicio, et admirabili prudentia; mores componendi vel publici sunt totius civitatis, vel privati, et in privatis alii sunt domestici, nempe familiae, alii proprii uniuscujusque; de publicis sunt octo libri Politices: de familia liber Oeconomicus: de suis cujusque, Ethica, Magna moralia, et moralia ad Eudemum: et quemadmodum in libris Physicis, et Dialecticis usus est multum exemplis mathematicis ex geometria, atque arithmetica, ita in his moralibus sumit exempla ex poetis et historicis: utrunque fecit magno consilio; nam in tractatione earum disciplinarum, quae certis, et definitis, et perpetuis continentur formulis, cujusmodi sunt quae de Dialecticis, aut Physicis praecipunt, commodissimum est exempla ex iis rebus desumere, quae certa sunt, fixa, et immutabilia, in qua nota praecipuum gradum obtinent quae mathematica nominantur; in rebus autem morum, quae totae versantur in hominum vita, congruentissimum est et exempla adhibere sumpta de vita, qualia suggerit historia quam plurima, tum eorum uti sententiis, qui vitam acutissime inspexerunt, annotaverunt, expresserunt, cujusmodi sunt poetae, atque oratores: facti sunt plerisque in locis Aristotelis morales libri obscuri, et ad intelligendum perdifficiles, ex allusione, et tamquam indicatione celerrima tot historiarum, dictorumque poetarum, atque oratorum veterum, adde etiam proverbiorum, et sententiarum vulgarium; sed hoc non est Philosopho imputandum, tamquam consulto tenebras offuderit suis libris; quid enim ille voluit dici apertius, quam quae ad universorum utilitatem praeciperet de mo-

ri-

ribus? Imputandum est injuriae temporis, quod nobis magnam partem illorum scriptorum ademittit unde Aristoteles illa sumserat, iis autem, quos reliquit, magnas invexit per seignitiam nostram tenebras; nam illa omnia, quae ab Aristotele notantur, quasque indicantur digito, notissima erant studiosis hominibus illo seculo, maximaque ex parte etiam in vulgus cognita, et trita, studium autem mathematices in Platonis schola adeo erat cultum, atque usitatum, ut nihil de mathematicis dici posset illis incognitum, itaque exempla illinc, similitudines, comparationes, ad dissertationem, ac disputationem omnem, tamquam ex rebus notissimis, et familiarissimis petebantur.

ETHICA.

H^{abitus}, est animi seu habitus, seu compositio, seu conformatio, unde mores nascuntur, sunt etiam mores ipsi, nam mores et pro exterioribus actionibus usurpamus, et pro interiore illa animi affectione, ac formatione, de qua nunc loquebar; habitus hic quemadmodum rectus futurus est, integer, decens, et naturae humanae congruens, docet his decem libris, ostendendis formulis, et quasi facie, ac delineatione virtutum; inscribuntur ad Nicomachum filium, qui ei ex Herpylide natus est, nec desunt qui dubitent an sint ipsius Nicomachi, ut Cicero libro quinto, de Finibus; nam Aristotelis ipsius alios habemus ejusdem argumenti, quae *Magna moralia* dicuntur, tum etiam quae *ad Eudemum*, ut superfluum videri possit tam multa esse eadem de re ab Aristotele composita; sed mihi tamen nihil tam videtur Aristotelicum, quam hoc opus, verbis, contextu dictionis, brevitate sententiarum, pondere, acumine argumentorum, ordine, seu verius serie, tota denique praecipienda ratione, ut si Nicomachi sint non Aristotelis, filius ita expresserit patrem, ut non tam videri possit simillimus, quam idem prorsus.

MAGNA MORALIA.

H^{aec}, et quae sunt ad Eudemum, ejusdem fere argumenti, cujus *Ethica*; dicuntur vero ad Eudemum explicatius quaedam, tum

E 2

in

in Magnis moralibus universalibus nonnulla, quæ idcirco Magna moralia nominantur: ex parte secundi libri Magnorum moralium, et septimi ad Eudemum, conflatus est libellus, qui de *Fortuna* inscribitur, ut annotavit Joan. Franciscus Picus.

OECONOMICA.

DE *Administration rei familiaris*. Diffusius quidem locum hunc exequutus est Xenophon Atheniensis, sed Aristoteles acutius, et nervosius, non tam habita quæstus ratione, ut ille, quàm officii totius familiæ, et quietis domesticæ.

POLITICA.

Liber hic, in octo volumina divisus, refertissimus est rerum vitæ utilissimarum, et quas sciri non minus est jucundum, quàm fructuosum; de civitate, de ejus regimine, quid quæque facere deceat, quomodo imperare, quomodo parère; difficilem eum reddunt tot formæ legum et rerum publicarum, quarum historiæ bona ex parte intercederunt.

RHETORICA.

QUUM Isocrates magna gloria doceret Athenis rhetoricen, motus æmulatione illius Aristoteles, ipse quoque horis pomeridianis rhetorica præcepta suis tradidit, sæpe illud usurpans: *Turpe Aristotelem tacere, Isocrate dicente*, etsi hoc alii non de Isocrate dictum referunt, sed de Xenocrate, quem Plato Academiæ præfecerat; non habet Aristoteles Veneres illas, et calamistra Isocraticæ orationis, sed de arte tamen dicendi, nihil prorsum videri possit quicquid est a veteribus traditum, si cum Aristotelicis præceptis conferatur; observavit Gorgias Leontinus, vel primus, vel de primis, aliquid in hoc exercitationis genere, auxerunt id Plato et Isocrates; Aristoteles vero, ab ultima origine tota hac disciplina repetita, ita perduxit ad summum, ut nihil videatur deesse, explicata inventionem, dispositionem, elocutionem, admista ingenti sententiarum copia, et gravissimis monitis ad usum forensem ac civilem instructa prudentia: plane

ne ut dialectices, ita etiam rhetorices inventor existimari debet Aristoteles: difficultas est in hoc opere, quæ in aliis Moralibus, ex allusione crebra ad dicta Poëtarum et historicorum, ad exempla, ad proverbia, ad sententias vel cognitionem vulgari tritas, quæ jam olim obsoleverunt: dicuntur hæc rhetorica ad Theodecten, quod illi sint inscripta, qui fuit Aristotelis discipulus, unusque ex iis, qui de memoriæ vigore celebratur, quæ autem rhetorica de præceptis civilibus leguntur ad Alexandrum, non videntur mihi esse Aristotelis.

JOANNES LUDOVICUS VIVES

IN PSEUDO-DIALECTICOS.

JOANNI FORTI SUO

S. D.

QUUM existimarem futurum brevi, mi Fortis, ut Te Parisiis viderem, quo ire quotidie constituebam, credebam etiam me hæc eadem Tecum coram acturum, quæ (quoniam per occupationes meas non licet mihi Lovanio egredi, neque sat scio, quando istuc ibo) litteris sum modo necessario commissurus; neque enim duxi diutius differendum, quo minus redderem Te certiolem, quid jampridem expostulant mecum homines doctissimi, et amantissimi mei, quibus cum familiariter dum commentor, incidimusque in mentionem renascentium litterarum, et simul cum illis, hoc est cum suo seminario disciplinarum omnium meliorum; id enim fere agimus, ut gratulemur nostro seculo maxime queri illi solent Parisiis, unde lux totius eruditionis manare deberet, mordicus homines quosdam fœdam amplecti barbariem, et cum ea monstra quædam disciplinarum, velut sophismata, ut ipsi vocant, quibus nihil neque vanius est, neque stultius; quæ cum exactius homines nonnulli ingeniosi consecantur, tum sua bona ingenia perditum eunt, tum tamquam fertiles agri, sed incul-

Sophismata
monstra.

culti, magnam inutiliam herbarum procreant copiam, somniant et confingunt sibi ineptias ac novam quandam linguam quam ipsi soli intelligant.

Pars maxima doctorum hominum totam hujusce rei culpam in Hispanos, qui istic sunt rejicit, qui ut sunt homines invicti, ita fortiter tuentur arcem ignorantiae, et optima ingenia, ubi intenduntur, valent, tradunt se se his deliramentis, fiunt in illis summi, siquidem in re infima et despiciatissima quisquam summus esse potest, ita eos pessime mereri ajunt de toto studio Parisiensi, ut qui illud infame apud gentes omnes reddant, quod enim est tam tritum hominum sermone proverbium, quam illud: *Parisii doceri juventutem nihil scire, atque adeo insane et loquacissime delirare?* reliquis omnibus in studiis, etsi sunt vana et futilia nonnulla, esse tamen solida multa, in unis Parisiis vix esse nisi nugacissimas nugas, debere Hispanos ejusmodi simul cum aliis omnibus qui eos sectantur, aut cogi ut aliis melioribus se se dederent disciplinis, aut edicto publico expelli tamquam corruptores et morum et eruditionis, nam per Gallos non stare quominus finis aliquando tandem fiat desipiendi; ita et me quoque increpant, qui pro mea parte vos, quis istic estis, meliorum non admoneo. *Parum putas, mi Fortis, me plerumque hisce verbis commotum? Non quod eos falsa dicere crederem (quis enim rem ipsam ita se habere non videt? quam ipse tacita tua cogitatione satis agnoscis, non est opus ut quenquam nominem) sed quod ad eum modum de civibus deque conterraneis meis existimarent, de quibus omnibus patria quadam caritate nollem nisi quam optime ab omnibus et sentiri et praedicari; tum etiam quod ad me quoque partem illius vituperationis attinere existimarem, qui aliquando ex isto numero fui, nec sunt mihi adhuc asini omnes, et portentosa illa vocabula, tantum, alter, alius, uterque, incipit, desinit, immediate, oblitterata, quae una est atque ea praecipua causa, quare de hac ista re loqui audeo; nam si haec quibus homines inepti gloriantur, nota mihi non essent, ne hiscere quidem in his auderem, novi enim quid confestim solita sua insolentia jactant: *Dammat quia non intelligit.**

Sophistica insolentia.

Ve-

Verum Tu es ipse testis, sunt et alii condiscipuli mei, me non degustasse solum has insanias, sed etiam intima pæne illarum penetrasse, modo intimum esse possit in re, quæ utpote vitium, in immensum protenditur periculum si quis non credit: non hæc gloriandi gratia dico, neque enim gloria materiam ullam video; utinam non tam in illis promovissem, quæ quoniam tenero adhuc animo accepi, summoque cum studio, ideo tam tenaciter herent, ut elui nulla a me arte queant, et mihi vel invito occurrant, obversenturque præsentem in cogitatione! Sentio quanto sint plerumque impedimento, quum ad res meliores pergo, cogunt me interdum in gravissimis ludere, atque ineptire, et si quemadmodum magistri sunt qui illa docent, ita essent qui dedocerent, ut Timotheus ille musicus faciebat, ad hos ego me quam primum magna cum mercede conferrem, et sum modo in ea conditione, in qua olim princeps Græciæ Themistocles, qui Simonidi artem memoriae tradenti respondisse fertur: *Malle se oblivisci quam recordari*, ita et sunt mihi nonnulla quæ tanti facerem dediscere, quanti alia addiscere permulta; utinam ut pecuniam, vestes, libros, merces, et alia hujusmodi, ita et hæc commutare donareve liceret! Sunt qui magno emunt hæc scire, ego magno emerem ut his me illi exonerarent, ut sibi acciperent; ita facerent, ut ipsis quidem videretur, triplex emolumentum, et pecuniæ quam daturi essent, et quam acciperent, et istius ineruditæ eruditionis, quæ quid habeat dignum propter quod, non dico ut amplexari debeat, sed ut ne rejici ab omnibus publice tamquam pestis aliqua et ingeniorum corruptela debeat, quæso ipsi vos perpendite, et intra se se unusquisque ferat sententiam.

Ego, et in epistola, et quæ ad Te tam prudentem virum scribitur, prolixus esse non possum, ac neque debeo, solum rei summas et capita colligam; Te et alios, si qui sunt, qui hæc legent, precor, ne vos perturbatione aliqua rapi sinatis, sed advocata in consilium ratione, hæc omnia æquis auribus et animo accipiatis, judicium, sententiamque nec voce nec tacita cogitatione ad finem usque feratis. Hoc igitur primum docemus in dialectica puerum, esse hanc viam ad reliquas disci-

Themistocles oblivisci malebat quam recordari.

Dialecticæ via ad reliquas disciplinas.

pli-

plinas, at qua in disciplina utitur quisquam sana mente istis tam insuavibus et fatuis ineptiis: *Tantum cuiuslibet hominis præter Sortem quilibet non asinus c. et alterum c, ipsiusmet hominis nigrum contingenter incipit esse: desinit Angelus non a quodlibet a, et b, Angelus non esse*: Ne in illis quidem vocabulis quæ quidam pro his substituunt: *Tantum cuiuslibet presbyteri et alius alterius presbyteri quodlibet sacerdotium non curatum præter quam canonicatus necessario non est*: ¶ Tum dialecticam quis non videt scientiam esse de sermone? quod ostendit ipsa Græca nominis ratio *Διαλεκτική καὶ λογική* uti est rhetorice, uti et grammaticæ, ¶ jam de quo quæso sermone est ista vestra dialectica? ¶ De Gallico? ne an de Hispano? ¶ an de Gothico? ¶ an de Vandaliço? Nam de Latino certe non est; dialecticus enim iis uti debet verbis, iis enuntiationibus, quas nemo non intelligat qui sciat linguam illam, qua is loquitur, velut Latinam, si latine se dialecticus profiteretur disserere, Græcam, si græcæ; at isti non dico non intelliguntur a doctissimis latine, cum se latine dicant loqui, sed interdum ne ab hominibus quidem ejusdem farinae, seu ejusdem potius furfuris.

Sunt enim pleraque, quæ nosse nemo potest nisi is qui confinxit, multa, quæ tamquam Apollinis oracula mire connecta et convoluta, explicatore aliquo et interprete divinæ mentis egent: tunc omnia fere, quæ in syllogismis, in oppositionibus, in conjunctionibus, disjunctionibus, explicationibusque enuntiationum, tractantur, aliud non sunt, nisi quæstiones illæ divinandi, quas sibi invicem pueri et mulierculæ inter lusus proponunt: ¶ *Quæ res est, quæ ex alto decidens non rumpitur, in aquam si ceciderit, dissolvitur*: simile prorsus est illud, quod isti semper habent in ore: *Dæ casum*: quid enim aliud id sibi vult, nisi, dic mihi: ¶ *Quæ res est, quæ est hominis quilibet asinus, non tamen est quilibet asinus hominis*? quod si tu divinaris quid illud sit, quod sub illis verborum involucris contextum latet, quid alter mutire possit non habet, ut ille, qui cum proposuisset: ¶ *Quid esset terrigena, tardigrada, domiporta, sanguine cassa*? dictumque ei fuisset esse cochleam, obrucuit, neque enim aliquid illi erat quod adjicere suæ quæstioni valeret; quare præclare agitur cum

Dialectica
scientia de
sermone.

Obscuritas
sophismatum.

Sophismata
quæstiones
puerorum.

Da casum.

cum istis hominibus, quod disputant, licet corruptissime, licet pessime, aliqua tamen specie sermonis latini, nam si a vulgo tales dementiæ intelligerentur, tota opificum turba illos e civitate suppleret, sibilis, clamoribus, strepituque suorum instrumentorum eiceret tamquam stupidos quosdam homines, et carentes sensu communi, quales sunt omnes fere, qui istis in rebus versantur: ¶ an putat quisquam Aristotelem suam dialecticam ad sermonem, quem ipse sibi confinxerat, et non potius ad vulgarem illum Græcum, quem totus populus loquebatur, accommodasse?

Mira profecto istorum dialectica, cujus sermonem, quem ipsi latinum esse volunt, Cicero, si nunc resurgeret, non intelligeret; quod non minus profecto vitium in dialectica est, quam si in grammatica, si in rhetorica, sermone quisquam utatur, quem ipse sit commentus, non quo ceteri homines utantur; sunt enim hæc tres artes de sermone, quem a populo accipiunt, non ipsæ tradunt; nam prius fuit sermo latinus, prius græcus, deinde in his formulæ grammaticæ, formulæ rhetoricæ, formulæ dialecticæ observatæ sunt, nec ad illas detortus est sermo, sed illæ potius sermonem sunt æcutæ, et ad eum se se accommodarunt, neque enim loquimur ad hunc modum latine, quia grammatica latina ita jubet loqui, quin potius e contrario, ita jubet grammatica loqui, quoniam sic Latini loquuntur; res eodem modo se habet in rhetorice et dialectice, quarum utraque in eodem sermone versatur, quo grammatica: unde est illud verum et falsum præsupponere congruum: dialectica itaque in hoc vulgari, et qui est omnium in ore sermo, verum, falsum, probabilitatem invenit, rhetorice vero ornatum, splendorem, gratiam, quæ qui ignorat, is profecto imperitissimus est, et in portu impingit, ac velut Cantherius ille Sulpitii Galbæ, longum ingressus iter, in porta cadit, quumque in exordio suæ disciplinæ fallatur, necesse est ab illa eo longius aberraret, quo magis promoverit; quod si quisquam fuerit qui hæc pertinaciter et verbis et animo pernegarit, huic ego consulo, quisquis tandem fuerit, ut ne horulam ac ne momentum quidem moretur, quo minus quamprimum navim cons-

Aristoteles
ad quem ser-
monem ap-
tavit suam
dialecticam.

Artes post
sermonem
inventæ.

Cantherius
in porta.

cendat; et ad cerebrum helleboro ab insania liberandum, rec-
ta naviget Anticyras.

Quamvis miror aliquem esse, qui hæc ignorare possit, mo-
do paullulum cogitationi de harum artium ratione velit inten-
dere; nam ut in grammatica, non idcirco hæc est latina ora-
tio, *Homo est albus*, quòd illa sic præcipit, nec in rhetorica
schemata illa eloquutioni nitorem et cultum afferunt, quòd
rhetorica jubet, sed potius quòd illam orationem populus Ro-
manus, qui vere latine loquutus est, latinam judicavit; ideo
grammaticus non jubet eam esse latinam, sed docet, et quia
pulchra illustriaque videbantur illa schemata loquentibus, id-
circo rhetorica diligentia ea observata tradidit: ad eundem mo-
dum in dialectica usu venit, non enim quia præcipit ipsa enun-
tiationem eam esse veram vel falsam, quæ est de indicativo,
eam non esse, quæ est de aliis modis, continuo ita est, nec
quia vult hanc esse conjunctionem sive conjunctivam, *Homo est
animal, et animal est corpus*, aut hanc esse disjunctivam, *Tu es
albus, vel tu es niger*, protinus et ita res habet, nam antequam
ulla dialectica inveniretur, ea erant, ut dialecticus esse docet,
quæ idcirco docet, quoniam loquentium sive Latine sive Græ-
ce consensus approbat, quapropter præcepta dialectices non mi-
nus, quam grammatices atque rhetorices, ad usum loquendi
communem aptanda sunt. Verum isti qui sophistæ nominan-
tur, quoniam ingenium eis deerat, et eruditio, qua quidvis
auditori et contra disputanti verisimiliter probare possent, id-
que vulgaribus notisque vocabulis atque orationibus, quibus
unusquisque uti debet tamquam numis quibus publica forma
est, quod erat verum dialectici munus, confinxerunt ipsi sibi
nescio quos vocabulorum significatus, contra omnem homi-
num consuetudinem et usum, ut tunc vicisse videantur, cum
non intelliguntur.

Nam cum intelliguntur, tunc plane nihil frigidius, nihil
dementius fieri posse omnes vident: ita turbato eo, quicum
certant, mira et inusitata vocabulorum forma atque ratione,
miris suppositionibus, miris ampliationibus, restrictionibus, ap-
pellationibus, ipsi tunc sibi ipsis nullo publico consilio atque

sententia decernunt triumphum de hoste novis verborum præ-
tigiis turbato, non victo: etenim quis Cato, Lælius, Cicero,
Cæsar, Salustius, Livius, Quintilianus, Plinius, et qui primus
de dialectica scripsisse latine fertur, M. Varro non hæreat, *Si
quis istorum cum sit ebrius, Jovem lapideum juret, se vinum non bi-
bisse, quia vinum quod est in India non biberit?* Si cum videat
regem Galliæ maxima famulorum manu stipatum, alter ajat,
*Regem hunc famulos non habere, quia non ejus sint illi, qui Regi
Hispaniæ famulantur?* Tum etiam si asserat, *Varronem cum sit
homo, hominem tamen non esse, quia Cicero non ipse sit Varro; ca-
put nullum hominem habere, cum tamen nullus homo capite careat; plu-
res esse non Romani quam Romani in hac aula, in qua sunt Romani
mille, Hispani duo; omnesque homines, qui sunt in orbe esse non viden-
tes, quia sunt cæci nonnulli; cujusvis hominis asinum et animal non es-
se, et non esse animal, ne asinum quidem, quum adhuc nullus sit visus
asinus, qui non sit et animal et asinus; si dicat quoque meretri-
cem in lupanari multis prostratam annis, virginem fore, et e di-
verso, virginem castissimam jamdiu prostrasse, et scortum fuisse;*
et, *non vendi piper Parisiis et Romæ, quum nec Parisiis, nec Ro-
mæ piper gratis quisquam accipiat, sed bona bene numerata et bene
appensa pecunia emat; Socratem quoque in carcere clausum, unumque
aliquod sidus videntem, videre omne sidus, quum non omne sidus vi-
deat;* et hoc axioma, sive ut Cicero transfert pronuntiatum, es-
se verum, *Omnis homo qui filium habet, est pater, quum hoc sit
falsum, Omnis homo est pater, qui filium habet; Socratem et hunc
asinum esse fratres; duas enuntiationes contradictorias, etiam in sen-
su contradictorio veras esse;* ita ut nemo sit tam imperterritus et
confidens, qui quum videat hæc monstra, non ilico Herculis
illius monstrorum depulsoris opem cogatur implorare.

Transeo illa, quæ magis ad risum faciunt ex sua tanta fa-
tuitate; *Antichristus et Chimæra sunt fratres;* nihil et nemo mor-
dent se in sacco; *Asinus Antichristi est filius Chimære;* atque hæc
quidem viderent utcumque latine esse dicta, illa vero ausim
dejerare in toto Latio, et antiquo et novo, neminem unquam
fuisse qui latina esse putasset: *Omnes duo Apostoli Dei, et alii duo*

Apostoli Dei sunt duodecim: Omnes omnes Apostoli Dei sunt in hac aula; non non homo non possibiliter non currit; negationibus aliis super alias in pronuntiato inculcatis et infartis, tamquam in cophino caricis aut uvis passis: tum accedunt hæc non minus egregia: Quolibet qualelibet de quolibet tali scit ipsum esse tale, quale ipsum est; ipsiusmet hominis quilibet asinus, non asinus et non asinus est; ipsemet homo est quilibet homo; tantum homo et alter alius homo sunt g. ipsiusmet hominis et a. quilibet asinus hominis est; sortis et alterius f. materia ipsiusmet f. et quilibet homo sunt; quilibet homo non præter non Sortem non currit; Sortes non in quantum non homo non est animal; quid illa? c. hominis quasi quilibet asinus est b. non animal, a. homo et quilibet qualislibet non Sortes uterque alter homo et d. p. necessario sunt: ut a. b. c. d. faciant illas suppositiones confusas, determinatas, et ex his mistas.

Commistiones Sophistarum.

Adde etiam commistiones majores, quam ullus unquam pharmacopola facit, e. f. g. h. i. k. ita ut nonnulli ad decimam usque litteram secundi alphabeti jam recurrerint, mira suppositionum genera somniantes et confundentes; inviderunt scilicet isti homines mathematicis, quod illi soli litteris uti viderentur, ideo et ipsi quoque totum alphabetum suos in usus transtulerunt, ut nemo sit cum hæc videat, qui possit negare ejusmodi homines esse litteratissimos. Verum cum ad mathematica pergunt, si hoc unquam deus illis tribuit, offenduntur nonnihil, quod quid sibi elementa illa velint, parum sciunt; audio quendam ex his, cum se se geometriæ studio dedisset, putasse lineam, quæ signabatur per b. positam determinate, quæ vero per a. eodem modo se habere, quo ipse, videlicet, confuse tantum, nam a. et b. tantarum sunt virium, ut totum confusum et indiscretum ordinem, aut inferiorum, aut illius antiqui chaos, unicum b. præpositum possit reddere discretum et determinatum, et e contrario, rectissimum cælorum ordinem solum a. possit invertere atque confundere; verum hæc ipsi quum audiunt, ilico dicunt: *Ego sic mente concipio: hoc est plane, quod in reliquis quoque faciunt, lutum luto purgate; primum, quis, nisi eorum stultitia et perversitas, ju-*
bet

Vires A. et B.

bet eos ad eum modum intelligere contra omnem usum rationemque loquendi? Deinde, quamvis ita concipiant, insolenter, atque adeo parum humane agunt, si sermone sibi solis noto proferant, et non aliorum more.

Tum etiam, quis non videt artes, quæ de sermone sunt, non ea tractare, neque curare, quæ unusquisque vel delirans, vel ineptiens, sibi confinxit, sed ea quibus homines omnes utuntur, qui sermonem illum loquuntur? An si ignarus aliquis, per pronuntiatum hoc, *Tu es flavus*, intellexerit hominem esse leonem, protinus illud falsum erit, et non potius verum, quia ex suo vero significato ita significat quemadmodum est in ipsa re? Nam sicut præclare in libro de Legibus primo inquit Cicero: *Vera et falsa et consequentia et contraria, sua sponte, non aliena dicantur*: id ni ita esset, quid superest, nisi ut sunt isti latinæ linguæ imperitissimi, si quis ursum intelligat per aprum, et per galerum navem, velint quoque vocabula ad eum modum significare, quo ille prave intelligit? Mihi, inquit, ita notat: tibi vero quia ignarus; at alii docto, et ex sua vera significatione, secus: quæstio est de verbis, inquiunt: et vere de verbis, quæ quia non capiunt, corrumpere volunt, nos defendimus; quod si legem unusquisque de verbis feret ut apud se significant, quid attinet, non dico latinam linguam, sed ne ullam prorsus addiscere, quum illud facilius sit verba id demum significare, quod unicuilibet visum fuerit, et quot erunt mente concipientes, tam varios habebunt significatus, ita tandem, ut nemo alterum intelligat, quum unusquisque verbis suo more utatur, non communi.

Tunc quoque si quis conqueratur, de verbis erit quæstio, quam vos gravissimi philosophi, quum de dialectica disputeretis, contemnere vos dicitis, perinde ac dialectica, naturalis, vel moralis esset philosophia, quæ modo rem, et sensa teneat, negligit verba, et non potius sit ars, quæ non de rebus aliis quam de verbis disputat, quasi vero tota vestra Sophistica illa disciplina aliud quicquam sit, quam captiones ex depravatis verborum significationibus; quod si de his vos curare negatis, non videtis totam vestram Sophismatum nebulam uno ver-

Dialectica de verbis non de rebus.

Sophismata ex depravatis significationibus nascuntur.

bo discussam esse? Verum hoc ipsi non jactant quousque verborum corruptiones quas ex sua ignorantia faciunt, aliquis deprehendit. Adde quòd si hæc, quam ita concipiunt, volunt dialecticem docere, imponant etiam eandem legem grammaticæ, et rhetoricæ, ac sua stulte excogitata in has quoque artes transfundant, jubeant grammaticum more suo loqui, ut ea quæ dicunt, latinitati congrua esse videantur, nam alioqui non video quæ possint ea defendere dialectica, vera, vel falsa, cum hoc isti in principio suæ artis affirmant, verum et falsum congruum sermonem exigere, id est plane sine solæcismis, ut de barbarismis taceam: quid? si concipiunt eum, qui sit vino inebriatus, vinum quod est in India non bibisse, cur non proferunt simplicius, et ad hominum sensum accommodatius? *hic homo vinum quod est in India non bibit*, aut sic, *vinum aliquod est, quod hic homo non bibit*, aut, *hic homo non omne vinum bibit*, sive, *nonnullum vinum non bibit*: similiter cur non dicunt? *Tu nonnullus homo non es*, aut, *non es omnis homo*, potius quam, *tu homo non es*, per quam nemo est, qui non intelligat, eum non esse hominem, de quo id dicitur.

Tum si volunt dicere esse hominem omnem animal, non tamen hoc unum animal, aut illud, sed singulos homines esse singula animalia, quid attinet litterulas exquirere, *animal est omnis homo*, potius quàm sic rectius efferre, *omnis homo est animal*? Quid? quærun't ne meliorem panem quàm triticeum? Scio, quid dicent: non esse in illo simplici, genuino, vero ac recto loquendi modo locum cavillo, qui ab ipsis in primis quæritur: ita ne? Vos ergo ut cavillum inveniatis totam sermonis rationem parati estis diruere, ut illi qui ut murem unum, pressi obsidione, invenirent, magnam muri partem demoliebantur; sed attendite quàm id prudenter a vobis fiat: quæ nam quæso potest patere occasio cavillationi in verbis, quæ tu tibi arbitrato confinxisti tuo? Si enim hominem aliquem appellares, et ea vox asinum tibi significaret, putas illum injuria affectum iri? Cavilli, joci, scommata, dicteria, contumeliæ, injuriæ, si verbis fiant, non dico ab eo qui dicit confictis, nemini notis, nam hoc stultissimum est, sed si obscuris jactentur

tur verbis, frigida et insulsa sunt, nihil plane valent; Daphyta, Euthydemus, Dionysodorus, et reliqui olim qui cavillabantur, vocabulis, orationibus, quibus utebantur omnes, subdola quadam et latenti ratione ludentes, fallebant versabantque respondentem; Aristoteles ipse, quum duobus elenchorum voluminibus sophisticas præstigias tractet, viamque illarum vitandarum aperiat, non earum modo quæ jam antea fuerant, sed etiam quæ inveniri postea poterant, ut fuit vir ille divino ingenio, indefesso, et singulari, redactis omnibus more suo in præcepta, formamque artis, nullius tamen unquam adeo ridiculi, seu potius impudentis, sophistici elenchi meminit, qui novis inusitatisque vocabulis excogitatis, aut veterum verborum significatione mutata, eludere ac fallere tentaret; et hoc loco subinde illud detortis nutibus magno cum fastidio objectant: *Nomina significant ad placitum*: sane ita est: sed videndum est tamen ex quorum placito et voluntate nomina significant, non enim arbitrio Parthorum, aut Indorum, significant nomina Romana, nec e contrario pro Romanorum libito significant Parthica vel Indica, sed pro arbitrio Romanorum Romana, pro arbitrio Parthorum Parthica.

Si ego dialecticam Vivicam, Tu Forticam, ille Laxeam, alius Dullardiam profiteamur, certe ut nobis collibitum fuerit, vocabula significabunt, sin vero latinam dialecticam pollicemur omnes, ex instituto moreque latinorum significabunt voces, non ex nostro, indignumque et stultum est in dialectica latina nominibus uti Geticis, aut Sarmaticis, ac ne iis quidem, sed verbis nullarum gentium a nobis exominiatis; nam ex istis ipse pervellem audire, si dialecticam vel hispane vel gallice essent tradituri, quod tam fieri potest, quàm latine, aut græce, num regulas suo ipsorum arbitrato, et non potius ex ipsius sermonis ratione formarent? An quemadmodum in latina lingua duæ negationes unam affirmationem reddunt, ita et esse vellent in hispana, in gallica, in græca, apud quas, uti et apud reliquas fere omnes, negatio geminata majorem habet negandi vim quàm simplex? Quod si in dialectica, aliis linguis tradenda, leges accipere ab ipso usitato sermone, non fer-

ferrent, & cur in lingua liberrimi populi Romani hanc volunt exercere tyrannidem, ut cogant ipsam a se hominibus infantissimis, et barbarissimis, loquendi leges accipere? Huc pertinet illud quod passim jactant, *de rigore*, ut quòd hæc enuntiatio, *Tu homo non es*, ad bonum quidem sensum sit falsa, ad rigorem autem vera: idcirco ab eis conceditur, quia carent bono sensu, et cum solo rigore loquuntur quavis glacie frigidiore: ac volunt quidem rigorem hunc a solis dialecticis et intelligi, et peti, et quamlibet nihil magis habeant in ore quàm rigorem, moriar tamen, si ullus illorum scit quid est hic rigor, et ubi situs est; sed ut intelligant quod ipsi omnes ignorant, prudentiusque posthac et aptius uti possint ipso rigore, docebo eos quid sibi velit rigor hic, quem toties in ore habent.

Quid sibi velit rigor.

Est in unaquaque lingua sua loquendi proprietates, quod a græcis *ἰδιόματα* dicitur; sunt et vocibus sua significata, suæ vires, quibus nonnunquam indocrior ipsa multitudo abutitur, doctiores indulgent utcumque plebi in sermonis usu, ipsi inter se se et aliter sentiunt, et loquuntur, quamvis hæc non usque adeo multa, et fere in philosophicis abditisque sint rebus, quas ipse populus non ita exacte callet ut a philosophis intelliguntur: dabo unum ex Cicerone exemplum, quo ipsa tota res intelligatur, qui in libro de Fato ad hunc loquitur modum: *Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, quum ita dicimus velle aliquid quempiam, aut nolle sine causa, ut dicamus sine externa et antecedente causa, non sine aliqua; ut cum vas inane dicitur, non ita loquimur ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus: hæc ille: quibus ex verbis apparet in rigore, id est in vero ac germano sermonis sensu, hoc pronuntiatum falsum esse, hæc *amphora est vacua*, similiter et hoc, *tu aliquid vis sine causa*, sed ad sensum vulgarem vera illa nonnunquam esse: est ergo hic rigor ipsa exacta et inflexa loquendi norma, nam tamquam res dura, infracta, et semper recta, appellatus est rigor, quàm bene, illi viderint qui primi sic appellarunt: est ergo, ut apertius eloquar, ipsa proprietates, ipsa expressa, nativa, ac germana vis, ipse rectus, verusque sensus orationum latinarum: at hunc*

Rigor exacta loquendi norma.

hunc abs quibus auctoribus petunt homines ignari? Non a Cicerone, non a Quintiliano, non etiam a Boëtio, hominibus latinis, quibus credi latinis in rebus oportet, sed a Petro Hispano, seu si quis fuit alius ante ipsum, nam de hoc parum video constare, qui confinxit eis suppositiones, ampliationes, restrictiones, appellationes, exponibilia, ex quibus rebus, tamquam ex equo Trojano, totius sermonis et omnium bonarum artium incendium atque ruina exorta sunt.

! O miserum Ciceronem! ! miserum Quintilianum! ! miserum Boëtium! ! miserum Capellam! ! si vim sermonis latini melius novit Petrus Hispanus, quàm ipsi omnes! ! Quis quæso est iste rigor, quo hæc enuntiatio est vera, *Tu homo non es*, hæc falsa, *Animal est omnis homo*, hæc vera, *Antichristus qui fuit, erit*, falsa hæc, *Antichristus erit, qui fuit*, ista falsa, *Astrum videns est omnis homo*, quum sit illa vera, *Omnis homo videt astrum*, ut alia taceam his pejora? ! Quis unquam ejusmodi rigorem tradidit, qui latine scierit? ! An quia Petrus Hispanus, qui latine inscientissimus fuit, somniavit, idcirco et verus erit? ! perinde ac posset aliquis *διὰλεκτον* alicujus sermonis, unde dicta est *διὰλεκτικὴ*, docere, qui sermonem illum ignoret? Jam et de *Incipit* ac *Desinit* pudet loqui: ! quis hunc tradidit tam subtilem rigorem, tam subtilia instantia, tam obtusa nugamenta? ! qua in lingua hæc excogitata sunt? ! an in græca? ! an in latina? ! an in hispana? ! an in gallica? ! Quis unquam negavit puerum una hora, posteaquam ad scholas ductus est, incipere discere? at isti negant, quia multa præterfluxerunt instantia post primum illud quo discere incæpit; tum et hanc falsam esse ajunt, *Fons iste nunc incipit apparere, duabus tribusve horis posteaquam aqua primum manare cæpit*; neque hanc concedunt, *Hæc arbor desinit florere, paullo antequam finem omnino faciat flores emittendi, et fons desinit fluere, una semiborula antequam exiccetur*, atque ita in angustum illorum verborum *incipit* et *desinit* significationes contraxerunt, ut jam nullus eorum possit usus esse, credamque ad istorum legem de nulla prorsum re dici posse, quod aut incipiat aut desinat quicquam vel esse, vel agere, hæc omnia propter adverbium illud, *Immediate*, quod ex media bar-

De Incipit et Desinit.

Immediate.

barie productum, non est minus admirabilium virium, quam illa in quibus conclusum ipsum esse volunt.

Nonne hoc est ex pulcherrima lingua latina facere sermonem tam alienum ab omni ratione et sensu humano, quam illi ipsi sunt, qui hæc faciunt? Tantumne barbaris istis licere in alieno sermone? Et protinus atque identidem (si diis placet) illud objectant: *Loquamur in rigore*: loquantur potius in frigore, et in ipsa etiam glacie, quæ una satis esset ad maximas illas thermas Neronianas frigefaciendas; quasi vel scirent ipsi quid sit rigor, vel ipsorum esset, etiam si scirent, diffinire rigorem, et veram germanamque vim illius linguæ cujus sunt prorsus inscii: cedo isti universi cum suo toto ferreo et gelidissimo rigore, qui latinis hominibus præscribere volunt leges loquendi, intelligant mihi folium unum vel Ciceronis, vel Quintiliani, vel Plinii, vel Livii, vel cujusquam alterius Latini Scriptoris, ne suorum quidem Theologorum, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Augustini, Cypriani: verum obsecro vos omnes, quotquot estis hujus notæ homines: dicat Cicero, per enuntiationem hanc, *Socrates homo non est*, significari Socratem nullum penitus hominem esse, dicat sive Petrus Hispanus, sive quis alius ex sophistis eo quoque indoctior, significari esse aliquem hominem qui Socrates non sit, utri potius fidem haberi par est? An est aliquis tam effractæ frontis, tam perditæ impudentiæ, qui dicere audeat credi magis debere Petro Hispano in vi sermonis latini, quam principi totius eloquentiæ Romanæ? Ergo rigor hic ab hoc petendus est, non a Petro Hispano, atque aliis sophistis: quod si hi Ciceroni contraveniunt, quibus sit potius assentiendum in sensu verborum latinorum, quis non videt? Quod quum semper faciant, nusquam enim non invertunt ac depravant omnia, illi profecto frigide cum sua insania deserendi, deridendique sunt, Ciceroni vero, et aliis latinis auctoribus, parendum; etenim si non a peritissimis latinæ linguæ petitur hic rigor, sed passim confingere indoctissimo cuilibet licet, nec ullus erit rigor, et quilibet suo arbitratu, atque adeo libidine, logicam nobis afferret.

Quod et satis isti faciunt, quum sensa verborum diversi

di-

Rigorem
non esse con-
fingendum.

diverse explicant, unusquisque pro suo ignaro captu; nam hi hoc genus suppositionum asserunt, alii negant, hi sic explicant implicitas enuntiationes, quas exponibiles vocant, alii non item, sed contratio modo; quippe cum res pro inciorum hominum libito et intemperis jactetur, unusquisque sua vult inventa ostentare, alienisque præferre; in quo quæ ars esse potest? quum unus quivis, quod inter potandum aut balneandum ipsi in mentem venit, extemplo asseverat, et chartis illinit atris, vultque pro lege haberi, atque pro eo digladiatur, tamquam pro aris et focus; citius hominem interficias, quam pravam opinionem ab eo avertas: et quia dixi inter potandum et balneandum, ne quis putet id a me per lusum per jocumque dici, librum ostendere possum syllogismorum (cujus auctorem Tu optime nosti) quorum secundi ordinis tertia forma, quæ *Festino* vulgo nuncupatur, inter pocula, in thermis sancti Martini, me, Arnoldo, et Rocca præsentibus, ac de industria cantillantibus ut auctori perstreperemus, ut ex nomine rem sortiretur vere festino, fæda stribligine exarata, et intempestive, tamquam abortus factus, postridie ante lucem ejecta est; quid ni hæc et pejora faciant celeriusque, quorum est tota ars, nulla uti arte, sed sibi unumquenque pro libito viam facere, qua ingrediatur.

Ac tum demum se rem assequutum præclaram existimare, quum ab omnibus per omnia longe discrepat, nihilque sic tradit, ut ab aliquo alio est antea traditum? Et ego nimirum, aliqua ex cogitata vanissima regula, dicam has orationes: *Animal est homo, corpus est iste lapis*, quamvis in bono sensu tamquam veræ recipiantur, in rigore tamen falsas esse, daboque hanc regulam: *Omnem enuntiationem esse falsam, in qua prædicetur inferius de suo superiore*: ut illi in gymnasio Montis acuti, quo nostra importuna fugerent argumenta, formulam sibi commenti sunt: *Omne pronuntiatum, in quo esset alter alius esse impossibile de forma acceptionis terminorum*: consuluerunt bene sibi, nam et impune id eis facere licebat; quis enim rem, quæ pro libidine ab unoquoque, quamlibet inscio, vulgo fingitur, refutasset? Alia etiam stultiora ego comminiscar; reprobare certe nulla ratione poterunt, quin eadem omnia ipsorum excogitata comminuantur.

G 2

tur:

tur: et videamus ; cur mihi homini, qui utcumque latine scio, minus habebitur fidei, quàm conterraneo nostro Petro Hispano, qui ne umbram quidem latini sermonis viderat?

De auctori-
tate faciendi
novas regu-
las.

At fortassis inquit: Tu non habes auctoritatem faciendi regulas, ut habebat Petrus Hispanus: ridiculum profecto responsum, et vere hominum ineptissime delirantium; perinde quasi homini, in extrema Scythia nato et educato, auctoritas esse posset tradendarum in sermone, vel Gallico, vel Hispano, formularum, quem ille nunquam audiverit: ; quis quæso auctoritatem hanc dedit Petro Hispano, ut novas ferret leges in lingua, quam ne de facie quidem norat, cujus etiam si nonnulla vocabula pronuntiabat, vim tamen cujusquam verbi non magis scivit, quàm ille, de quo modo loquebar, Scythia vim sermonis Hispani, cujus nec verbum, vel scriptum legit, vel prolatum a quoquam audivit? Quod ego sane hominis non dico fuisse vitium, sed illorum temporum; modestiam tamen ipsius, ut aliorum permultorum, requiro, qui sua placita, sua plusquam pueriliter somniata, volebant ilico pro lege esse in lingua ipsis ignotissima, ac voluissent juxta vetus præceptum, ut *se se novissent*, nec pelliculam excessissent suam, ne in eos protinus jactatum esset illud ex trivio, quod jam fit passim: *Ne sutor ultra crepidam*.

Præceptum
vetus.

Proverbium

Verum ego a Petro isto Hispano, quamlibet nostrati, seu ab eo qui nobis hanc tam elegantem dialecticam peperit (nam sunt qui putent hæc primum in Britannia aut Hybernia orta, deinde Parisiis alita atque aucta) ab illo igitur, quisquis tandem fuit, pervelim audire, ; cur cum ipse suppositiones, et expositiones illarum enuntiationum, atque horum similia, quæ traduntur in parum logicalibus, nunquam a Boetio acceperit, Aristoteles ipse non præcipiat, tam impudenter illa confinxerit, et præscripserit sensus enuntiationum contra rationem omnem sermonis latini, quem nec primis, ut dicunt, labris gustarat, nec summis olfecerat naribus? Cujus profecto leges veræ si sunt, in Cicerone, Varrone, Quintiliano, Plinio, Boetio, et aliis latinis, latinæ orationes innumeræ, in Aristotele, Platone, Theophrasto, Carneade, Chrysippo, et ceteris Græcis, græcæ, non

Proverbium.

ex

ex ipsius rei, sed ex istarum suppositionum, ampliacionum, expositionum ignoratione falsæ invenientur; nec solum in Aristotelis vel morali, vel naturali philosophia, sed in ipsa quoque dialectica: ; quid quòd nec Petrus quidem ipse Hispanus ad eas quas tulit normas locutus est? Nec est aliquis, non dico doctorum hominum, sed ne istorum quidem Pseudo-dialecticorum, qui ita circumspecte possit loqui, ut in suas vanissimas leges, formasque, passim non peccet; nec mirum, quippe sunt contra omnem loquendi consuetudinem et rationem ab istis somniatæ: atqui Aristoteles ne minimam quidem regulam diffinivit in tota sua dialectica, quæ non congrueret cum ipso sermonis græci sensu, quo docti homines, quo pueri, mulierculæ, plebs denique universa utebatur.

Sophistæ in
suas leges
passim pec-
cant.

Neque enim dialecticus novam facit traditque vim linguæ, sed ex vetere et usitatissima regulas observatas docet, quemadmodum antea disserui; cujus porro philosophi logica brevibus præceptis tota constat, dictionum videlicet natura quæ docetur in libris *Categoriarum*, Enuntiationum viribus quæ in *Peribermenias*, tum formulis collectionum quæ in *prioribus Analyticis*, adjectis, et quæ demonstrant in *posterioribus*, et quæ probabiliter suadent ratione, quæque ad inventionem faciunt, in *topicis*, et quæ astute cavillantur, in *elenchis*; quo instrumento adjutum juvenem mox ad reliquas artes scientiasque transmittit, nam ea quæ aliarum rerum gratia discuntur, de quorum numero est dialectica, non diu occupare studia debent, sed eatenus illis opera danda est, quatenus in iis egemus artibus, quarum causa reliqua comparantur; neque intricat et detinet Aristoteles suum discipulum frigidissimis et stultissimis suppositionibus, ampliacionibus, restrictionibus, litterulis, quæ si ad logicum instrumentum attinere vidisset, ; quis credat virum et ingenio, et studio tanto, inventorem illarum formarum, syllogismorum, atque adeo totius dialecticæ, fuisse prætermisurum? Verum ipse non censuit illa tradenda præter omnem rationem artis dialecticæ, utpote quibus communis hominum et sensus, et sermo non modo non utatur, sed etiam refragetur; quòd si litterulis uti voluisset eo modo quo isti, ; quid atti-

Dialecticus
non facit
vim linguæ,
sed accipit.

Argumen-
tum dialecticæ
Aristotelicæ.

ne-

nebat dicere universalem enuntiationem in particularem converti? ut, *Omnis voluptas est bonum*, sic, *aliquod bonum est voluptas*; et cur non sic expeditius vertebat Aristoteles? *a bonum est omnis voluptas*; tum cum dicis particularem negativam in se non recurrere, quod non bene colligat quispiam, si dixerit, *Aliquod animal non est homo*, ergo *aliquis homo non est animal*, et quid facis?

En doctissimi isti quos Tu prius docuisti, nunc quasi vicissim Te docent sic convertere, *Omnis homo b animal non est*, aut etiam sine litteris in pronuntiatum ejusdem quantitatis, *Aliquis homo animal non est*: at multi ex istis non dissimulant futilia esse hæc omnia, verum illa discenda volunt quod puerorum acuunt ingenia; scilicet, est hæc Arithmetica illa, qua Pythagoras et probabat, et exercebat, et excitabat suorum ingenia adolescentium? Porro si puerorum ingenia dicit rebus hisce acui, et cur senes senibus in Theologia hæc traditis, ut ludibrio potius habere videamini gravissimam et sanctissimam disciplinam quam docere? et facitis quidem more vestro, nusquam non etiam in maxime seriis rebus ludentes, magnamque ubique deludentes audientium spem, ut transeam quæ quidam, etiam prava consuetudine inducti, in medicam artem ex hac juvenili stultitia inferunt maximo cum dispendio valetudinis corporum humanorum; at illud non tacebo, quanta cum jactura et animarum, et totius religionis, hæc a monachis discuntur docenturque, quos non pudet, homines, ut ipsi vocant, religiosos, et quibus disciplinis secularibus nonnunquam interdicitur, has ingeniorum corruptelas amplecti, et arctius frequenter ipsis profanis hominibus: quin et sunt nonnulli ex istis, atque ex eorum numero qui theologi nominantur, qui nihil putant acute posse dici, nisi sit hoc amarissimo condimento conditum, horrida atque inculta barbarie concinatum, istis sophismatum ineptissimis differtum tricis.

Fuit ipsorum quidam, qui cum fama et sermone hominum accepisset Divum Augustinum magnum fuisse dialecticum, incidissetque in manus ejus libellus quidam illius, avidus legit ut aliquem inde casum, aliquam instantiam arriperet; miratum ferunt ipsum, in homine tam logico ne verbum quidem esse

de

de *asinis*, et *alter alius*, non de instantiis, non de casibus, non de reduplicativis, de exclusivis, nec de aliqua ex iis rebus, quæ traduntur in parum seu parvis logicalibus; quin quod homo subtilissimus acerque disputator, quum de Trinitate dissereret, nullam fecerit mentionem de distributione completa et incompleta, de particularizatione, de singularizatione completa et incompleta, de suppositis mediatis, et immediatis, quibus syllogismi illi divini fiunt, quibus sine jam olim hæretici totam nostram de Trinitate sanctissimam fidem fuissent demoliti; ex quibus etiam manant illa nostra, non tam vera et pia, quam illa erant Stoicorum, sed certe admirabiliora Paradoxa: *Filius Dei Deus non est: Spiritus sanctus Essentia divina non est: Omnis filius est pater, et omnis filius non est pater: Deus non est Pater: Essentia divina generat Filium, et Essentia divina nihil generat: Spiritus sanctus, Spiritus sanctus non est: Unus est Pater Deus, ille est suus Filius, et non est suus Filius*: et quamvis symbolum Nycenum, totiusque consensus ecclesiæ neget, plures esse Deos, plures increatos, omnipotentes, creatores, æternos, immensos, isti tamen invictis suis concertationibus tres Deos, tres increatos, totidem omnipotentes, creatores, æternos, immensos esse strenue defendunt, reclamantibus universis patribus, repugnante pietate Christiana, invitis Angelis omnibus cum ipso Deo, dæmonibus etiam confidentissimam istorum mirantibus temeritatem; quin et parturiunt jam nobis eodem ex semine et satu tres Trinitates, totidem divinas usias, profecto enim quisquis admiserit, tres Deos esse, velit nolit, tres etiam Trinitates, Essentias divinas tres concedat necesse est, quomodocumque tandem vocabulorum depravationibus luserit, quodcumque in latus illa tamquam tesseræ converterit; sed ad meum Augustinianum lectorem redeo.

Tum illud pariter mirabatur, quod cum de baptismo tractaret, non disputaret de illis vere theologicis enuntiationibus, et in primis necessariis fidei nostræ, *Aqua requiritur ad baptizandum, et ad baptizandum requiritur aqua, an detur minima aqua que exigitur, minima que non exigitur, maxima que requiritur, maxima que non requiritur, maxima que sufficit non requiritur, maxima que nec sufficit nec requiritur, minima que sufficit nec requiritur*

tur

Paradoxa.

Id est parem
gratiam re-
ferentes.Sophismata
in medicina.Monachi So-
phismata dis-
cunt.

tur, minima quæ nec sufficit nec requiritur, et alia ejusmodi pene divina, sine quibus nostra pietas destrui non potest, construi dicere cogitabam, semper hic erro, nam reliqua destruunt, hæc, hæc sola ædificant, ita ut dubium adhuc esset, cum in sacro baptisterio deest aqua, quot et quam magnis guttis aquæ posset presbyter infantem baptizare, nisi illa doctores scripsissent, quæ quamvis sacerdos ignoret, nihilominus tamen baptizat, idque in fide doctorum qui illa tradiderunt, et ea ut sunt super sententias scripta, fulciunt cum baptismum, tum etiam totam fidem brevi alioqui ruituram, quæ a nemine nec tractari nec proferri possunt nisi sit doctor, quàm doctus ad rem non facit, doctorem esse oportet: verum ille qui ea se in Augustino haudquaquam invenisse miratus est, protinus desiit mirari, et causam cur illa Augustinus non tradidisset, bonis et admodum certis conjecturis deprehendit, quòd ille latine scripserit, hæc vero nisi pingui atque adeo barbaro modo tradi non possunt, nam hic sermo, barbarismis et solæcismis scatens, solus est quo res theologicæ magistraliter diffiniri possunt; atque in hanc stultissimam et pestiferam opinionem plerique adducti sunt, ut philosophiam, ut theologiam, ut reliquas artes incorrupto sermone tradi non posse credant.

Si quid paullo cultius scriptum est, quodcumque sit ejus argumentum, illud (tam inscii et stupidi sunt) non philosophiam, non theologiam, non jus, non medicinam, sed grammaticam vocant; Ciceronis vel Officia, vel Paradoxa, vel Tusculanas quæstiones, vel Academicas, grammaticam esse dicunt; solum id quod ipsi faciunt, quia regulis grammaticis subdicum non est, omnibus sermonis sordibus mire redundans, grammatica non est; quod ego plane ita esse fateor; etenim illud nec grammatica, nec aliud est. Scotus, Ocham, Paulus Venetus, Hentisber, Gregorius Ariminensis, Suisethus, Adam Godam, Bockin Kam, non grammatici, sed philosophi et theologo; ab ipsis intelliguntur; Cicero, Plinius, Hieronymus, Ambrosius, grammatici extra scholam sunt, a grammaticis intelliguntur; qui enim, inquiunt, fieri potest ut terso illo atque eleganti stilo, ne latine quidem, nec ulla propria germana, et non

Stulta mul-
torum opi-
nio.

Sophistæ om-
nia latine
scripta vo-
cant gram-
maticam.

non depravata, nec immunda lingua, philosophia, theologia, ceteræque artes perhibeantur? Quo quid potest insanius dici! quem errorem ego, si decem annos valetudine non prorsus adversa Dei beneficio vixero, e mentibus illorum non argumentis, sed ipsa re delebo. Ceterum, ut eodem redeam unde sum egressus, re falsa, re stulta, re inepta, frivola, insana, credam ego acui ingenium cujusquam? Solidis verisque rebus pascitur nostra mens, et firmum alimentum sumit, inanibus vero etiam tunc, præfertque speciem quandam bonæ valetudinis, ut tumentia in corpore membra, quum alioqui et hæc affectissima sint, et illa insanissima; atque his ita credo exacui discentium ingenia, ut cum ad alia, quamlibet parva debiliaque scindenda et penetranda, accommodantur, tota ipsorum extemplo rumpatur acies, fiatque pistillo retusior: tum etiam, tantum putant nobis isti homines superesse otii et temporis ad meliora discenda, ut jacturam nullam fieri existiment ejus temporis quod hujusmodi in rebus insumitur?

O stultum hominem Theophrastum, quem Græcia divinum appellavit, qui brevitate vitæ humanæ querebaris, in qua tempus non suppeteret ad veras disciplinas, quæ ad sapientiam, ad bene beateque vivendum perducerent; addiscendas, ita ut tum moriamur, cum sapere aliquid incipimus! En tibi homines tam redundantes tempore, ut etiam vacet eis multos bonos annos plusquam anilibus deliriis impertiri, nec solum nihil agere et feriari, sed id multo labore, molestissimo et assiduo negotio construere, quod postmodum non minore destruendum sit: verum si veteres morbi sanari repente non possunt, nec assueta res uno impetu convelli, detur sane aliquid consuetudini, pessimæ licet, discantur hæc ab iis qui ea tam scire avent, pauculis tamen mensibus, ut intelligant quanta sit insania; ac videant ii qui id fecerint, ne prava loquendi consuetudine, fœda barbarie, ac inversis verborum sensis, in meliorum disciplinarum fructu capiando impediuntur, nolimque illos ita tenacis esse memoriæ, ut eluere facile nequeant hæc, semel si adhæserint; illorum tamen ego in primis vices doleo, qui decem, qui sedecim, qui viginti annos, totam

Sophistarum
sterilia inge-
nia.

Magistri in
septem arti-
bus.

etiam interdum atatem, huic impendunt rei: misera atque sterilia ingenia, et mea sententia, ad paleam, siliquas, aristas, non ad frugem nata: atque his tam pulchris rebus occupatis, nunquam vacat vel Theophrastum, vel Platonem, vel Plinium, vel aliquem bonorum scriptorum legere; quid hæc dico? proferant mihi duas ex vii. illis artibus liberalibus, quas ipsi universas ambitiosa *sui magisterii* appellatione profitentur, quas ipsi didicerint; nec ipsum certe Aristotelem, non dico in naturali vel morali philosophia, sed ne in dialectica quidem, vel de facie cognitum habent, quam se se tradere inverecunde profitentur, quum eam ipsi nunquam viderint.

Neque est eorum aliquis, qui definire sciat quæ pars dialectices sit de inventione, quæ de iudicio, et quo modo duobus his uti debeamus: quid quod tametsi in ipsa bona veraque dialecticæ versarentur, non tamen deberent tanto in ea tempore desidere; ars enim est dialectica, quæ non sua causa addiscitur, sed ut reliquis artibus adminiculum præstet, et quasi famuletur, idcirco non est in ea plus operæ insumendum, quam satis est ad ceterarum artium ministerium, quod dialectica exercet; nam qui multam diem in dialectica conterit, nec ad alias scientias se confert, non secus facit quam qui comparato cribro, quo farinam excernat, panesque conficiat, in eo aptando componendoque plus æquo immoratur; instrumentum comparari celeriter debet, et aliud in eo non curandum quam ut sit operi faciendo accommodum; inepte profecto facit quisquis in eo anxie componendo longum laborem adit, et non protinus illi operi, propter quod instrumentum paratum est, se se accingit, modo instrumentum illud operam morari atque impedire suo aliquo vitio non possit, nam alioqui curandum hoc in primis esset: itaque tanta est dialecticæ artis accipienda cognitio, quantum sat est ad efficiendum ne illius ignorantia in reliquis artibus nobis officere queat: quæ jam eum, qui perpetuo intra fines illius se continet, ferre quis possit? Quis ferat pictorem in componendo penicillo, in terendis coloribus, sutorem in acubus, in subulis, smiliis, ceterisque cultris acuedis, in torquendo incerandoque filo, in setis illi addendis, to-

tam

Quantum
dialecticæ
immoran-
dum.

tam atatem consumere? Quod si hæc etiam in bona dialectica ferenda non sunt quæ est equidem ars neutiquam aspernanda, quantum erunt in illa omnium artium corruptrice garulitate ferenda?

Si meum iudicium requiris, ego profecto sic sentio: quemadmodum quod opus non est, emptum asse est carum, ut prudentissimus ille senex dicebat Cato, ita in hac inutili et vanissima dialectica vel unam consumtam semihoram esse nimis, quam quidem non esse artem, vel illo argumento manifestum est, quod disciplina omnis, omnisque ars in aliquem usum est inventa et comparata; hæc quidem, ut agamus, transeatque in operas eruditio, cujusmodi sunt Rhetoricæ, Musicæ, Medicinæ, Juris facultas, et reliquæ permultæ; illa vero solum ut sciamus, velut Astronomia, velut illa pars Theologiæ quæ contemplatione divinæ illius majestatis, ut Magdalena illa, contenta est: at ista tam recondita dialecticæ, quid quæso docet? non profecto aliquid agere, nam nemo est tam expertus omnis sensus, tam a mente omni atque iudicio alienus, ut prodigiis illis enuntiationum velit ullo in sermone uti, quibus, tamquam re inauspicata et infausta, audientes omnes terreret et fugaret, nisi cum apud diobolarios suos discipulos ejusmodi monstris assuefactos, angulo quopiam pediculari, fœtoris et squalloris pleno, dementit, deliratque; quo clare quivis vel stupidissimus perspiciat, quum dialectica eo inventa sit ut ejus usus alias ad disciplinas accommodetur, hæc, quam isti docent, ad reliquas disciplinas advehi, aptarique non possit, fieri ut ea neutiquam dialectica sit; at scientiam ex hac dialectica expectari, ne ipsius quidem præceptores, quamlibet sint fastuosi, quamlibet ostentatores vani et jactabundi, jubent; satis etiam indicat nullam in istis esse scientiam, quod nec in eis habitus est ullus, neque enim hæc more ceterarum artium atque scientiarum sui firmum vestigium, quem habitum nominamus, post se relinquunt, simul enim ac primum scholas exis, nisi tenacissima es memoria, totus ille fumus, minima quaque aura discussus, evanescit; atque hæc ipsa est causa, cur isti, qui tota ætate ejusmodi rebus dediti fuerunt, quum senuere, scholasticasque

Sophistica
dialectica
non est ars.

Sophistica
dialectica
non est ha-
bitus.

H 2

illas

illas umbratiles pugnas, et contentiosas altercationes sunt egressi, ubique frigidissime et stultissime tacent; tunc,

Rarus sermo illis, et magna libido tacendi.

Tunc, ingenti supercilio suæ ignorantiae sapientiae silentium prætexunt: quid facerent miseri? Scholastica illa omnia simul cum scholis relicta sunt; alia nulla habent quæ loquantur; necesse est, ut qui prius a nullis picis, a nullis mulierculis garrulitate vincebantur, ipso etiam Stentore Græcorum apud Trojam præcone vocaliores, tunc silentio pisces quoque vincant, et ex nostratibus ranis fiant acanthiæ.

Illi quidem, etiam in ipso scholarum fervore, ubi nihil potest ipsis clamosius fieri, nihil loquacius, quos citius vita deficiat quam vox, cum ad conventum prudentiorum hominum ex scholastico tecto educuntur, ita stupent, ac si essent in silvis educati; mira ibi et insueta illis facies omnium rerum, in alium quendam orbem perductos eos esse credas; ita usum vitæ et communem sensum ignorant; ita impeditos, ita implicitos eos videas, sive quid agant, sive loquantur, ut illos non esse homines jures; adeo sicut sermo, ita et mores et actus omnes ab homine abhorrent, ut nihil illis cum ceteris hominibus commune præter formam iudices; hinc quoque fit, ut negotiis gerendis, legationibus obeundis, administrandis rebus, aut publicis aut privatis, tractandis populorum animis ineptissimi sint, non plus in ejusmodi rebus valeant, quam homines fœnei; neque enim iis se se artibus tradunt, quibus hæc omnia percipiuntur, quæque et animum, et vitam humanam instituunt, cujusmodi est Philosophia moralis, quæ mores mentemque ornat; Historia, quæ mater est rerum cognitionis et usus, id est prudentiæ; Oratoria, quæ vitam sensumque communem et docet et moderatur; Politica facultas, et Oeconomica, quibus civitatum rerumque familiarium status et regimen constat; eos, non dico latine si alloquaris cum se unos vim et rigorem latini sermonis tenere jactent, sed si hispane, si gallice, si vernacula et patria quæque lingua, vix te intelligant, novitatem sermonis horrebunt, quia signis, litteris, relativis, asinis, non

Artes humanæ vitæ.
Philosophia moralis.
Historia.
Oratoria.
Politica.
Oeconomica.

est

est refertus, nam latine nihil est tam inaffectedate, tam inelaborate, tam contemptim, tam familiariter scriptum, quod isti capiant; quam etiam causam fore suspicor, cur hanc meam epistolam, tamquam rem nimis sacram atque reconditam non multi ex ipsis attingent, cum tamen nihil a me clarius, nihil apertius scribi latine potuerit; suum vero patrium sermonem, et quem a nutrice cum lacte suxerunt, cum sint ex istis plerique qui dedicerint, cui mirum est eos latinum non tenere, quem nunquam acceperunt, quem etiam si optime accepissent, nihil tamen est quod non corrupisset illa omnium bonarum rerum sophistica corruptela!

Sunt enim hæc, et similia, hujus artis commoda, ut tempus, operam, linguam, mores, sensum humanum, amittas dum ista sequeris; hæc tam præpostera portenta, has animorum gangrænas et pestes, atque ingeniorum lues, adduci non possum ut credam diu duraturas; jam satis superque quingentos fere per annos multa mala mentibus hominum invexerunt; tempus est, ut simul cum lingua latina, id est cum suo seminario, reliquæ quoque artes tam diu sopitæ excitentur; *Hæc opinionum commenta*, ut inquit Cicero, *delebit dies* (1), *naturæ judicia confirmabit* (2); non semper cum hominibus male agetur; tempus ipsum prava convellet, recta veraque secum inferet: itaque non egent hæc tam inania multis magnisque oppugnatoribus ut pereant ipsa; ut sunt ficta, ut adumbrata, ut nihil habent solidi, nihil firmi, ita paullatim per se decident dissolventurque, et memoria rerum istarum simul ac in scholis homines paullo sapere melius cœperint, tota prorsus conticescet, ac interibit; neque enim fieri potest ut cæci semper mortales errent; aperientur sensim ingenia, et humanæ mentes ex tenebris in lucem profectæ, rejectis tam pravis perniciosisque nugis, suas amplexabuntur veras disciplinas; neque id procul abesse crediderim, quum jam eo magnitudinis hæc umbræ, caligines, insaniamque venerint, ut mole laborent sua, sintque et aliis et sibi ipsæ intolerabiles; ferebant olim utcunque humana ingenia gerras, et

Sophismata sensim decident per se.

(1) El desorden pone orden.

(2) Costumbre hace lei.

deliramenta hæc, sed non tam adulta, nunc graviora sunt quam ut ab animis nostris, ad meliora sua sponte tendentibus ferri possint; ita ruitura brevi, quum ad fastigium dementiæ jam pervenerint, et crepitura quam primum, cum magis intumescere nequeant, simulque cum illo sonitu perituram memoriam eorum, quis non videt?

Ego sane sic a parentibus, sic a prudentissimis viris accepi, sic rerum usu ac experiētiis didici compluribus, pravas consuetudines non facile in melius viribus cujusquam commutari, nisi cum ipsæ in tantam pravitatem pervenerint, ut omnibus fiant intolerabiles: ita, hominum natura tam fœdam rem aver-sante, brevi tota illa quamlibet radicata assuefactio revellitur, et antiquatur, unde est illud vulgare hominum sermone proverbium: *Nasci optimum ordinem ex perversissimo, bonasque leges ex malis moribus procreari*: nam mediocriter malos mores, res mediocriter turpes nostra ingenia utcunque ferunt, at vitii vehementium nimietatem refugiunt, pati nequeunt; paratum est in latina lingua exemplum, quæ quamdiu mediocriter fuit depravata, perstitit, neque vindicem sui habuit ullum, at tum demum restituta suo splendori est, cum offuscari, corrumpique magis non poterat: ita et hos homines nescio an fuerit satius precari ut suas insanias, alias super alias accumulantes, ita celeriter adaugeant, ut primo quoque tempore, non modo præclaris ingeniis, sed etiam infimis sint vilitate sua fastidio, et ab omnibus conspiretur in perniciem istius amentię; quod jam ego quasi ex alto fieri strenue video; erigunt enim se se apud nationes omnes clara, excellentia, liberaque ingenia impatientia servitutis, et jugum hoc stultissimæ ac violentissimæ tyrannidis ex cervicibus suis animose depellunt, civesque suos ad libertatem vocant, vindicabuntque totam prorsus litterariam civitatem in libertatem longe suavissimam, qua tot seculis caruerunt, parebuntque non his furentibus et violentis dominis, sed benignissimis, et sanctissimis illis magistris, veris artibus atque scientiis.

Ita futurum ante annos viginti spero ut opera ista, quæ tam inani stolidaque loquacitate isti ad ostentationem gloriamque

Proverbium

Spes meliorum artium.

que congesserunt, aut in obscuro æternam noctem silentiumque agant, aut si qua forte extiterint, ad ignominiam potius, magnumque suorum auctorum dedecus videantur; atque ego quidem, mi Fortis, gratias et habeo, et ago permagnas Deo, quod aliquando e Parisiis quasi ex Cimmericis tenebris in lucem egressus sum, vidique, quæ essent illæ disciplinæ, quæ homine dignæ ac subinde humanæ dicuntur, neque enim tam sum demens, tam de me ipso male meritus, ut si hæc meliora magno et exacto judicio non censuissem, clareque conspexissem, fuisset vetera pro novis, adepta pro nondum adeptis, certa pro incertis commutaturus; neque enim aliquis est, qui libens resciat quæ magno labore nactus est, frivola, et nugæ esse meras, et tam diuturnam molestamque operam tot dierum, tot insomnium noctium, luisse: ita et mihi in principio id tam odiosum erat, ut sæpe a melioribus rebus cogitationem ad vetera mea averterem, ne mihi persuaderi posset me Parisiis tot annis nihil egisse; nec dubito etiam, quin nuncius hic futurus sit plurimis odiosissimus, verum eos illud considerare oportet, credendum esse expertis, et qui esse nequeunt ex illo optimorum maximeque perfectorum hominum genere, per se se qui omnia norunt, sint saltem ex illo bonorum, parent qui recta monenti, ne ex ordine pessimorum fiant, qui nec ipsi norunt, nec melius monentibus auscultant: quod si mihi credere nolunt, at senibus ipsi suisque præceptoribus fidem habeant, quos si rogent, audient damnantes furorem illum mentis, deplorantes id tempus, quod in his gerris vanissimis inutiliter contriverunt.

Dullardum ego et Gasparem Laxem præceptores olim meos, quos honoris gratia nomino, querentes sæpe summo cum dolore audivi, se tam multos annos rei tam futili, atque inani impendisse; id si ita est, quæ (malum) insania est, nolle parere senibus bene monentibus? Atque illud me in hac epistola (quam non dubito juvenes imperitos, et quibusvis Ciceriis loquaciores, pugnaciores quibusvis gallinacis, vituperaturos) consolatur, quod senes bene de his, quæ nunc dico, sentient, atque ea laudabunt, et quæ ipsi modo juvenes temerarii insipientes

Disciplinæ humanæ.

tes

tes contemnunt, ea cum per ætatem sapient (si Deus id eis dederit) et probabunt, et amplexabuntur, et quæ ego nunc eis consulo, ipsi forte, miseri sequentium, minoribus consulent senioribus; Te vero, mi carissime Fortis, per amicitiam nostram, per tuum præstantissimum animum ingeniumque precor, ut quoniam tua ætas jam Te admonet meliorum, videsque aliud illa non esse quàm hominum corruptelas, quæ si non optima memoria fueris, confestim excident, sin vero optima, impedimento erunt in rebus melioribus, eruntque dediscenda non minori negotio, quam fuerint parta, vides digna non esse, in quibus vel temporis insumatur punctum, quin potius ut ambabus manibus, omnibus machinis procul rejiciantur, ne ingenio officiant, vides ætatem brevem multo satius esse veris artibus tradere, vides brevi illa qui habuerint, fore omnibus despectui atque ludibrii; horror itaque Te et rogo, tempestive pedem ab illis dementiis ut referas, canas receptui, conferas Te ad ea, quæ sunt homine, quæ sunt ingenio tuo digna.

Quod, quoniam prudentiam animumque tuum ad optima quæque propensum novi, non dubito Te facturum, satisque magnum fecero hac tam verbosa epistola fructum, si Te talem amicum adduxero quo vides a nobili atque egregia istius mentis tuæ natura vocari: scripsi quoque ad Te eam ob causam, quoniam scio me non cantaturum surdis, tum etiam quòd cum in Te profecero, proficiam pariter in ista multitudine juvenum, quæ Te sectatur, quos omnes cum patria quadam caritate complexurus sis, et optima quæque instituturus, parum satisfacies muneri tuo, quin, ut aperte loquar, magnum scelus flagitiumque committes, si illos vanissimis stultissimisque imbuerit artibus; etenim ego hujusce rei culpam in præceptores rejicere soleo, qui hæc tradunt, nam ignari rerum omnium pueri, ad eos tamquam ad tempestatem quandam casu delati, prius circumveniuntur, prius inficiuntur, prius hoc in mari submerguntur, quam liceat eis quid rectum, quid pravum sit didicere; quamvis non tam culpam ipsos præceptores, qui magna ex parte pueri sunt, et vix sciunt utra manus sit sua dextra, nunc primum ex ovo in scholas producti, qui potius ipsi præ-

præceptore, et institutore, ac pædagogo, ferulaque egent, quam ut boni esse queant institutores et magistri, atque isti (si diis placet) suum nomen quum ignorent, philosophi appellationem jam receperunt; non ergo tam hos reprehenderim, quàm ipsos gymnasiarchas, quos ætate, quos longo rerum usu edoctos oportuit qualia sint ista, quæ suis in scholis maximo cum detrimento et damno totius juventutis tradi non sinunt modo, sed jubent quoque.

Credo quòd non arbitrantur alioqui se quæstum facturos, quod tamen quàm possint sine magno crimine facere, viderint ipsi, homines theologi; mihi profecto ab his maxime tantæ jacturæ tam boni temporis et animorum juventutis, quæ illorum curæ tradita est, Deus postulaturus, acerbeque rationem exacturus videtur; quis enim non credat manere graves cruciatus eum, qui innocenti, et inscio puero propter solam pecuniam imposuerit? et hos qui puerorum tempus, qui vitam, qui animum perdunt, immunes fore? Et quo videas hanc rem ad summam suæ impudentiæ venisse, ut jam gravis atque intolerabilis, et Deo, et hominibus sit, quo religiosiores, quo sanctiores volunt gymnasiarchæ videri, eo magis scholas suas his furoris insanæque clamoribus perstreperere jubent, illaque majore exercent supercilio, quàm unquam Zeno fecit rigidissima sua virtute tradenda: Te ipsum, mi Fortis, atque alium quemvis, neque enim recuso quenquam, judicem facio; num non Tibi Parisiensis schola tamquam anus quædam post octingentesimum suæ ætatis annum cum tanto senio summe delirare videtur? Num non eam censes, nisi arte aliqua, id est, beneficio bonarum disciplinarum, repubescat, quod Deus ipse omen avertat, horret animus dicere, brevi interituram? Ego enim id ausim persancte dejerate, fore neminem tam hebetem et crassum hominem, qui liberos suos ad eam eruditionis gratia deduceret, si intelligeret quæ in ipsa docentur.

Cedo, quotusquisque ex doctis hominibus suos filios vel istuc, vel ad hos sophistas mittit? Nemo tam cæcus est, nemo tam insanit, nemo tam filios vel negligit vel odit; si quis ex iis istuc mittit, non ad sophistas mittit, sed ad nonnullos, qui

melius inter tot desipientes sapiunt: si quis me cum stomacho loqui putat, is recte sentit, neque enim de ea re summo sine dolore loqui possum, quæ tam multas bonas horas me tam male collocare coegit; nolo in præceptores culpam rejicere, ne dum justo meo indulgeo dolori, alicui parum fortassis prudenti minus esse gratus videar; nec dubito quin hæc epistola si in manus istorum hominum venerit, ac poterint sibi imperare ut perlegant, fueritque ab eis intellecta, quod maxime cupio, sit plerosque ipsorum offensura; ab unoquoque tamen eorum qui offendentur, hoc me impetrare æquum est, ut credat me non esse peculiariter de se locutum, neve ipsum verba moveant, rem potius perpendat, et animum meum; quod si hæc illi omnia parum probantur, ego æqui bonique facio, et, quod sit ei faustum et felix, hæreat in complexu suorum perquam suavium asinorum, suæque lepidæ dialecticæ: ego neminem cogo, ac neque si vellem, possem quidem; moneo atque hortor, et ut philosophum decet, libere quæ sentio, dico, quæ tamen ipsi aliquando probabunt, et me bene monuisse tunc sentient, cum nihil eis ita sentire profuerit, cumque ipsi sero sapuerint, junioribus tamen consulent ut maturius sapiant.

Quamquam testor conscientiam meam, et Deum Optimum Maximum, qui hæc omnia videt auditque, mirari me, quenquam fore qui hæc, modo intelligat, damnet; neque enim arbitror aliquem esse in toto orbe, sive doctum, sive inscium, sive ingeniosum, sive hebetem, stupidumque, cui hæc non probentur, si ita dicantur ut ipse intelligat: verum nostris hominibus parum hæc modo placent: at ego non eorum iudicium, quod nullius momenti est, sed doctorum illud, non numerosum quidem, ceterum amplissimum atque gravissimum, specto, illique placere studeo, neque enim numerare sententias soleo, sed appendere; non placeo juvenibus, quibus nullum est consilium, nullum iudicium, nulla mens, at senibus placebo, cum illis ætas melioris iudicii nonnihil attulerit; nostros tamen Hispanos non tam moneo, et hortor, quam per quicquid est sacrorum obtestor obsecroque, ut finem jam faciant ineptiendi, ac delirandi, et pulcherrima ingenia studio dedant

re-

rerum pulcherrimarum, ut quemadmodum multis dotibus sumus ceteris gentibus superiores, ita et simus eruditione, quæ si aliqua ingenia decet, nostra profecto decet. Verum hujusce rei argumentum latissimum est, idcirco prolixior opinione mea fuit epistola, et nisi me retinuissem, labebam ducente oratione multo longius; sed finem aliquando tandem epistolæ fieri necesse est, nec omnia semel effundam, ut si sæpius decertandum sit, quod futurum non dubito, novus semper veniam, quam facultatem magnitudo istius stultitiæ, tot jam annos molliter atque indulgenter enutritæ et auctæ, mihi largitur.

Illud tamen antequam finiam non admonere rursus lectorem non possum, si modo quisquam erit hujus rei, præter Te, lector, ut has ipse litteras, non a perturbatione aliqua sui animi in contrarium persuasus et raptus, legat, sed rationis examine cuncta perpendat; si ipsi bene suadere videbor, consilium sequatur meum, sin vero secus, animum prodesse cupientem laudet, verba vero consulat boni; atque ego quo animo ab aliis admonitionem hanc meam accipi vellem, eodem etiam aliorum, sive tuam, sive quis alius me admonere voluerit, capiam: ita, si quis est, cui hæc quæ dico minus probantur, ejus ego perlibenter sententiam audiero, sin vero quidpiam ex iis, quæ diximus, aliquis ambigit, si quo loco hæret, si quid cum remoratur, si aliquis etiam num urget scrupus, ei quoque publici commodi gratia, opera mea parata est, modo id non litigandi, sed inquirendæ veritatis causa fiat, nam alioqui nunquam finis contentionum inveniretur: quod si tantus illi fuerit pugnandi ardor, ego etiam, ut per omnia meis istis amicis obsequar, vel cum fortissimo eorum Thrace comparatus, arenam et campum non refugiam. Hæc Tibi cum scripsissem; venerunt ad me Petrus Gratianus Lalous noster, et Toussanus Hocedius, Nicolausque Votonius, nunc mei, brevi quoque, ut spero, Tui; mire enim Te, etsi nunquam a se visum, diligunt, ducti iis rebus, quas illis ego de virtute retuli tua; omnes jusserunt salutem hic Tibi nomine suo adscribi, Lalous quidem, ut jam pridem communis amicus, Hocedius vero, et Votonius, ut brevi futuri: Nicolao Valdauræ consanguineo meo S. quem Tibi, quod et

I 2

sz-

sæpe alias feci, quàm possum maxime commendo, est enim mihi, ut scis, non minus carus, quàm frater: Davalum quoque pro me saluta. Vale mi suavissime Fortis. Lovanii, Idibus Februariis, M. D. XIX.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE DISPUTATIONE LIBER UNUS.

VERITATEM non plene aut aperte acies mentis nostræ in-
tuetur, multa, et densa obscuritate corporis, oppressa,
atque hebetata, sed nos obscuritatem hanc a nobis in res ipsas
traducimus, ut eas altissimis ac cæcis admodum tenebris dica-
mus obrui, et inextricabilibus involucris occultari; quo sensu
pronuntiavit Democritus: *Veritatem in altissimo puteo demersam
latere* (1): ad purgandos autem hosce cortices ut nucleus pro-
deat purus, ingenium humanum *examinanda veritatis facultatem*
a Deo accepit, cujus functio *disputatio* nominatur: nam quem-
admodum vites, nuces, ferrum, aurum, putantur, rejectis inu-
tilibus, ita in examine illo, et inquisitione veritatis, remotis
vel falsis, vel ambiguis, ac incertis, ad ea veniatur quæ du-
bio procul sint vera. Lux hæc est quæ ingenio nostro infer-
tur, ut per ea quæ in confesso recipiuntur pro veris, illa, de
quibus dubitatur, explanentur, aut ea refutentur quæ nobis sub
specie se insinuabant veri: sit ergo nobis diffinita disputatio;
Argumentorum ad aliquid probandum, aut improbandum, comparatio;
nam ubi pro alterutra parte nullum est argumentum, nec dis-
putatio potest ulla existere: duces animi nostri sunt vires, illi
a Deo ad cognoscendum, et de cognitis judicandum, attributæ.

Disputatio
quid.

Animæ quin-
que functio-
nes.

Joannes Philoponus ex republica Platonis quinque nos ha-
bere animi functiones scribit, Mentem, Diancæam, Opinionem,
Phantasiam, Sensus; horum istæ sunt vires, et opera: Sensus len-

(1) La verdad padece; pero no perece.

lentior est quàm ut syllogismo discurrat, et aliquid colligat;
Mens celerior quam ut syllogismum expectet; Opinio assensus
est; Phantasia, seu *visum*, apprehensio; Diancæa, quam sane
cogitationem dicamus, est motus, itaque hæc ratiocinatur, et
syllogismo utitur; hæc quidem contemplationis sunt de anima,
sed de his non plura in præsentia dicam, nec accuratius quàm
quod instituto nostro erit satis. Ratiocinatur ergo cogitatio vel
ex iis, quæ mens illi suggerit, vel quæ opinio, vel quæ visum,
nam sensus viso serviunt; ideo sub *ἐπινοίας* a Platone comprehen-
duntur; mens ad cogitationem, quantum assequi potest, ve-
rissima et perfectissima adfert, velut axiomata, naturales in-
formationes, et in omnium animis impressas insculptasque no-
tiones, ex quibus aptissimæ ac firmissimæ rationis necruntur
syllogismi, in quibus est scientia, si alibi usquam; opinio suppe-
ditat credibilia, alias vera, alias falsa, unde existunt syllogismi
verisimiles, qui secum nonnullam dubitationem important.

Visum sumministrat vanas imagines, somnia, hallucina-
tiones, imposturas, ducitur enim phantasia similitudine, quam
ex ignorantia, atque incogitantia conjungit temere, et com-
miscet, ut unum ex duobus aut ex multis confundat, unde er-
ror nascitur ambiguitate vel vocis, vel sententiæ; ut, quum
vox plura significat, quæ commiscentur, et redduntur tamquam
unum, nempe, *verbi ancipitis*, vel *orationis amphibole*; tum ex
scripto quod non distinguitur accentu, aspiratione, scriptione
recta; in sensu autem, quum ab una significatus ratione ad aliam
latenter subitur, nempe ab essentiali ad inhærens, vel contra;
velut, quum sic conjugimus, *Homo est animal, animal autem est
genus, mel est dulce, dulce vero aliud alio magis*: adde huc, quum
prava conclusio pro vera recipitur quod aliquam illius præ se
imaginem ostendet, de quibus vitiis superius admonuimus: nam
phantasia, ut leviter ab uno in aliud mutatur, ita etiam levi-
ter assentitur, ut in quodcunque inciderit, ob segnitiam ulte-
rius scrutandi subsistat ilico, et acquiescat; itaque vehementer
fallitur quoniam neque ambigua distinguit, nec partes inter se
confert ut quemadmodum compositæ sint, et colligatæ; ani-
madvertat.

Judicia.

Judicium animi, inter hæc tam diversa velut disceptator quidam sedens, incipit eorum omnium vires, et velut causam expendere; quæ reprobatur omnino respuit, et damnat; quæ approbat, alia secure admittit, alia incertus; sunt inter quæ anceps, et animi dubius, pendet, quod similitudo aliqua et veri apparet, et falsi; hi judicii motus e tribus argumentorum generibus excitantur, in quibus et res debent spectari, et connexio; argumenta omnia, vel ex certis, exploratis, necessariis depromuntur rebus, vel ex probabilibus, et quæ de conjecturis pendent; non sunt hæc rerum ipsarum nomina, sed quæ cuique videntur, aliis enim alia sunt certa, et indubitata, eadem etiam non omnibus talia; quæ eliciuntur ex certis, nexuque junguntur evidenti, ac perspicuo cum iis quæ confirmant, judicium ad se pelliciunt securum: argumentatio hujusmodi nominatur certa atque evidens: quæ vero vel probabilia sunt, vel non manifesta complexione cum eo cohærent cui probando adhibentur, judicium ad se invitant nutans, et suspectum, nec plane sibi fidens ipsi: hæc argumentatio probabilis nuncupetur, sive credibilis, ab Aristotele dialectica: ambiguum est judicium, et quasi se ipsum sustinet, quum pares sunt argumentorum vires pro utraque parte in re controversa, ac velut paria in lancibus pondera. Quæ argumentatio judicium fallit, ea vel de materia decipit ex qua confatur, vel de artificio, nempe forma, et colligatione partium; cognitio materiæ ad singulas artium pertinet, ut, quum dicitur: *Omnis unius principatus optimus; Tyrannus est principatus unius: ergo optimus*: forma, vero et compositio hujus sunt loci: *Omnis virtus suavis; et voluptas suavis: virtus igitur*: hic proprie paralogismus appellatur, nam prior ille, tametsi ex falsis, tamen bonus esse syllogismus potest, qualis est ille idem: materiæ argumentorum, generatim quidem, sic itur obviam: certa et necessaria ostenduntur non esse ejusmodi, si declaretur aliud simillimum necessarium non esse; interdum quoque ex eodem illo argumento contrarium concludi; si opponatur auctoritas, fuisse, quibus non sit visum tale, quorum ingenium et judicium aliis in rebus pro valido sit habitum.

Materia argumentorum quomodo tractatur

Probabile.

Probabile est, quod cuique videtur ita esse, non certa et

evi-

evidenti ratione, sed verisimiliore quam sit contraria; sumitur aliquando probabile pro comperto et explorato, sed de illo priore nunc loquimur: probabilia, vel infirmantur, vel tolluntur penitus; infirmantur, si planum fiat minus esse in eis robur quam putabatur; solere contrarium plerumque evenire; tolluntur objectione eorum quæ illi sint vel necessaria, vel magis credibilia, et patefactione circumstantiarum, cur in hoc loco, in hoc tempore, in his rebus, illud non procedat: probabiliora sunt, quæ efficaciora pro se habent argumenta, quæve pariter efficacia; sed plura tamen sunt, quibus quisque fidem habet, quo majorem, hoc sunt magis efficacia: in conjecturis, non satis labefactat, qui non necessarias ostendit, aut non fortes, sed qui non bonas; quod fit exponendo in plerisque usu venire contrarium, non similibus tantum, sed in hoc eodem loco, tempore, hominibus, rebus; ut, *erubescere hunc, et trepidare, et titubare, et perturbari, pro signo conscientie accipitur; at qui sic solet in omni congressu, etiam apud amicissimos, tutis et securis rebus*; ut Cicero de quacunque causa dicturus: jam vero argumentationem aptam, et confectam, vel repellimus, vel dissolvimus, vel eludimus, vel retundimus: repellitur, quum negatur bene colligi; dissolvitur, quum profertur captio; quæ quia fere fit ex ambiguo et simili, idcirco vocatur *distinguere*; in quo, tamquam re duas aut plures in partes discissa, membrum unum ipsi nobis sumimus, alterum, vel reliqua, adversario concedimus; eluditur, quum adfertur absurdum quod sequeretur, si ita esset; retunditur, et quasi opprimitur, quum fortius contra id argumentum opponitur; qui vero negat aliquid in argumento ita habere, nihil ad argumentationem dicit, sed ad examen partium illius; de quo jam sumus locuti.

Probabiliora.

Argumentationis tractatio.

Elusio a retusione non multum distat; utraque ab Aristotele appellatur *ὑποτασις*, Latine ad verbum *instantia*, sed appositum rei vocabulum est *objectio*, vel *obex*; qui velut currenti argumento objicitur, ut fit in fluminibus; quod est non connexionem argumenti dissolvere, aut discindere, sed venienti currere, et quasi cursum impedire, idque cogitationi nostræ non raro accidit; nam quum ex intentione argumentationis res

se-

sequitur perabsurda, tum animus velut injecta manu sistit primum, hinc quum se non bene progressum fuisse deprehendit, unde cœperat revertitur; et quamvis nesciat dicere, quonam sit falsus loco, ubi sit erroris causa, errorem tamen inesse non dubitat. Opponitur obex argumentationi ex eodem, ex simili, ex contrario, ex auctoritate: ex eodem; si quis dicat, *amor bonum, quia dulce*: occurritur; immo *malum, quia indigentia*: ex contrario; *bonus vir amicis nocebit, quod ab eis læsus, a quibus minime oportebat*: nequaquam; *quod nec malus amicis noceat, etiam ab eis læsus*: ex simili; *hic homo maleficio est semel affectus, semper igitur oderit*: quæ hoc? *quum beneficio affecti non semper arment*: ex auctoritate; *ignoscendum bis, quia sunt pueri*: objicitur; immo *Salomon jubet, ut virga ne discedat a puero*: in quo sunt exempla dictorum, et factorum; *Parcendum huic, quia filius*: atqui *Torquatus, et Brutus etiam occiderunt suos, et maluerunt orbi vitam agere, quam habere improbos*: in quibus non dissolvitur vinculum prioris cum posteriore, sed fluxum atque invalidum ostenditur; quanquam in multis elici potest quod dissolvat, sed longiore ambage, ut quum dicimus, *bonum virum non lesurum amicos læsum ab eis, quod malus non referat amicis maleficii gratiam*; sic solvitur prior probabilitas ex secunda; *quod læsio non debet esse causa ultionis in bono, quandoquidem non est in malo*: quod est argumentum a comparatione minoris; tum, *maleficio semel affectus semper oderit*; ex objectione efficitur, *amorem non esse perpetuum, itaque nec esse nature affectuum, ut sint perpetui, quare quum odium sit affectus, mutabitur tempore*. Dicendum jam est de singulis argumentationum generibus; et *sylogismi* quidem quæ sit ratio, quæ devinctio propositi cum intentione, alibi demonstravimus.

Exemplum.

Exempli vis est in similitudine; nam similibus causis similes attribuit natura effectus, similibus principiis similes progressus, atque exitus, similibus qualitatibus, atque affectionibus, similes facultates, et ejusmodi; idcirco ad persuadendum non repugnanti, atque ei qui ultro sequitur, aptissima est hæc probandi via, ut quæ docet et ostendit, magis quam cogit; confirmatur similitudine, dissimilitudine infirmatur quam difficile non est in omni simili invenire, neque enim sunt ulla tam con-

conformia quæ non aliqua in re discrepent, quin etiam si repugnans eam differentiam non inveniat, haud in re culpam esse suspicatur, sed in se qui vel non bene inquisierit, vel non facile inveniat; examinandum est tamen an difformitas sit in eo, quo de agitur: ut, *Cato se occidit, ne Cæsari serviret, ergo tu occide te, ne servias tyranno*: respondebitur non esse simile: nam *Catoni summum erat malorum servire, et illis prophanis, at initiatis Christiana pietate non item*: adjicitur, immo *summum malorum est servire eum, quem Christus liberum fecit*: ita est, non quidem homini servire, sed peccato, et diabolo: *Demosthenes tantus evasit Orator studio, cur non et tu quoque?* Quia in illo studium ardentius, ingenium vividius, judicium acrius, sermo patrius haustus cum lacte: in libello Ciceronis de Senectute, quum Cato exemplo sui docuisset non debere ætatem esse senibus, excipit Lælius: *fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes, et copias, et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem videri; id autem non posse multis contingere*: subjicit Cato: *non dignitatibus, aut divitiis fieri ætatem levem, aut molestam, sed sapientia, vel stultitia, nec solum triumphalibus viris jucundam esse senectutem, sed iis etiam, qui pure ac eleganter ætatem transegerunt*: si dissimilitudo non sit præsto, consilium erit sequendum M. Fabii ut dubia liceat dicere *fabulosa*, quales sunt apologi, poeticæ narrationes, Milesiæ fabulæ, res multæ Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum; sin vera et certa esse constet, tentandum an obtineri poterit *ne illa quidem recte esse facta*; tum auctoritas ejus excutitur, qui quid dixit, non dixit, fecit, non fecit, quanti oporteat esse momenti apud nos; confirmatur auctoritas ad corroborandum argumentum, elevatur ad debilitandum, de quo in inquisitione veritatis diximus.

Enumerationem deprehensæ sunt artes omnes, nempe, ex multis experimentis collecta formula: *Si hæc herba nocuit huic homini, profuit illi asino, et huic, et illi, ergo omni homini nocet, omni asino prodest*: si in aliquo instatur, ruit totum; sed omnes singulares percensere impossibile, aliquas pro omnibus sumimus, ad postremum vero adjicimus; *quod sit pro aliis; ut sic in ceteris; vel non videtur aliquid esse in contrarium; vel non est in contrarium observatum*; infirmantem dare aliquid ad oppositum est necesse, tunc

Enumeratio

vel destruit, vel concutit: scrupulum etiam injicit addubitatione: *fortasse non sic esse in omnibus; rem esse novam, necdum satis exploratam*: ut de ligno *hebeno*, et multis rebus, quæ hac primum ætate in notitiam venerunt: *vel quod paucis est id deprehensum*; licebit tum ex iis adferre aliqua, quæ quum crederentur esse certissima, tempus docuit non esse talia, quæ exempla non rara sunt et in natura rerum, et in vita hominum; alter vero, vel ostendet quid sit vitii in eo quod ille objicit cur ab aliorum natura degeneret: ut, *si radix arboris sit medicata*, vel saltem impetret in plerisque; pro re nova, *multa sunt experimenta*; pro vetere, *multos quesisse, neminem invenisse in contrarium*; saltem verisimile esse, *quandoquidem adversum nemo comperit toties vestigatum*: *Inductio Socratica* argumentatio est conformis naturæ; *quum in aliis ita sit quæ sunt similia, ita debere esse in hoc*: qui depellit, reddat causam differentiæ, quemadmodum in exemplo, sed majorem hic esse ac fortiolem convenit, ubi tot sunt exempla allata pro uno aliquo; velut, *cui credas navem in periculo, eligis non amiciolem, sed peritiolem, cui rempublicam, cui equum domandum*: ergo *cui pecuniam*: ex adverso occurritur; *non est ita, nam in illis opus est arte, hic fide*: tum faciendum est planum et illic esse opus fide, et hic arte, *quoniam quidem si inimicus sit, prodet consulto, et hic si imprudens, perdet nesciens*; nam eandem illam adferre pro instantia de qua est controversia, perabsurdum est: utebatur etiam *Epagogis* Socrates, quod aptissimæ sunt ad capiendum; quum enim singularum rerum interrogatiunculæ proponuntur, minus apparet fraus, quæ profert se velut acie explicata, minusque circumspicit is, qui respondet, quid sequatur ad posita sibi, ac concessa, quid repugnet.

Inductio.

Comparatio

In *comparatione* vis late est sparsa, nec ad certam formulam potest redigi, quæ ad inventionem argumentorum magis pertinet; *Paria, aut majus et minus*, inter se, in aliquo, vel aliquibus, conferuntur; intuendum an in eo ipso sint paria, vel majus et minus: *privatus homo gignit tot liberos; non gignet Rex?* non sunt in hoc majus et minus: *privatus concionabaris*: ergo et *Consul*: non sunt majus et minus in concionando, *quæ sæpentero præbent urbanitatis materiam*: *Quin ego uno verbo cedam, cui cedunt*

dunt in omnibus triginta legiones? inquit Phavorinus: *in eo quod fit*, Relativa. quid majus sit aut minus dicere, est ejus, qui vires rerum novit, ut, *hoc efficit illa herba*; ergo et *illa alia*: *in eo autem quod decet*, prudentis; a minori aptum est argumentum confirmationi, a majori informationi, a pari utrique; similiter de relativis dicit Aristoteles quod *posito uno, ponitur et alterum; sublato, tollitur*; sed hoc recte est intelligendum: *si aliquis est pater, aliquis est filius; si nullus est pater, nec filius*: et hoc quidem certe in essentia, nam in aliis non sunt relativa: *nullum patrem video, ergo nec filium; nullus filius docet; ergo nec pater*: videndum ut rite assignetur relativum: *est servus; ergo servi servus*; non bene; sed *heri servus*: nam ut alibi est declaratum, sunt quædam paria, *amicus inimicus, simile dissimile*; alia imparia, *pater filius, herus servus*; neque vero proba est hæc collectio: *est servus; ergo comitatur herum*: sed sic; *ergo est sub hero*: sicut, *est herus; ergo possidet servum*: quando in hoc est servus, ut sit sub heri potestate, et herus, ut possideat servum. *Iste non est pater; ergo nec filius*: invalida est; non enim dictum est tollere mutuo in singulis, quod dictum est in universali; in singulis autem imparibus contra valent, ut respectu ejusdem posito uno, tollatur alterum; *hic est discipulus hujus; ergo non magister hujus*: nec solum comparatione ejusdem relativi, sed *ejusdem rei in qua committuntur*; nam potest esse simul et discipulus, et magister in diversis rebus.

In *adversis, et privantibus, et dissitis*, ad infirmandum, certamus prius, an illa habeant medium, an sit tempus, et subiectum a natura diffinitum; istuc vero aliunde petetur: observandum etiam in quo sint talia: *do cœnam hominibus; non ergo equis*: non sunt in hoc dissita: *hic homo habet servos albatos; non igitur atratos*: haud sunt utique in hoc adversa: *si quem delectat visus, huic est cæcitas inimica*: in hoc privantia: quippe quam delectationem potest afferre visus, hanc cæcitate necesse est amitti. In *gradatione* vis est, ut quod sequitur ad minus, nempe ad illatum, sequatur ad majus, nempe ad rationem; cavenda est hic, ut in omni genere argumentationis, ambiguitas: *studiosi* Gradatio. *amant otium; qui amant otium sunt desides*: aliud est otium stu-

diosorum, aliud desidium: *Quod hic puer vult, mater vult; quod mater, vult pater; quod pater, populus; puer vult pila ludere: ergo et populus: aliud est quod puer vult matrem velle, aliud quod mater patrem, aliud quod pater populum: transitus est observandus, in quo sæpe dolus delitescit: qui bene potat, bene dormit; qui bene dormit, nihil facit: transitur ad aliud tempus, nam non in eodem tempore potatur et dormitur: Qui novit Laurentium Vallam, novit et Theodorum Gazam; qui hunc, et Politianum; qui Politianum, Erasmus: ergo qui Vallam, Erasmus quoque: sed in hoc universalitas tuetur complexionem; neque enim verum est illorum aliquod in universali.*

Soritzæ.

In Soritis multi erant Stoici, et Academici novi illi ab Archesila et Carneade; in deprehendendo quæ sunt multa, pauca, magna, parva, longa, brevia, lata, angusta, omnia denique quæ dimensu quodam animi sunt per partes constituta, de quibus Cicero quarto Academicarum questionum meminit, res valde est spinosa, et involuta, propterea quòd terminos, qui consistunt in divisibili, ipsi in insectili puncto collocari postulant, nec *acerbus* consummatur *singulis* granorum, nec destruitur, ut nec pilis *cauda* equi, aut *numatim* est *divitias* definire, sed *multis simul*; ita adjiendo per *individua*, mirum non est nunquam attingi *quod queritur*: adde, quòd nec per *divisibilia*, et quidem *lata*, qualia sunt quæ mens nostra in illis capit; itaque per *modios tritici* est agendum, per *crines centenos*, per *sestertia*, et *hujusmodi*. *Dilemma* aptum est ad perturbandum, quum animus velut indagine undique circumseptus, non statim prospicit exitum; aperitur effugium, si quid sit medium; ut, *si duxeris divitem, erit ferendus, si inopem, alendus*: medium est aliquid, vel reflectitur antistrephonte; *si divitem, lautius vivam, sin pauperem, quietius*: sed hoc non tam est refellere dictum, quam regerere: sunt aliæ probationes conclusionis, quæ *reflexæ* nominantur, quum, negata illatione, sumitur ejus oppositum, ex quo solo, vel eo cum una parte propositi, res ad id quod est maximum, et gravissimum deducitur, *duo contradictoria ostendi simul vera*: illi priores ductus sunt recti, ad docendum et dicendum apti, iste ad refellendum, quemadmodum

Reflexa probatio.

dum syllogismi, qui affirmative concludunt, valent ad probandum, qui negative, ad improbandum; at vero in probationibus, et quasi putatione hac, tam diu progrediendum, quoad veniatur vel ad eam, quæ necessaria sit, et omnibus cognita, vel ad probabilem, cui sine absurditate magna refragari non liceat; probabile dicetur, quod cuique est receptum, hucusque postquam perveneris, si pergas ulterius, periculum erit nimirum: *ne* (sicut est in proverbio) *nimum scalpendo sanguinem elicias* (1): et vivum rescindas, dum supervacanea immodice consecaris putando.

Illud in primis animadverti convenit, non omnia rerum genera, quæ posita sunt in dubitatione, paribus constabilir argumentis posse; quæ res *sub sensuum notitiam* cadunt, aptiora argumenta admittunt, et sensui magis exposita, cujus notæ sunt *effecta naturalium causarum*; quæ vero *mente*, ea informationibus, quas hominum mentibus natura insculpsit, fulciuntur, ut multa in *mathematicis*, et *prima philosophia*: porro quæ *mentis indagine* quasi eruuntur abdita, et abstrusa, credibilibus sunt quibusdam contenta, vel sensibus, vel menti, magis accommodatis; at quæ *prudencia*, et *usu vite*, ea exposcunt, ad quæ plura sequuntur publice aut privatim commoda, vel certe potiora, et ampliora, vel pauciora, et leviora damna, sive in futurum, sive in præsens; multum valet in his auctoritas illorum, qui sapientia et probitate præstantes esse homines existimantur, de quo numero sunt studiosi sapientiæ, senes, negotiorum callidi, legumlatores, magistratus, senatores, populi, ac civitates quas accepimus bene institutas: in iis quæ docentur *calitus*, quæque *sensum omnem, captumque humani animi* exuperant, et *a solo Deo* cognosci possunt, et tradi, potissimas partes ferunt Dei ipsius auctoritas, tum eorum, quos a Deo illustratos et edoctos esse evidentiâ nobis signa ostendunt, ut argumenta, quibus dicta sua confirmant, dictis ipsis sint similia, nempe divina, et naturam excedentia: at quemadmodum probabilia sunt ad probationem ambigui admota, ita absurda ingeruntur

Quæ sit argumentorum ratio.

ad

(1) Escarva la gallina i halla cuchillo con que se deguella.

ad revincendum contradictorium ejus quod nos intendimus: ut, *Pietas est summum bonorum; nam ni esset, cedo; quid aliquid in ejus locum reponeres? id ne quod situm esset in animo? an quod in corpore? que in corpore, communia sunt nobis cum belluis; que in animo, cum dæmonibus, dempta pietate: summi ergo hominum boni, vel belluæ participes erunt, vel dæmones, quod est nefas: absurda eodem prope modo censentur, quo probabilia.*

Hactenus de tacita, et vera cujusque secum *disputatione*; nam in commissa illa, et comparata, quæ est duorum, non perinde potest verum cerni, ac excudi, ut in illa interiore, conflictu enim externo mentis acies turbatur, vel affectionibus suscitatis, vel attentione ad ea quæ sunt foris: adde, quod, quemadmodum prudenter inquit Aristoteles, *duorum dissertio, et sermacinatio, per orationem fit, in qua multæ occultantur fraudes, et latentiter irrepunt; que vero disputatio est unius secum, fit per res, quæ omnia liquidius ante oculos statuunt, ac apertius; itaque etiam in ea, quæ unius est disputatio, si per orationem exerceatur, multas se insinuare in animum fraudes est necessum, quippe, fraus omnis ex similitudine oritur vel veri, vel boni, at similitudo anceps, major promptiorque est in intelligentia dictionum, quàm rerum: sed de hac nobis aliquorum, sive *disceptatione*, sive *altercatione*, paucula quædam video dicenda, ne hæc *scholæ exercitatio* desiderari tamquam prætermissa a nobis possit, tamen si de ea multa et in libris topicis, et in elenchis Aristoteles præcepta tradidit; nos vero breviter more nostro, ac dilucide summas contrahemus earum rerum, quæ nobis ad hoc institutum videbuntur facere.*

Caput est, in altercatione omni, *ut sciatur quid positum sit in controversia, et de quo disputantes contendunt*, alioqui enim temere, ac ridicule, multa ultro, citroque, jactabunt, quod passim videmus in *disceptationibus* contingere, *ut alter ajat cælum agitari, alter conetur evincere terram in mundi medio quiescere: proximum est, ut respondens perspectam illorum omnium habeat naturam de quibus agitatur*, ut ea non solum a diversis, atque absimilibus, cogitatione, ac animi judicio, sejungat, sed a conformibus etiam, quæque ex similitudine fucum possent facere ad fraudem;

Disputatio
exterior.

dem; ex hac separatione nascetur, ut et *distinguere ambigua*, et *dividere*, et *diffinire* recte valeat, quorum trium ignorantia magnos, in *disputando*, et turbulentos errores affert, clamoresque absonos, plenos contentionis, quum, *velut Andabate*, qui pedem contulerunt, oculis clausis dimicent; et plerumque usu venit, ut quæ quis ignorat, tueatur pertinacius, sive oppugnet, seu propugnet, ratus vera se se asseverare, quum contra, qui a falso se stare non nescit, lentius agit, ac remissius, ex conscientia videlicet, non ignarus captare se tantum; quapropter ut hæc uterque clarius pervideat, conservandum est *judicium integrum*, *minime perturbatum tempestate aliqua affectionum*, quæ omnes incitatæ, et accensæ, velut fumum quendam rationi, et facultati judicandi, offendunt, quo veri perspicentia impeditur: *utilissimum est, altercando non commoveri animo*; idcirco *biliosi, fervidi, irritabiles, captatores inanis gloriolæ*, non sunt idonei altercationi, præsertim adversus *sophistam vafrum*, incenduntur enim facile, et censuræ tamquam dejiciuntur de gradu eorum quæ dicuntur, ut quid vel antisophista objiciat, vel ipsi respondeant, non attendant; tum *studiosus gloriæ* adeo est observandis omnium vultibus, gestibus, nutibus, occupatus, ut ea quæ dicuntur non possit animadvertere: *Confine intelligentiæ rerum earum, quæ in contentione versantur, illud est, ut adversarii verba probe intelligat, quo sensu ab illo soleant dici, quo ab auditoribus accipi.*

Sophista est, qui non veritatem sequitur rei, sed opinionem auditorum venatur de se, in qua finem sibi statuit *vel questum, vel gloriam, vel irrisionem adversarii, aut aliquid affectus pravi*, quate argumentis laborat efficere, ut quæ antisophista confirmarit, labefacta ab se alii credant, et ostendisse falsa esse illum pro veris complexatum: *falsum id esse duorum modorum altero convincitur*, vel quum idem ipse qui affirmarat, victus ratione et argumentis, confitetur se falsum sensisse, quæ est *repugnancia*, vel quum id, quod argumentorum viribus protruditur, contrarium est opinioni eorum quibus fides jure debeatur, nempe sensui omnium, vel opinioni; ac sententiæ eorum qui adsunt, vel receptis vulgo opinionibus, vel eorum, qui pro sapientibus habentur, censuræ ac judicio, quæ pro falsis

Sophista
quis.

ma-

manifesto exhibantur, aut pro absurdis atque absonis reprobantur, aut non admittuntur tamquam paradoxa; sed maxime omnium cupit sophista ab ipso eodem adversario confessionem contrarii extorquere, non enim perinde, et gloriosum sibi ducit, et diversam tuenti partem turpe, si ille falsum aliquod ultro admittat, quàm si quid paradoxum, ac dubium, pugnans cum eo quod posuerat, altercando cogatur recipere, molem et vim rationum non sustinens; sed nos tamen momentaneam illam gloriam tantopere affectanti concedamus facile: modo ipsi veritatis fructum teneamus: ut si aberrasse sentiamus nos, revertamur in viam sive ultro, sive ab alio admoniti; quippe satius et fructuosius est recta ingredi, quo intendimus, quàm adversario non concedere de victoria, et pertinaciter tueri falsum: invicti quidem persisteremus, sed contra verum: a quo vinci longe præstat, quàm omnino contra illud tendere vinci ab homine contra disputante leve est ac brevissimum dedecus: falli autem et decipi malum ac miserum: nec raro vinci te ab altercante perpusillum honorem illi parit, tibi vero emolumentum grande: discedit ille inflatus victoria, tu liberatus ignorantia tanto ac tam foedo malo.

Vitanda sunt tamen in sophista tria potissimum captivum genera; ambiguitas omnis seu verbi unius, seu multorum, propositio falsorum dogmatum pro veris, nempe universaliter dictorum, quæ tantum in parte valent, et colligandæ argumentationis nexus fraudulentus; nec ejus inter disputandum doli nos lateant; nam ille in quibus situs est negotii totius cardo, agere se contemptim simulat, quo id negligentius a respondente expendatur: tum quæ perperam sunt admissa, vel concessa, vel negata, blandis verbis approbat, ac extollit, ut in eo confirmetur respondens, quod cum assensu et laude videt accipi; itaque suspectus sit nobis sive negligentiam præ se ferens, sive approbationem; proponit etiam quæstiones varias, ut ex responsionibus in eam demum invadat, quam se ex animi sui sententia tractaturum confidat; quocirca unam aliquam jubebimus eum deligere, quam velit ventilari; quòd si cœperit ex nostro campo digredi, sensimque et dolose aliorum pellicere, co-

gen-

gendus est, ut de statu quæstionis disputet, deque eo in quo versabitur controversia, idque impense urgendum: ne imprudentes eo delabamur, de quo diceremus imparati: quapropter si disceptatio certa sit ac finita, expediet in respondendo paulo pluribus explicare rem, ne ambiguitate obsceurescat, et ignorantia claudatur, unde brevissimo gradu dolus invadat tamquam ex insidiis, ad quem patefaciendum, si post longam altercationem revertamur, credat aliquis non sponte nostra huc nos venisse, sed devolutos sophistæ impulsibus; sin autem disputatio incerta sit atque infinita, de eo, quòdcunque poterit ex verbis nostris sophista arripere, consultissimum fuerit brevissima responsa interrogationibus reddere, et maxime ad rem; sed sophista interim sinit se se rogari, ut ostendat, quàm facile nos eludet, ac frustrabitur; itaque responsiones ædit ancipites, ut semper sibi caveat effugium: operæpretium fuerit exigere ut apertius loquatur, et rem diffinitione ac divisione planiorem faciat, ut omnia circumstantibus reddantur apertiora, ne et nos illi videamur cavillando similes.

Sophista res
pondens.

Itaque dabimus nos operam ne ludere atque argutari in verbis existimemur, sed iis utemur naturaliter eo ipso sensu, quo ab spectantibus consueverunt sumi; sunt interrogationes nonnullæ multiplices, quarum simplex et categorica responsio ambiguitatem ex quæsito trahit: fecisti sacrilegium? non feci: dubium est, quorsum ea responsio pertineat: utrum quòd nihil omnino surripuerit, an quòd non sacrum, vel non de sacro: hoc si sophista recusat exponere, ut captantem deludat, nos ipsi simplicius quærendo explicabimus: surripuisti hoc, an non? si negat, id est evincendum; sin fatetur, at hoc sacrum, itidem si abnuat, probandum: sin annuit, an de sacro: idem accidit in quovis argumento multicipite, ut si quis persuadere velit imperium unius esse optimum, quòd Romani in maximis quibusque reipublicæ periculis ad creandum dictatorem soliti essent confugere; sophista hic inveniet, quo et Romanos perstringat, non fuisse illam bene constitutam civitatem: et de dictatoribus cavilletur, vertisse illos civilem et legitimam potentiam in tyrannidem, ut Syllam, et Cæsarem, et quòd non sem-

Tom. III.

L

per

per id sit factum: ut in cæde Clodiana, et alias nonnunquam: itaque adhærebit, cui erit commodissimum, vel ex uno in aliud transiliet: nos vero meo ut sistat, postulabimus, in quo sit caput controversiæ; sed ille tamen, quum de re non habet jam amplius quod dicat, ad avertendam ab argumentis audientium intentionem, vel dicit de adversario, vel ad res alias egreditur: quæ jam ad disputationem non pertinent, et veri inquisitionem, sed ad rixam, aut inanem quandam velitationem: in quibusdam vero interim ad præsentem necessitatem elabendi. Brugis, M. D. XXXI.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE INSTRUMENTO PROBABILITATIS

LIBER UNUS.

MENS humana, quæ est facultas veri cognoscendi, naturalem quandam habet cognitionem, atque amicitiam, cum veris illis primis, et tamquam seminibus, unde reliqua vera nascuntur, quæ *anticipationes* atque *informationes* nominantur, a Græcis *καταλήψεις*: hinc Platonis est orta opinio recordari nos, non addiscere, et animas hominum magnarum multarumque rerum habuisse cognitionem, priusquam in corpus mergerentur; sed profecto non magis, quàm habent oculi notitias colorum, priusquam ex matris utero in hanc lucem prodeant; potestas ea est ad ista, non actus: ex principibus illis veris, paullatim alia vera colligit, sicut ex seminibus stirpes crescunt; sed novitas omnis admirationem parit, quæ postquam aliquandiu in ea subsistit mentis acies, stimulat ad quærendum, atque investigandum; ea provincia iudicio mandatur, unde assensio sequitur ejus, quod iudicatum est verum, et quasi accessio, dissensio autem et aversio ab eo quod falsum; est medium quiddam, quum neutrum horum agit; quod contigit, vel ambiguitate, distracto iudicio argumentorum momentis in varias partes, qui est motus et nutatio iudicii, vel quiescente iudicio,

cio, quum a quo impellatur non habet; et assensio unius, est oppositi dissensio, ac vice versa.

Assentitur simpliciter, *hoc est, hoc non est*: assentitur, sed pedetentim, et caute, nonnihil addubitans, *arbitror, opinor, credo*, quum animus quo argumentum impulit ita adhærescit, ut tamen securus non sit, et fieri aliter posse putet; infirmius etiamnum adhæret, quum illa exeunt, *suspicio, coniecto, ni fallor, videtur*, et per negationem, *non credo, non arbitror, non suspicio, non memini*: assentitur firme, et secure, et omni semoto dubio, quum dicit, *scio, compertum, exploratum habeo*; aut per negationem, nempe assensum firmum contrarii, *res est impossibilis, incredibilis, fabula, commentum, quis credat? tu id credis?* quæ interdum habent dubitationem, et admirationem magis quàm assensum contrarii confirmatum: ironia pro dissensione est; *sancus et diligens prætor Verres: homo infans et stultus Cicero*: ex admiratione nascitur quærendi cupiditas; in qua primus aggressus vocatur *questio*, qua volumus scrutari de essentia, aut inhærente alicujus rei, sive foras exeat ad alium, sive intra se ipsum subsistat qui quærit: quæstionum, aliæ simplex quoddam responsum postulant affirmationis, aut negationis, sine argumento, ut, *dic mihi Dameta cujum pecus?* quæ *interrogationes* nominantur, aliæ rationem et argumentum requirunt, aut certe fusiorem explicationem, quæ propriæ *questiones*, græci *ἑρωτήματα* interrogationem, *ᾠσµα* quæstionem dicunt, quamvis hæc interdum in linguis confunduntur.

Rogat quisque vel de re, *quid sit*, aut *cujusmodi*, *quemadmodum affecta*, quæ sunt infinita, nisi quis forte redigere ad ea loca argumentorum velit, de quibus statim loquemur, ut totidem ex rebus quæstio existat, ex quot argumenta per quæ satisfit quæstioni; rogat item de assensu aliorum, *quid tu sentis? quid populus? quid senatus? quid Aristoteles, aut Cicero?* Interdum se ipsum, *ego ne id credam? mane, expendamus acrius*: tum venit ad inquisitionem eorum; per quæ vel probando vel improbando acquiescat, cujus hæc est via: mens nostra in extrema rerum facie sensuum cognitionem, atque arbitrium, velut ducem sequitur, sed quem ipsa interdum deflexum de via ju-

Assensuum
differentiæ.

Questio,

dicio suo revocat; tum ex iis quæ a sensibus didicit, attollit se altius, ac penitius se condit in rerum intima, aliaque assequitur, et eruit, occulta, atque abstrusa, sic tamen ut aditus ad incognita sint prius cognita, ad incerta vero sint certa, credibilia quoque, ac verisimilia, ad ea de quibus ambigit; necesse est enim ut in assensu gradus attollat gradum, et sequentium adminiculum sint quæ præcessere; neque fieri potest ut, in cursu, ad metam perveniat qui medium prius non attigit, nec in tenebris spectari quid potest, nisi lucem admoventis, ita neque dubia, et tenebris obscurata, cerni unquam poterunt, si non lux aliqua affulgeat ex iis quæ nos velut spectata jam habemus ac certa; eundem ad modum in mensuris, in ponderibus, res ipsa nos docet ut quæ sunt jam nobis comperta et explorata, quæ probabilia et verisimilia, reddant ea, quibus pro censura admoverentur, talia, sive quòd consentanea sibi sint, sive quòd dissideant: incredibile memoratu est, quot, et quàm variis ad veri investigationem rationes humanum ingenium ineat, ac tentet, haud aliter quàm qui rem magnopere abditam in tenebris inquirunt: confirmant dubia ita esse aut non esse duorum modorum altero, aut quia aliquid sit, aut quia non sit: ut, *an carus*; quis Deo? carus, quia pacis et concordia amicus, et quia fluxas res non amat: non carus, nam concordiam habet invisam, et amat immodice *suum corpus*: ergo est argumentum id, quod, jam creditum, ad fidem rei nondum creditæ sumitur.

Argumentum.

Ordo credibilium.

Ordo vero eorum quæ creduntur, hic est: primam fidem arbitramur esse sensuum; hanc vulgus certissimam esse ducit, nec falli se ab illa posse, unde sunt illa: *et vocem his auribus hausit; ego hisce oculis vidi*: et Dominus in Evangelio, *Que vidimus*, inquit, *testamur*: apud Plautum quidam pluris facit *oculatum testem unum*, quàm *auritos decem*: sed falli nonnunquam oculorum obtutum, et aliorum sensuum aciem, res est quotidiana, vitio suo, aut medii, aut objecti, aut communis sensus, qui nisi advertat, nihil percipietur recte; ideo in antiquis Romæ testimoniis illud semper etiam rebus manifestissimis addebatur, *ut credo*: verum hæc causa non erat cur Academia in

to-

totum abrogaret fidem sensibus, quasi nihil recte possit deinceps agere, qui semel egerit prave; sed quod uno tempore erratum est a sensibus, alio corrigitur; quod ab uno homine, sarcitur ab alio: sunt paucula quædam in quibus necessario sensus labuntur, non culpa sua, sed rerum; his subvenit mens, cujus est certius iudicium atque exactius, quæque deprehenso semel sensuum errorem, certius deinceps iudicat. Secundus fidei locus est, quod suus cuique affectus suavitatis; qui quoad dominatur animo, omnia sui juris facit, et quamlibet falsa, exploratissima creduntur, nam acumen ingenii, et acrimoniam iudicii nebula quadam obducit ne quid valeat inspicere, nisi per eam ipsam; interdum quoque tanta est cæcitas, ut qui perturbationibus tenentur, videre se vel audire negent, quæ vident, atque audiunt; quandoque revera alienato mentis iudicio sensibus defungi non queunt; alias obstinatione quadam non ferunt affectioni quidquam obsistere; hinc amanti pulchra omnia, etiam deformissima, et in odio atque invidentia nihil satis bene; quanquam sunt in affectu proni quidam ad desperationem; ii nihil credunt, quod quidem optent evenisse: alii spem habent cum voto ad credulitatem propensiores; ad hos etiam quæ vana esse non ignorantur, tamen si affectum moveant, non nihil impetrant fidei, ut fabulæ quæ delectationem afferunt, ita enim iudicii vim voluptas occupat, ut nihil sinat agere, nec expendere cuiusmodi sint, quæ dicantur, vacet, quippe antecessit affectio censuram, et exclusit.

Dehinc sunt argumentorum, et rationis vires, tum auctoritas dicentis; sed in iis non omnes ad eundem se se modum habent: sunt qui omnia argumentis tribuant, non tam necessariis, quàm verisimilibus: alii necessaria requirunt: hi sunt, qui plurimum ingenio suo fidunt; nam apud eos qui non tam sibi placent, maluntque alienum dictum sequi quàm suum ipsorum, maximi ponderis est auctoritas: sed auctoritates tamen non omnes æqui sunt momenti, de quibus erit peculiaris dicendi locus; at si quid est alicui persuadendum, id, cui ille assentitur, ex probabiliis est numero, et uti Quintilianus ait:

Probabile.

Si quid inter utramque partem convenit, et cuicumque non contradicit

ad-

adversarius. Hoc in opere, omissis aliis fidei generibus ac formis, de argumentis atque auctoritate disserendum est nobis; nam sensus a natura sunt, qui non docentur; eos homines et ceteræ animantes communiter possident ex beneficio naturæ: affectus rapiuntur impetu, antequam rationem audiant; quibus de causis excitentur, aut residant, non est instituti hujus dicere, sed de *anima*. Ergo quicumque obscuras, atque incertas res, ex certioribus, et clarioribus, investigant, eisdem argumentorum instrumentis, ac velut armis, in diversissimo materialium genere utuntur; quippe, et jurisconsultus, et medicus, et geometres, et rhetor, aliquid in sua peritia, atque arte, quæsiturus, essentiam scrutatur, inhærentia, causas, effecta, ut eodem penicillo et in tabula pictor Cæsarem pingit, et in crusta Alexandrum, et in linteo bovem, et in charta pisces: hæc omnia, magnis quidem, atque exercitatis usu et prudentia ingenii, in promptu sunt, artis vice est illis acumen et celeritas mentis; verum tardioribus fuit consulendum: ipsis quoque felicissimis subeunt sæpenumero obliviones, aut difficultates in rebus maxime necessariis, ut sunt humana omnia infirma: optimum factu est visum eam ipsam inquirendi rationem, et colligendi probabilia, quam omnes communiter usurparent, observare, annotare, in præcepta redigere, et artem conficere, quam *de inveniendis* nominarunt, ne quoties aliquid esset vestigandum, peregrinandum haberet ingenium humanum, mole corporis velut tricis retardatum, per tantam immensitatem naturæ, et obtuso illi res essent densæ penetrandæ, et obscuræ perscrutandæ in tenebris.

Loci. Ergo digesta sunt singula, et tamquam in domunculas, et sedes, redacta, quos *locos* dixerunt apposito nomine, quodque Aristoteli placuit inventori, si Ciceroni credimus, facultatis hujus; est enim *locus* nomen *instrumenti*, quo rationem probabilem rimamur, sunt horum nomina tamquam lemmata nartheciorum apud pharmacopolas, et unguentarios, quibus illi admonentur quid in quoque insit narthecio, aut capsula, ne omnia evolvere sit necesse quum uno aliquo est opus: verum illud initio statim ignorari non oportet, confusam hoc tempore
et

et permistam quandam instrumentorum silvam a nobis tradi, quorum examinatio, et iudicium, quid unumquodque operi conducatur, et quantum, alterius sit contemplationis: ut sciat quisque, quantum in præsentia a nobis expectaturus sit, ne forte majora aut plura animo præsumens, quam quod dabitur, satisfactum sibi non esse indignetur, sua magis culpa quam nostra. Quæcumque ergo res in dubitationem venerit, eam oportet penitus inspicere interne, externe, sursum, deorsum, ante, retro, cogitatione et mente omnia perlustrare, ut *verum istud*, ad iudicium utique nostrum tam multis coopertum, et occultatum involucris, detegatur, atque in apertum se proferat; nam quum objecto dictum additur, nisi quæ utrobique latent, expromantur ac conferantur mutuo, non facile utique scietur quemadmodum illa inter se congruant, quocirca multum ars hæc a *prima philosophia* adjuvatur: spectanda sunt illa etiam quæ de *diffiniendo* et *dividendo* disseruimus, ea enim hunc in modum habent: primo loco est *rei essentia*, hinc *inhærentia*, tum actiones, passiones, causæ ipsius, et ea quorum illa ipsa est causa, quæ rem illam capiunt, sive in quibus est, et ea quæ res ipsa capit, quæ ad ipsam referunt, quæ ante eam sunt, quæ post addita, attributa, quæ humanis ingenii excogitata, et in argumentum *sunt assumpta*.

Essentiam rei patefaciant, et explicant diffinitiones, in quibus hæc insunt omnia, *genera*, *species*, *differentiæ*, seu *propria*, tum ea quibus quæque res *constituitur*, et *coagmentatur*; superius illud, quod est *generis* vice, essentiam inferioris utcumque demonstrat, in quo non tam est sumendum exactum illud genus, quam superius quiddam, ut de diffinitione diximus; *τὸ esse*, superius est ad omnia, eoque Cicero primo Tusculanarum Quæstionum probat *mortuos non esse miseros, quia non sint*; Athenienses juvenes gymnasiis se exercent, nam id est Græcis omnibus commune; sic ostendit Cicero si acta Cæsaris confirmantur, potissimum leges Cæsaris debere defendi ac confirmari, quoniam nihil est magis in actis, quam leges: *quære inquit, acta Gracchi, leges Semproniarum proferentur: quære Syllæ, Corneliæ*: ita enim leges sunt inter acta, ut homines inter animalia, et

Locus ab essentia.

A genere.

recurritur ab inferiore ad superius, hoc est, ab individuo ad formam, ab hac ad genus: *Qui potes malum negare, quem mendacem vides? et quem tu bonum vocas, non video quem locum probitatis teneat: ex proprietate et differentia; nihil magis est hominis quam iudicium, moderatio, consilium, ingenium, peritia, disciplina, quum sit animal rationabile, et disciplinæ capax; quid minus est ejus, quam furor, præcipitatio consilii, affectu rapi, rationi non obtemperare, præcipitem ruere in quodcumque animo fuerit collibitum? Mitio Terentii arguit se patrem esse, Deameam non esse, quòd: (1)*

*Hoc patrium sit potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu:
Hoc pater, inquit, et dominus interest: hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis.*

Totum.
Pars.

At res ex partibus suis constant, nec aliud est pars, quam ex quo cum alio, vel aliis, quicquam *construitur*; quarum aliæ sunt essentielles, et simplices, ut *materies* et *effectio*; aliæ compositæ, ut quæ ad *quantitatem* videntur referri: ex *materie* deprehenderunt physici animantes omnes mortales esse, propterea quòd hæc instabilis esset, et fluxa, facileque mutationibus præberet locum; et Juppiter apud Ovidium ex materia domus factorum concludit ea esse immutabilia: (2)

*—Tu sola insuperabile fatum
Nata movere putas? Intres licet ipsa sororum
Tecta trium:*

Et quæ sequuntur; Cicero vilitatem funeris Clodii arguit, quòd tam multæ deessent partes, *imagines, laudatio, et ejusmodi.*

Ex hominis *effectio* intelligitur hominem non posse terrenis et caducis expleri, cujus animus cælestis immortalisque sit; L. Crassus orator non esse mirandum dixit, si Domitius vocaretur *Ænobarbus, cui esset os ferreum, et cor plumbeum*; Aristoteles col-

(1) Terent. Adolph. act. 1. scen. 1. vers. 48.

(2) Metamorph. lib. 15. vers. 809.

colligit *pisces respirare, quia habeant pulmonem, et apes non respirare, quia non habeant, nec suspicere disciplinam, quòd inauritæ sint: ad partem dixerim pertinere sexum, marem, feminam. Conjuncta sunt cum essentia ea, quæ solo casu et vocis mutatione distant, quæ a Cicerone conjugata nominantur, ut sapiens, sapienter, sapere, sapientia; homo, humanus, humaniter; Terentius:*

Conjugata.

Homo sum, humani nihil a me alienum puto: (1)

in quibus duæ sunt concludendi formulæ; nam vel ad idem pertinent, vel ad duo, singula ad singula; prius est, *si eloquens est admirabilis, eloquentia est admiranda, alterum, divitiæ sunt beatitudo, divites ergo sunt beati: si conjugata conjugatis referantur sine adjectione ulla, valida existunt plerumque argumenta, ut, sapere, est recte vivere: ergo sapientia, recta vita, sapiens, recte vivens: sin quid addatur, pinguis, et perquam infirma; nec illa ipsa superiora satis in toto genere constant: homo est pulcher, ergo humanitas pulchritudo: Philosophi sunt mali, ergo philosophia est mala: hæc est bona, ergo illi boni: sed hic inventionem tradimus, non iudicium. Diffinitio postrema est hujus loci; persequitur C. Cassius Dolabellam: quæ lege? Cicero diffinitione legis ostendit optima et maxima lege, sic enim inquit in Antoniana undecima: quid C. Cassius pari magnitudine, et animi, et consilii, præditus? nonne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? quæ lege? quo jure? eo, quod Juppiter ipse sanxit: ut omnia quæ reipublicæ salutaria essent, legitima et justa haberentur; est enim lex nihil aliud, nisi recta, et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria: huic igitur legi paruit Cassius: nec refert diffinitio, ne sit essentialis, an quæ descriptiones nominantur, nam plerumque rei essentia non aliter, quam ex adjunctis cognoscitur: hinc sumuntur plurimæ controversiæ quid hoc, quid illud nominetur; quid sit sacrilegium, quid telum, quid postliminium?*

A diffinitio
ne.

Alter locus capit *inherentia* amplissimo argumentorum receptu; primum ex iis, quæ sensibus sunt obvia, et ei sensui,

Ab inhere-
ntibus.

Tom. III.

M

qui

(1) Heauton. act. 1. Scen. 1. vers. 25.

qui communis nominatur, hinc occulta deprehenduntur; terræ, ac stipium vires ex colore, sapore, tactu, odore, ut apud Vergilium de iudicio soli:

Et sapor indicium faciet manifestus et ora (1)
Tristia tentatum sensu torquebit amaror.

Animantium naturæ ex facie, quod est physiognomorum; medicorum quoque ut qui morbos etiam ex voce deprehendunt; architecti locorum et ædificiorum rationem et commoditatem ex resonantia; et musici chordarum ex sono; dicunt fuisse, qui de facie iudicium ferret ex voce, credo de buccis et naso, nam ea sunt vocis organa; tum ex odore anhelitus de valetudine medici pronuntiant; ex oculorum et vultus habitu cognoscitur quemadmodum quisque sit affectus, alius est enim faciei habitus iratis quàm placidis, lætis quàm tristibus, metuentibus quàm spei et fiduciæ plenis; Seneca in ludo negat *Claudium debere deum fieri, quòd non esset corpore divinæ majestatis capaci*; et barbari formosissimos quosque homines principes faciebant, quòd existimarent in ejusmodi corporibus habitare animos non dissimiles; hinc illa: *pulchros pulchra decent: non bene olet, qui bene semper olet*: et Dominus apud Prophetam exprobrat Judææ genti impudentiam: *Frons, inquit, mulieris meretricis tibi facta est*: facies enim pudoris est sedes, et potissimum oculi, qui iudices sunt quemadmodum animo affecti simus; Pythagoras ex magnitudine pedis Herculis, ut Plutarchus refert, assecutus est, quantus ille esset, quantumque homines reliquos amplitudine corporis antecederet; hinc proverbium: *Ex unguibus leonem (2)*: quæ habent etiam nonnihil comparationis; ideo ad ea quoque pertinent quæ sunt *ad rem*; Ovidius hominem ostendit esse animalium præstantissimum, quòd *prona quum spectent animalia cetera terram*, et cetera: non veniunt in hunc locum, quæ quis dixit, sed vocis sonus; nec illa: *ego vidi, ego audivi*, auctoritatis enim sunt hæc.

Præ-

(1) Georg. lib. 2. vers. 246.

(2) Por el hilo se saca el ovillo, i por lo pasado lo no venido.

Præterea externa *inherentia* externorum sunt signa; ut ignis *celeritas calorem arguit, et aspectus glaciei rigentem esse aquam testatur*; sunt alia *adjuncta*, quæ capiuntur animo, huc veniunt per externa, sed alia tamen fiunt verisimilia per illa; velut, a leone magis quàm a cane discerptum hominem, quòd ea est *feræ sævitia*; toxico potius aliquem subito extinctum, quàm bubula: medici ex rerum viribus, ac naturis quas edit quis, si in morbum incidat, censent quid maxime valetudini obfuerit; huius rationis sunt illa, *furienti gladium non tradendum; puero, aut impotenti, ac violento animo publicam functionem non credendum; utique nec ovem lupo*. Actio sequitur, quæ ut ex interiore quadam vi et ingenio cujusque rei proficiscitur, ita eam ipsam vim hominibus ostendit, et declarat, ut naturam fontis, vel putei, quam inde hauseris aquam; eodem quasi contubernio *passionem* colloco, quòd complicatæ ita sunt, ut actio esse non possit, ubi non et passio, et contra; tum multa actionis creduntur esse, quæ ad passionem alii referunt: ut sensus omnes Aristoteles audire, videre, olfacere, tangere, gustare: hinc promuntur quæcunque quis fecit, dixit, voluit, cogitavit, nec solum in transacto jam tempore, sed in præsentī, et venturo: sedes signorum confertissima: *consciūs sceleris, nam expalluit, fugit, titubavit; odit, nam torsit eos, minatus est, indignatus est, torve aspexit*: Cicero arguit *Clodium insidias Miloni fecisse, quòd dixisset triduo illum moriturum: qualis vir, inquit vetus verbum, talis oratio*: et Dominus in Evangelio: *A fructibus eorum cognoscetis eos*: ex iis quæ quis egit, qualia aget; videlicet, sumto naturæ illius rei velut gustu quodam; unde collecta sunt experimenta naturæ rerum, et efficaciam eorum, quæ utilia nobis essent, quæ noxia.

Ab actione.

Ex actibus non solum interiora *inhærentia*, vires, potentiam, imbecillitas, generositas, degeneratio: *perfectus adamas, nam ferro non cessit; ignavus canis, qui lupum metuit; bonus magnes, chalybem traxit*: sed exteriora eliciuntur quoque: *dulce hoc vinum, quod calfecit*: et inter hæc numerantur quæ quis non fecit, tamquam in quiete sit ratio aliqua actionis: *consciūs, tacuit enim: robur animi* in Tito Annio Milone, quòd in iudicio

capitali non perturbetur animo, non illacrimetur, non *deprece-
retur iudices*: eadem sunt, sed φιλοσοφώτερα in Publio Rutilio, et
Socrate Platonis; adde etiam, ut puto, veriora, et accommo-
datiora ad formulam exactæ virtutis, quæ ille persequitur in
apologia ejus, item Xenophon: solemus item dicere: *ne diruas
quæ ipse non extruxisti: non vis prodesse, saltem ne obsis*: quasi qui
illa non facit, par sit eum nec altera facere; in quo est ceu
vis quædam auctoritatis debiti officii, de quo mox verba fa-
ciemus; Agamemnon apud Homerum verat Achillem animi et
corporis viribus efferri: *Dii*, inquit, *huic illa dedere*: ceu dicat,
ne superbias iis rebus, quas ipse non parasti tibi, sed habes alie-
no beneficio; explicatius apud Paulum Apostolum, et pie ma-
gis: *Quid habes quod non accepisti? sin autem accepisti, quid glo-
riaris quasi non acceperis?* Actio quoque actionem excludit: *ne
occidat, quandoquidem expoliavit*: modus actionis hic expenditur,
quomodo quicquid sit actum: tum pro passione est qui pati-
tur, nempe, personæ, aut rei patientis qualitas, ut, *lesum ho-
minem, et amicum lesum, ac bene merentem magistratum, patrem*:
sicut in Propheta: *Virga percutient maxillam iudicis Israel*: et
Demosthenes invidiam conflatur Midie, quod *in facie ab eo cæ-
sus esset, et quidem coronatus*. Conjunctissimæ sunt *causæ* actioni,
nam causa est in proposito, a qua fit aliquid, aut propter quam
fit; illa efficiens nominatur, hæc finis: poterat efficiens causa
ad ea videri, quæ *ante rem* sunt, spectare, ut finis atque effec-
tum *post rem*; sed consultius fuit hæc separare, quod nonnullæ
causæ sunt simul eum effectis rebus; tum percipiuntur facilius
hæc; nec est quicquam periculi, uti postea ostendam, si ea-
dem pluribus interdum sint locis comprehensa: causarum alia
naturalis est, cujus actionis principium, ac vis, est in ipsius
effectiois natura, ut igni calfacere, aquæ frigefacere; aliæ qui-
bus fit vis, ut aquæ ab igne fervefactæ calfacere, lapidi excus-
so ascendere; sed hæc non diuturna sunt, remoto eo quod vim
affert unumquodque ad naturam suam actutum recurrit, unde
est illud: *Violenta non diuturna*: Dionysius quum matri suæ ve-
tulæ dissuaderet conjugium, quod ipsa vehementer expetebat:
Leges, inquit, *humanas cogere possumus, naturæ non possumus*: nam
sunt

sunt quædam naturalia, quibus non fit vis, ut in cursu vitæ.

Naturali causæ aliâ quadam ratione opposita est fortuita
causa, in quam et casus et inconstantia incurrit: *Hic malus ver-
sus non est Homeri, nam ille est optimus vates*: ita est; sed ali-
quando poëtæ doctissimi versus edunt non doctissimos: *quan-
doque bonus dormitat Homerus*: ut inquit Horat. Est et causa
quædam propinquior, alia remotior, in quo multa sunt inter-
valla, et tamquam gradus, videlicet, ut quæque proprius ad
effectum accedit, aut longius; in homine primi sunt parentes,
hinc avi, proavi; et patria, in qua est natus, propior quàm
patria parentum, aut illa, in quam est receptus, et ascitus,
nam duplicem facit patriam Cicero, civitatis, et naturæ, ut ip-
si civitatis patria sit *Roma*, naturæ *Arpinum*; est etiam patria
antiqua quæ parentes vel avos edidit, ut *Regillum* antiqua pa-
tria *Claudiorum* apud Livium; patria quidem quatenus *genuit*,
atque *educavit*, in his reponitur, nam si *locus* sit tantum, in iis
est, quæ *rem capiunt*: ex omnibus trahuntur argumenta: *bonum
ex bonis prognatum, malum ex malis*: unde originem habuit no-
bilitas: Dominus in Evangelio: *Si filii Abraæ estis, opera Abraæ
facite*: videlicet, non decet filium boni viri, malum esse: apud
Livium Publius Sempronius, Tribunus plebis, connumeratis Ap-
piæ gentis fœdis facinoribus, ostendit, *nihil mirandum, si talis
sit Appius ille, qui contra leges censuram retinebat*; et Cicero se-
cunda Antoniana docet, *nihil fuisse opus Bruto et Cassio cohorta-
tione sua ad occidendum Casarem, quum illis essent majoribus proge-
niti*: in patria, *Pænum perfidum, avarum Romanum*: et compara-
tionem habent causæ; non tam similis nepos avo, quàm patri
filius; non ita mores induimus civitatis qua donati sumus, ut in
qua nati, et alti, at patriæ nostræ magis quàm parentum, vel
avorum, non tamen ita ejus in qua educati, ut in qua nati
solum.

Neque genitores, aut patria, in solis excutiuntur homini-
bus, sed multo magis in ceteris animantibus, atque inanimis
rebus, quia in illis plus valet natura, quæ voluntate et elec-
tione non ducuntur: *Leo Europæ animosior quàm Africa, hic au-
tem ferocior: Adamas in Arabia repertus præstantior Cyprio*: *una
me-*

melior Saguntina quàm Parisiensis, melior hæc quàm Lovaniensis: canes, oves, boves ex hoc aut illo seminio optimi, aut pessimi: et quemadmodum in hominibus, ita in ceteris rebus auctor conciliat precium operi, vel detrahit: versus pessimus, quia Chærii, aut Mevii: oratio optima, nempe Ciceronis: acutum inventum, quia Aristotelis: ut sint qui damnare metuant, quæ non probant, veneratione tantum auctoris: ut, quosdam versus Vergilii, aut Homeri, phrasim in Cicerone, argumenta Aristotelis, picturam Apellis: hæc enim qui non admiraretur, rudis haberetur spectator; hinc illud, Malo cum Platone errare, quàm cum aliis bene dicere: in remotioribus causis, et in quibus est transitus, error solet sæpe intervenire in gradibus per quos rem deducimus: ut, rixa causa cædis, nam ex rixa jurgia, ex his odium, hinc pugna, ex hac vulnera, unde cædes: nec semper hæc se se ut posita sunt, consequuntur, ideo etiam causæ incertæ nominantur, nam aliæ certæ sunt, ex quibus semper illud efficitur quod sub eis subjectum est, aliæ incertæ, quæ varietatem recipiunt, ut:

Non semper feriet, quodcumque minabitur arcus. (1)

Non omnes moriuntur, quibus mors est denunciata: ex quibus, hæc raro, ille sæpe, aliæ plerumque officunt: est causa involuntaria, quæ vi naturæ sine voluntate et delectu agit, velut ignis ardere et calfacere, primi impetus affectuum sine ratione aliquo rapi, idcirco diminuitur illis culpa; sicuti neque animantes criminamur si quid egerint ad quod instinctu naturæ suæ videntur impulsæ; et minus culpamus stultos, quàm sapientes, quia minus eligunt; et leges multum ignoscunt primis animi concitationibus: aliæ sunt voluntariæ, in quibus voluntas et electio habet regnum, ut in homine: in conjecturis, quum, factum ne sit, aut fiet, quæritur, prima solet voluntas considerari, an voluerit, an volet.

Causæ adiungitur facultas, quasi dynamis et potentia rei faciendæ: ergo res pro facta habetur, si voluntas et facultas eadem

(1) Horat. de Arte Poetica vers. 340.

dem adsint; quòd si alterutrum desit, nihil fiet: Cicero de Cæsare: *nihil habet fortuna tua majus, quàm ut possis, nec natura tua melius, quàm ut velis conservare quàmplurimos: Plinius Tito Vespasiano, nec quicquam mutavit in te fortunæ amplitudo in his, nisi ut tantundem prodesse posses, ut velles: Thyestes in Tragedia omnia se ait timere, quòd Atreus frater tantum, inquit, potest quantum odit: contradicimus; quod est apud Ciceronem: non proderit, quia nolet; nec oberit, quia non poterit, aut nesciet: et de populo Romano ejusdem ad Atticum: quum videas voluntatem civitatis solutam, virtutem alligatam. In facultate sunt ars, peritia, exercitatio, usus; idcirco ex anteacta vita conjecturam oratores faciunt de præsentibus, aut ventura, ut Quintilianus de milite Mariano, Cicero de Marco Cælio, et Lucio Antonio, qui locus est apud eos frequentissimus; et Plato non se quempiam, ait, reprehendere, quòd luderet, sed quòd adsuefactionem sibi generaret, quæ postea vel inditum eodem protruderet. Est etiam in facultate instrumentum: verisimilius Remum vomere occisum, quàm gladio, quippe rusticis illis vomer magis ad manum, et feminam veneno interceptisse hominem, gladiatorem ferro. Est causa quæ, sine qua non, dicitur, ut apud Quintilianum in apibus pauperis: in summa, iudices, quis dubitat, quin ei sit damnum imputandum, sine quo non accidisset? Hæc quidem de auctore, sive efficiente causa, nunc de fine, etenim quicquid agit, finem aliquem spectat, cujus gratia aliqua parata, et quæsita sunt quæ media dici solent; ex fine de mediis censetur, et de eo ipso ex mediis, quòd et finem sibi illum statuit, et media propter finem sumpsit.*

Ergo de voluntate et facto quum dubitatur, ex fine promuntur argumenta; unde est illud Cassii Prætoris, qui quum fecisset ne quis, an non fecisset, inquireret, rogare illum solitum ferunt, cui bono fuit? quid emolumenti relaturus erat, si fecisset? quid incommodi; si non fecisset? existimabat enim homo acutus neminem gratis esse bonum, aut malum: Voluit Clodius Milonem occidere, quòd eo sublato versaturum se rempublicam pro libito sperabat: et alia quæ sibi præstituisse, ac concepisse animo explicat in ea oratione Cicero: *Non est credibili Ligarium bello voluisse se impli-*

Instrumentum.

A fine.

ca-

care, qui domum spectaret, qui redire ad suos cuperet, hæc vero per bellum consequi non poterat: Credibile est Casarem ultro venisse ad bellum civile, qui sibi spem regni a puero fecisset, et cupiditatem tot victoriis auxisset. Et qualitas rei arguitur ex destinatis, non modo essentia: Sanctum lucrum, quod in eleemosynis consumetur; pia patientia, quæ pro celestibus at immortalis felicitate suspicitur: etiam de qualitate ejus, qui finem sibi proposuerat: vir bonus, nam hæc omnia pauperibus recipiendis extruxerat. Causæ et effecta mutuam sibi confirmationem præbent, nam ut causæ effectas res arguunt, ita contra effectæ res causas, bona causa bonum effectum, et e contrario; eadem causa similia effecta, et hæc eandem causam: ignis calorem, et calor ignem: quæ quum causis respondeant, ad eundem possunt modum distribui, quo de causis est dictum: sunt effecta naturalia, ut calor ignis: sunt violenta, quibus adhibetur vis, ut apud Vergilium de opere, diligentia, labore assiduo, qui obeundus est ut terra aliquid fundat, sic in multis hominum ingeniis ut aliquid discant, aut recte faciant:

Effecta.

*Vidi lecta diu, inquit ille, et multo spectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret:::(1)*

Et illud Terentii, *Redis ad ingenium*, (2) quasi tu non malis multo narrare hoc mihi, quam ego audire.

Eventus.

Fortuitum effectum in quo est casus, ex inconstantia deprehenditur quòd semper sic non evenit: Cicero de Antonio: *Quis dubitet hunc casu benefecisse, natura scelus esse*: hic sunt eventus: *melior dux Scipio Annibale, quia illum vicit*: in quibus variat sors, nam sæpe meliorem vincit pejor, ut *Menandrum Philemon in certamine comædiæ*: sic apud Ciceronem; *adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui sæpe spoliantem jam et exultantem evertit, et perculit ab abstracto*: non est verisimile tantum universi, et tam constantem ordinem, casu vel factum esse, vel regi: *quis credat tam elegantem tabulam*

ca-

(1) Verg. Georg. lib. 1. vers. 197.

(2) In Hecyra. act. 1. scen. 2. vers. 35.

casu pictam non arte? Est effectum proximum et remotum, ut, uxorem nolle Pamphilum, quia Davus timet, ne detur, quoniamquidem maximus eorum amor præstat eis idem nolle, et idem velle, hinc timere Davum planum facit timere etiam Pamphilum, si timet, non vult: est certus; Hercules probatur vera Jovis proles ex facinoribus: Dominus noster in Evangelio Joannis, ex operibus colligit cujus sint filii Judei, nempe diaboli, et non Dei, vel Abraæ: Cicero Antoniana decima tertia: hæc si cogitas, M. Lepide, M. Lepidi pontificis maximi fueris pronepos: sic Germani olim liberos suos nascentes Rheno explorabant, et aquila pullum ad solis radium: Cicero in Sallustium: prætereo patrem tuum, qui si nunquam in vita sua peccavit, tamen majorem injuriam Reipublicæ facere non potuit, quam quòd te talem filium genuit: incertum effectum, ut, hunc occisum ab illo, cum quo simultates exercebat, aut ex prandio largiore: punitur, ergo peccavit: est voluntarium, et involuntarium: tantum et tam diuturnum flagitium meditatam est, et a malitia profectum, non ab effectu rapido: facit etiam opus fidem facultatis: oportet, qui hæc pinxit, optimum esse pictorem, et qui sic orat, hominem indisertum: tu nisi fingeres, non sic ageres, inquit Cicero: instrumentum quoque judicatur ex re facta: ut pro Milone, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari: et quemadmodum ab effectis ad causas revertimur, ita ab aliis quæ sunt propter finem, aut ab eo qui destinavit, ad finem ipsum: *Tanta materia navalis non est collecta nisi ad bellum*: quæ fuit tertii belli Punici causa: *et tanta vis telorum in domo Corn. Cethegi suspicionem auxit civilis bellis, et conjurationis*: jam ab eo qui destinat: *magna cæditur materia navalis, sed non ad bellum Romanum, nam Massinissæ cæditur nobis amicissimo*: non lucratur avarus homo, ut distribuat, sed ut custodiat.

Sequitur id in quo est res, seu quod rem capit; primum, conjunctissima sunt inhærens, et subjectum, quorum illud est in hoc; et quemadmodum per sensus ab inhærente ad subjectum progredimur, ita indagine quadam mentis ab hoc in illud: ut, non posse nivem esse calidam, quòd eliquabili sit materia, quæ calori admota in aquam resolvitur: non posse animum, affectibus ob-

Ab eo in quo est.

noxium, sapientem esse, quod affectus iudicium, omne, ac sapientiam perturbant: Cicero quinto Tuscul. ex subjecto colligit felicitatem esse in mente: etenim, inquit, quae pars optatissima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod queris optimum: capit etiam rem, quod est velut indumentum, et vestitus quidam, ut in metallis scoria, in truncis cortex, in fructibus putamen, et lanugo, quibus saepe probitas, improbitas, seminium, vires, patria iudicatur, in avibus pluma, in animantibus villi, setae, vellera, et robur leonis atque ursi ex setis, item apri, in homine cutis et pili: Juvenalis: (1)

—Et dure per brachia setae
Promittunt atrocem animum:

Nisi quis hæc partem malit dicere; sed homo est in vestitu, armatura, et quicquid corpori circumdatur; ex quo Turnus Vergilianus convicium ignaviae Phrygum fecit: (2)

Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae:

Et Lentulus apud Lucanum de Parthis: (3)

Illic et laxas vestes, et fluxa virorum
Velamenta vides:

Cæsar ex cinctu iudicabatur mollis et effeminatus; hinc iocus Ciceronis interrogati, quomodo errasset in electione partium? præcinctura me decepit: et dissolutum Quintii animum declarat idem Cicero ex amictu, et illa usque ad talos demissa purpura, pro habitu: et apud Ovidium frigus Scytharum, (4)

Pellibus, et laxis arcant mala frigora braccis,
Oraque de toto corpore sola vides.

Locus.

Continentur etiam omnia loco, et tempore; de loco: hoc vinum fuit in utre, ergo sapiet picem: versatus est hic vir Carthagini, ergo didicit fallere; Athenis, loqui; Lutetiae, altercari: a sep-

(1) Sat. 2. vers. 11.

(3) Lib. 8. vers. 369.

(2) Æneid. lib. 9. vers. 616.

(4) Lib. 5. trist. Eleg. 7. vers. 49.

septentrione spirat ventus, ergo frigidus: Cicero pro Scauro, ex templis circa forum Romanum suppeditari sibi ait quod pro Scauro dicat: tempus: hic infans potest jam ridere, nam plures quadraginta dies natus: adjecta et loco, et tempori, partim naturalia sunt, partim ex humanis rebus, atque operibus sumta; locus latus, angustus, montosus, planus, maritimus, ad septentrionem, sub hoc caelo, juxta aquam, prope silvam: non pugnandum cum equite hoc loco, quia est planus: dicitur enim: equum in planiciem vocare: contrahendus in angustias: de quo est illud: cave ne craterium in fossam: tum, sordidus, nitidus, splendidus: non est verisimile regem hic diversatum in tam humili et sordido tuguriolo: Aristoteles Deo attribuit caelum pro sede ob loci excellentiam, in libro de mundo, vel quisquis est ejus auctor: indignitatem mortis Herculeæ ostendunt illi in tragœdia, quod non solus esset futurus in Charontis cymba: Lucanus cupidinem dominandi Cæsaris et Pompeji non potest manifestiorem facere, quam quod tantum imperium duobus esset angustum: idem Scythæ Alexandro apud Curtium exprobrant: jam, locus publicus, privatus, sacer, prophanus, noster, alienus, frequens, desertus: tum, quibus frequens, amicis, inimicis, armatis, inermibus, in castris, ruri, in urbe, in agro, in via publica; quæque sunt in loco omnia conjecturas hinc natas suggerunt, ut in oratione Camilli de templis Romanis, et sacris apud Livium; alia alios locos decent; non in templo rixandum, non philosophandum in ganea: Ajax Ovidianus indignum factu ait esse, quod quum causa agatur ante rates, conferatur secum Ulysses, quippe Ulysses persequentibus Trojanis naves deseruerat, ipse servarat: Cicero timere se dicit quamvis dicat pro fortissimo viro, quod insolita fori facies, dispositis ubique armatis a Pompejo, animos terret: et in eadem oratione, invidia cædis Clodianæ, quod occisus esset in via Appia monimento suorum majorum: et in Antonium: quid faceres domi tue, quum aliena tam sis insolens? Hinc illud Laconis ad Milesium delicate nimis se se gerentem: domi, non hic, Milesia: Seneca in ludo ridet Claudium, quod quum Romæ fuisset audacissimus, in caelo non auderet hiscere: gallum, inquit, in suo sterquilinio plurimum posse.

Tempus naturale est primum modi, seu quantitatis, ut, prudens,

dens, quia diu vixit: quid potuit uno die fieri? unde sunt excusationes illæ scribentium, quod exiguum sit tempus ad componendum relictum: et tempus numeri, quod re ipsa a modo non distat, sed tantum nostro vel loquendi, vel cogitandi, more: *Judei Domino nostro objiciunt, quum nondum esset quinquaginta annos natus, quæ potuerit Abraam videre, jam olim vita functum?* hic est ætas: hæc ætas aliam vitam, alios mores postulat: faciat, quia non est facturus diu: ut apud Joannem in revelatione: *Tempus breve est, qui sordet, sordeat adhuc: et in comædia: prope est, pater, quum alieno arbitrio vivendum est mihi:* dicitur etiam contra: *quid juvat congerere quæ sis brevi relicturus:* ut Paulus: *de cetero, fratres, tempus breve est, itaque qui habent uxores, sint tamquam non habentes:* apud eundem multa sunt ex tempore deducta argumenta, ut, *hortamur vos, ne in cassum gratiam Dei recipiatis, ait enim tempore accepto exaudi vi te, et in die salutis audi vi te:* et alibi, *scientes quia tempus est jam nos de somno surgere:* tametsi hoc ad illud pertinet, ut quando tempus est breve, illis nos paremus rebus, quæ post hoc tempus sequentur, sed a tempore ductum est argumentum: Cicero secundo de Officiis libro, L. Crassum ait magnam laudem ex accusatione Carbonis esse adeptum, quod ea ætate ostendit id se in foro optime jam præmeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari: et disciplina atque industria militaris Pompeji demonstratur, quod tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes nationes gentesque premebantur, extrema hieme apparuit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit: hoc enim non ex qualitate temporis, sed ex mensura pendet; qualitates enim sunt, naturales; ætas, hiems, ver, autumnus, rigor, tepor, meridies, vesper.

Alia aliis temporibus decent et conveniunt: mane consilium, ut dicebat Socrates, *vesperi convivium:* hinc illa execratio Salomonis: *Væ tibi terræ, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt,* hoc est, tum epulantur, quum de consilio erat cogitandum, non de voluptate; et Horatius de rebus intempestivis:

Penula solstitio, campestre nivibus auris. (1)

Tum

(1) Epist. lib. 1. Epist. 11. vers. 18.

Tum ex nobis: *sementis, messis, vindemiæ: non vexandi nunc agricolæ, quia vindemiæ, quia messis: nundinæ, mercatus, festum, profestum, tempus pacis, tempus belli, tyrannidis, libertatis,* nam status rerum tempora solent appellari, ut, *difficilia, periculosa, facilia tempora:* sunt quædam quæ occultius vel tempus significant; vel locum: *gaudendum, quia venit maritus, quia bellum finitum;* tempus est: *quoniam amicus adest;* locus. Jam quæ sunt in alio, vel fuerunt, argumentum de eo adferunt: *mirandum non est vinum in hoc dolio acescere, in quo fuit acetum:* et, *omnes esse Oratores, ubi Cicero vixerit:* ab aliis quoque rationibus ac modis, quibus esse in aliquo res dicitur, argumenta deducuntur, ut, quod Dominus Philippo respondit roganti de patre: *Qui videt me, videt et Patre meum, nam ego in Patre, et Pater in me est:* tum simile est in simili, velut, *quum prætori, aut senatui, aliquid interdixisse eum vel statuisse dicimus, quod præcessores fecerint:* et honorem Hephæstioni habitum pro suo Alexander duxit: *nam et hic est, inquit, Alexander: qui corruptit semina, corruptit anni alimenta, quæ sunt in seminibus: Oratio hæc est acerba, et rabiosa, apparet ergo animum unde est profecta, non fuisse tum æquum et liquidum: Regnum prave ac perturbate regi, indicio est Regem, aut consiliarios, vel imprudentes esse, vel malos: Rex hoc concessit, non ergo regnum refragabitur, nam in quo alio est regnum? Seges hæc vitata, degenerans prodit, semen ergo fuit corruptum.* Ad rem dico in præsentia differri separata, non solum ea quæ sunt ad aliquid, inter quæ sunt æqualia, ut, *amici, inimici, sodales, socii, vicini:* Cicero ostendit *Catilinam esse sentinam urbis, quod nemo tota Italia fuerit nefarius homo, et scelerosus, quin se cum Catilina familiarissime vixisse fateretur: oportet te esse malum virum, qui sis optimo viro inimicus:* Cicero pro Cælio: *negat velle sibi esse inimicitias cum Clodia, quam omnes amicam potius omnium, quam cujusquam inimicam putaverunt:* ex susceptis inimicitias cum magno arguitur vel magnitudo animi, vel temeritas: quanta sit furia *Alecto* declarat Vergilius, quod nec Pluto, nec sorores sint illi amicæ:

Ad rem.

Odit

Odit et ipse pater Pluton, odere sorores

Tartareæ::: (1)

Et urbanus ille improbitatem atque importunitatem Tyberii Cæsaris explicuit: *breviser vis omnia dicam? dispeream, si te mater amare potest.*

Sodales: Cum sancto sanctus eris: quales socii, talis ipse: Demosthenes qualis Philippus esset ostendit ex iis quibus cum vivat, et quibus delectetur, est enim vel conformitas in hoc, vel contagies. Vicini, ut, Cyrenaici sunt superstitionibus dediti, videlicet Ægyptiis confines. Sunt ad aliquid Majora, ut, Deus, patria, quæ et locus est, et causa, atque origo; quædam etiam relatio, ut parentes, ad causas pertinent, et ad hunc cœtum, diversa tamen ratione, illic ut genitores, hic ut majores, et quibus subditos esse liberos par est, Dominus, princeps, magistratus, maritus, tutor, patruus, magister, itaque illa omnia: Dei perfecta sunt opera, nempe tanti artificis; et, nihil temere fieri a tali praside, sed omnia justissime: et quod est apud Ciceronem de Demetrio Phaleræo, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere; et in comœdia, philosophos habet domi, et, mali corvi malum ovum, causæ sunt, non secus ac si quis dicat, calidus, quia ad ignem accessit; illa vero sunt nationis hujus: Non decet sic vivere, cui Deus præest, et adest; nunc Brutus amaret vivere sub regno tali, succumberet aula Fabricius, cuperent ipsi servire Catones: minora, quæ ad majora referuntur, civis, subditus, privatus, servus, filius, uxor, discipulus: ex familiarium moribus quales sint ipsi domini conjicimus: ex populo, bene, aut secus morato, atque instituto, quales ii qui reipublicæ præsumt, et ad quos pertinet morum cura: Terentius: apparet servum hunc esse domini pauperis, miserique: quam hæc ad exemplar possunt pertinere, quod in causis numeratur; sed illud Crassi ad Philippum, proprium magis est loci hujus: non es meus Consul, cui ego non sum Senator: alia sunt relata natura, ut, similia, pater, ac filius; alia voluntate, amicus, inimicus; alia fortuna, seu sorte, magistratus, privatus; dominus, servus: non video cur docere sit turpe, quum discere sit

(1) Æneid. lib. 7. vers. 127.

sit pulcherrimum: inter hæc sunt temporis, locique, differentia, seu, positus, prius, posterius, ante, retro, sursum, deorsum: non decet te loqui primum, quum sis postremus: loquere major natu, decet enim te: non convenit te hoc agere, qui sis princeps: nam hic ordo est loci, in quibus videndum ne fallatur quis, nam posterius concludit prius, si unicum sit prius posteriori illi, sin secus, non concludit: Euntibus hinc in Hispaniam prior est Luteitia, quam Aurelia, possum tamen alia pervenisse Aureliam.

In tempore non ita se res habet, in quo est velut unica, simplex linea, ut, *neesse est autumnum æstati succedere, annum tricesimum vigesimo: unde jocus ille Ciceronis: fieri non potest, ut quum declamaret, natus non esset: hic liber non est Cypriani, in quo fit Pipini mentio, neque hic Augustini, qui de Regibus Francorum loquitur qui tanto post fuerunt: at vero prius non evincit fuisse posterius, vel fore, vel esse; ut, in procinctu stabant duæ acies, et priusquam concurrerent, facta est pax: non sequitur, concurrisset; ut in Evangelio de Diva Virgine dicitur: antequam convenirent, repertam gerere uterum: hoc vero non significat convenisse. Attributa quoque ad fidem accersuntur quæ ab externis sumuntur rebus, ut, dives a pecunia, vel agris: gloriosus a prædicatione aliorum de virtute: nobilis a progenitoribus: honestus ab honore, quem ei alii exhibent: et iis contraria; pauper, ignominiosus, ignobilis: maritus ab uxore: discipulus a magistro: quum non effectum aliquid aut efficientia illius conjunctionis significatur, sed aliud quiddam, nam si dicitur efficientia, causa est; servus a domino: quum inter se non conferuntur, sed ad alia, ut, non potest docere, quia est pater: non debet militare, quia novus maritus: perinde est, ac si dicatur: est quod agat domi: non hoc intelligitur attributive, sed relative: hujus velut domicilii sunt fortune, ac possessiones, et quæ habent, et habentur civili more, et consuetudine, tum omnia adjecta extrinsecus: præclarum bellum, vilis triumphus, magnum argumentum multitudini ad res quamplurimas,*

Exulibus ne datur ducenda Lavinia conjux?

O genitor! nec te miseret, natæque, tuique? (1)

Temporis et loci differentia.

Attributa.

Com-

(1) Æneid. lib. 7. vers. 359.

Comparata. *Comparata* habent et eomparationem, quæ est duorum vel plurium collatio in uno, similitudinem duorum in duobus, aut Exemplum. plurium in totidem: *Exemplum* conjunctum est cum superioribus, et species illorum, nisi quod hoc tantum est factum vel dictum cujusquam ad imitationem pertinens, ut, *deceat nos superioribus parere, sicut Christus patri suo: et rudiorum atque infirmiorum imbecillitati se accommodare, quod Christus fecit in discipulis: nulla debent esse ad nos exempla efficaciora, quàm Christi: exempla ad exhortandum proficiunt plurimum, ut, quia se ille ita gessit, par est te idem facere: non tam probant esse quid, aut non esse, quàm suadent faciendum, vel contra, itaque argumenta sunt æqui, honesti, utilis, decori, et aliorum, quæ sunt in deliberatione posita.*

Parabolæ, seu *similitudines*, aliæ ad declarandam rem adsumuntur, quæ sunt *ex ratione dicendi*, non hujus tractationis; aliæ ad fidem faciendam ita esse quid, aut non esse, quoniam nihil est in natura, quod non cum aliquo alio similitudinis modo vinciat; porro quæ similia sunt, eandem habent ea ex parte naturam, alioqui non essent similia; at quibus eadem est natura, eadem illis conveniunt, quatenus quidem natura est illis una: itaque similitudo est par ratio cur dictum hoc tam congruat huic objecto, quàm illud illi: petuntur exempla ex iis quæ contigerunt, ut *historiis*: aut contingunt, ut *rebus nature*: vel quæ videri volumus contingere, aut contigisse, quod genus sunt *fabulæ*, et *apologi*: sciendumque est, ut, *quemadmodum sol unus omnibus sufficit, ita vox una præceptoris cunctis discipulis: Comparata* sunt a majore ad minus, ab hoc in illud, et a pari ad par, ut nono *Æneidos*,

—: *An non viderunt mœnia Trojæ* (1)

Neptuni fabricata manu considerare in igne?

Lucanus,

Vis tu magni fulcire ruinam,

Sub qua Roma jacet? (2).

et

(1) *Æneid.* lib. 9. vers. 144.

(2) *Lib. 8. phars.* vers. 526.

et quod Iphicrates Aristophonti dixit: *Si tu id non fecisses, ego facerem?* A minori ad majus: *Antenor habet sedes, Æneas Jovis proles non habebit?* *Si Christi fimbria tam efficax, quanto magis Mater? si femur Abrahæ sanctum propter Christum, sanctior Mater Christi:* Cæsar apud Lucanum, (1)

*An ne fugam magni tanta cum classe sequentur
Hesperia gentes?*

et alia: utrunque permiscetur, ut in primo *Æneidos*, (2)

*:::: Pallas ne exurere classem
Argivum?*

minor est *Pallas* quàm *Iuno*: et plus *exurere* quàm *avertere*: comparatio alios quoque inter se locos commiscet: *Mirandum non est juvenem imperitum a sene veterano ac veteratore circumscrip- tum: Demosthenes in Olynthia; Mirari non oportet nos cunctabundos, et rem suffragiis decernentes, superatos a Philippo esse belligerante, presente omnibus, nec occasionem ullam e manibus dimittente.*

In *diversis* sunt contraria, contradicentia, privantia, distantia, adde huc τὰ πρὸς; hæc enim ex iis sunt etiam quæ referuntur *ad rem*, nam nisi collata nihil hic agunt; *nigrum* vel *album* per se inter inhærentia numerantur, mutuo vero commissa huc pertinent: *Non faciet quia est servus illius: non relativum, sed attributum: Est nigrum, non ergo album: aliquis potest esse sanus, ergo et æger: inimicus te fecit ægrum, amicus faciet sanum: injustitia malum, ergo justitia bonum: si oportet addiscentem credere, oportet eum minime repugnare: et a negantibus apud Livium: Simul quod non oportet puduerit, quod oportet non pudebit: quàm multa bona nascantur ex pace ostendunt mala quæ nascuntur ex bello: cæcus, non ergo videt: nunquam profuisti, neque nunc proderis. In *relativis* videndum ut negantia eodem quo affirmantia pertineant: *est pater, ergo non filius, intelligendum ejusdem: est duplum, non igitur ejusdem simplum: cavendum, ne in quibusdam fallamur, quum relativum reddimus, ut in iis quæ eodem**

Diversa.

Tom. III.

O

dem

(1) *Lib. 5. vers. 326.*

(2) *Vers. 43.*

dem nomine reflectuntur: *Simile similis simile*: quod est ad hunc intelligendum modum: *Est simile, non ergo suum simile*: nisi quid sit *sui simile*, ut dici vulgo solet, quod magis ad tropum pertinet, quàm ad exactam normam philosophiæ; sicut, *magister sui ipsius*, et *discipulus*: quod de se Augustinus dicit, et Gulielmus Budæus; quanquam in his sunt velut duo, ut alter officio præceptoris fungatur, alter discentis. Sunt probationes quædam *per contrarii propositionem*: *Si non esset nox, studeremus; sed est nox; non igitur studendum*: cui argumento alio argumento est opus, nam per se imbecillum est, et ornat magis quàm probat, quamvis interdum quibusdam sufficit; *ἀπὸ τοῦ ἀντιθέτου* ab Hermogene vocatur; sed propositio alio est argumento fulcienda, videlicet, *Noceat oculis lucubratio ad candelam, nocet capiti humor nocturnus*, et ejusmodi: in *adjectis* incertiores sunt probationes, sed vel negativis utimur, vel contrariis rebus: *Si quem delectat magistratus, hic dolet quum in ordinem redigitur*: atqui eidem *pater et filius* sunt grati: et *albus et niger color*; sed habent magnam verisimilitudinem in plerisque: *Lux dulcis; cæcitas ergo acerba: ætas amena, tristis igitur hiems*: Quintilianus in geminis languentibus: *Quantus facinus sit filium occidere, nemo magis fatetur quàm qui vult videri se illud fecisse pro filio*: hoc enim valet; *Servare filium tantum est bonum, ut atrox sit pro eo facinus committendum; quantum ergo malum est filium occidere?* Dicimus utroque modo: *Hoc equi et bruta animantia faciunt, non ergo decet hominem*: tum contrario: *Quanto magis homo faciet*: prius est hujus naturæ, alterum comparatorum.

Ante rem.

Ante rem sunt, quæ illam quoquo modo præcesserunt, et ad ejus argumentum quoddam propter aliquam similitudinem, atque affinitatem, inducuntur; *causæ* viderentur posse hoc loco comprehendere, verum eis sedem, ac domicilium aliud assignavimus, quòd eæ latissime paterent; sed si quis per causas argumentum aliquod non eruit quòd obscurius sit esse illam ejusce rei causam, sane ex hoc loco eruat, nihil erit periculi ut postea docebo; nec ipse dubitabo exempla aliqua hic ponere eorum quæ causæ videri possunt, sed *abditæ*: *signa* quæ vocantur plurima sunt in hoc loco, et proximo, ut, *occidit, quia*

ri-

rixatus, minatus, trepidavit: nisi quis ad *actiones* potius referat, in quo non repugno; quippe signa sparsa sunt per multa locorum genera; est hic illud M. Fabii: *Quis dubitet mathematicum vera de futuris dixisse, quum de præteritis appareat eum non esse mentitum?* Sunt hoc loco signa temporum, prænuntiationes et prædictiones: *Serenum postridie, quia vesper rubet*: appetere vernum tempus, *quia*

Candida venit avis longis invisâ colubris: (1)

inter quæ sunt quæ haberi pro causis possent, sed latentibus, ut,

Ventus erit; vento semper rubet aurea Phœbe: (2)

sunt quæ necessario alia antecedunt, tamquam *aurora diem, vesper noctem*; sunt quæ ex conditione si res procedat, *juventus senectutem*; alia solent semper, sed non necessario, ut, *ferie D. Stephani post natalem Christi*; in bellis Romanorum *triarii post principes*: in ædibus *atrium post vestibulum*: sunt quæ plerunque, ut, *æstus post Majum*; *tempus post adventum hirundinum*: alia nonnunquam ex conjecturis, ut, *principem civitatis futurum Periclem, quòd Pisistratus ad eundem modum oraret*: *Dionysium fore malum, quandoquidem omnes qui arcem Syracusis occuparunt, mali fuerint*: si quid antea factum, vel dictum, ad imitationem producit, *exempli est*; sin ad argumentum aliud, hujus est ordinis: ergo rationum vires perinde erunt, ac illa fuerint quæ antecedunt.

Post rem sunt, quæ quoquo modo illam sequuntur, nec interest post rem sint omnino, an post tempus præsens, id quod velim quoque in iis, quæ sunt *ante rem*, intelligi; hic sunt posterius, fama, judicia hominum, exempla, quæ quum ex aliis sumuntur, loci sunt exemplorum, quum ipsa ad alia applicantur, et argumentum præbent in futurum, hujus sunt notæ: *Non arripiendum a Sylla dictaturam, ne posterius idem sibi putent licere*: et Pallas Telemacho apud Homerum: *Sis strenuus, ut bene de te posterorum quispiam loquatur*: et apud eundem Nestor dissuadet Agamemnoni et Achilli dissensionem propter sermones, quæ erunt

O 2

de

(1) Virg. Georg. lib. 2. vers. 320.

(2) Virg. Georg. lib. 1. vers. 4314.

Quod pro
argumento
sumitur.

de ipsis in *Græcia*: et quot genera antecedentium posuimus; totidem in consequentibus existimari convenit. In argumentum sumitur alicujus *sententia*, eam ad rem qua de agitur pertinens; hæc *auctoritas* et *testimonium* a Cicerone nuncupatur, itaque non solum *dicta* comprehenduntur hoc loco, sed *nutus*, sed *facta*, non *facta*; denique *ea omnia*, quæ sententia declaratur, ut, *legatos esse inviolatos gentium jure, quia nemo eis nocet*: et Seneca *Troadibus*: *Quis iste mos est, quando inferias homo est impensus homini?* Quocirca et exempla auctoritate etiam censentur, ut mox aperiam; hujus generis sunt *symbola*, et *apophthegmata*, et *responsa*: in auctoritatis vim, rationemque, illa veniunt: *Rumor popularis, fama auctore incerto, præjudicia quod antea de simili causa, vel in eadem, aut rebus ad eandem pertinentibus, ante legitimum atque ultimum judicium pronuntiatum est, testes; tabulae, tormenta*: qui *communes loci* a rhetoribus nominantur, quod in utramque partem magnam verisimilitudinem habeant. *Auctoritas* fide æstimatur; non omnis persona ejusdem est auctoritatis, nam *eadem*, sicut Euripides inquit: *A diversis dicta non idem valent*: fides paratur, si is, qui quid dicit, credatur id scire, tu non mentiri; scire eos putamus, qui valent vel naturâ, quemadmodum ingeniosos homines, et animo ac cogitatione celeres, acresque, vel peritiâ, ut artifices expertos, eos qui rei usum habent, atque experientiam, tum diligentes, studiosos; non creditur fallere; qui nescit, aut non vult; non vult fallere, cui hoc non est futurum utile, cui non est fallendi causa, nemo enim gratis est malus; unde illa vehemens interrogatio: *Cur ego fallerem?* et illud Græcorum, *τι πλέονεξω ἀπατῶν*; tum vir bonus, aut amicus, qui optime cupit, non decipiet; nescit fallere puer, demens, vinolentus, quorum motus ceu naturales videntur esse.

Auctoritas
quomodo
censetur.

Ergo auctoritas prima est Dei, et earum rerum, quas non dubitamus a Deo profectas; nam hunc et nosse omnia, et nolle quenquam in fraudem conjicere, omnes scimus, neque enim est causa quamobrem id velit; hujus voluntas ac sententia potissimum declarata est nobis *ab unigenito ejus Filio*, qui semper est in ejus sinu; hinc *responsa*, quæ patres acceperunt et ante

Chris-

Christum natum, et post, ex quibus mystici libri sunt compositi; his accedunt *somnia*, et *signa ea*, quæ pro certo habemus a Deo mitti; *vaticinia* hominum divino Numine instinctorum; habebant gentiles sua prodigia, ostenta, auguria, exta, omina: hinc videtur posse colligi eum non habere fidem Evangelio, quisquis non ex ejus præceptis vitam instituit: secundo loco est consensus generis humani, in quo sunt naturales quædam animorum informationes, atque inde existunt æquitas, et debita humanitatis officia omnium pectoribus ingenita; ex genere humano præcipui, et gravissimi ad fidem ponderis, sunt sapientes, ac probissimi homines, velut philosophi, quique humanum genus paterna quadam caritate complectuntur; tales interpretamur esse rectores patriæ, legum latores, et eos a quibus populi, atque civitates formantur ad virtutem, et recti custodiam, nam hos, quum prudentes esse, tum procul a fallendi cupiditate abesse, ducimus quod benevoli sint erga eos, quibus bene consultum esse cupiant: amicis enim multum tribuimus, dummodo bene de eorum ingenio, ac peritiâ, sentiamus, a quibus nunquam falli nos suspicamur: sic magnopere fidimus iis, quæ parentes dixerunt, quæ nutrices, nutricii, consanguinei, præceptores: in eundem locum cadunt, quæ magni et sapientes viri iis præceperunt, quos carissimos habebant, ut Cato et Cicero filiis, et in universum posteris, quibus nemo fere male vult, nisi sit vir pessimus, ut qui dixit: *Me mortuo ardeat terra*: vel qui aliquid ad utilitatem suam velit eis persuasum, ut, *qui captarunt divinitatis opinionem*: postremo vinolentis, et pueris, et mente captis multa credimus; facere fraudem nesciunt; tantum obstat, ut scire eos quæ dicant, suspicemur: testantur hoc proverbia, *In vino inesse verum*, et *Puerum ac fatuum vere fateri*.

Quocirca populus plurimum tribuit dictis hominum divinum, quod eos sapientissimos esse censet, qui rem quoquo modo auxerunt, eam esse unicam sapientiam, opes parare; suffragia quoque *numerat*, *non appendit*; quod plures censent, id pro verissimo accipit; unde est morum, consuetudinum, officiorum civilium, sive privatim seu publice custodia; proverbiorum,

rum, et dictorum, quæ vulgo feruntur, fides; existimat enim plures minus posse decipi, quàm paucos, et minus esse cur tam multi uno consensu velint aliis imponere; sed ex iis sententiis, quæ sunt receptæ, aliæ prudentissime sunt animadvertæ, aliæ ab stultitia populari manarunt. Et apud alias nationes, atque adeo alios homines, alii habentur pro sapientibus, et bonis: ubi est exemplorum efficacia: Græci barbarorum sensibus nihil tribuunt; Romani Græcorum exempla rident, ut Scipio apud Titum Livium; solos majores suos graves homines, magno ingenio, judicio, virtute, probitate, esse arbitrantur; nos Christianos non debent gentilium exempla ad æmulandum adducere, nec quorumvis Christianorum, sed eorum, qui pure ac germane Christum exprimunt, potissimum Christi ipsius, qui ad hoc nos invitat: *Exemplum do vobis, ut quemadmodum ego facio, vos faciatis*: ideo Paulus ait: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*: si quid vero est inter gentiles probe, mite, pie, sancte actum, tanto nos excellentius præstare convenit, quanto excelsior est nostra conditio, qui baptizati sumus, lustratique sanguine illius, quem Pater dedit instauratorem priscae perfectionis, qua non longe ab Angelis discedimus. Elevatur auctoritas primum, quòd qui dicit, nesciat, atque ignoret de quibus loquitur, vel natura, ut sunt mente capti, pueri, tardi homines, vel imperitia, ut qui nullum hujusce rei habent usum, etsi artem teneant; hanc, scilicet, parum proficere citra assuefactionem, aut qui hanc quidem sunt nacti, non posse tamen absque arte bene censere; quòd ars in universum sit de omnibus, experimenta de singularibus.

Contradicere sibi quempiam, fortissimum est argumentum eum id nescire quod affirmet, et detrahit aliis ipsius dictis fidem; tum ostensum esse, aliquid eum asseruisse falsum, grave præjudicium est posse decipi, et esse hominem, et nonnunquam asserere quæ non habeat comperta; aut studium et diligentia defuit, ut, *Qui non animadvertunt, qui leviter attigerunt, aliud agentes, homines vani, qui quicquid in buccam*; sic solemus dicere: *Doctus, sed non in hoc: iudex quidem sanctus, et incorruptus, sed male edoctus de causa*: quod in præjudiciis affertur; ad

quam

quam defensionis rationem, mea quidem sententia, potuisset Cicero deducere præjudicium censorum pro Cluentio, conservata illorum gratia, et majestatis auctoritate; ut diceret: *Solvere eos uti testimoniis inimicorum, quos ignorent esse tales: simul propter multitudinem rerum, quas uno eos eodemque tempore obire necesse est, non perinde omnia examinare, ac expendere, ut iudices decet facere qui ad eam unam rem vacant*: adde his: *in civitate, in qua tot sunt inimicitiae: ita ut culpa ab eis in rem et mores hominum derivetur; nam ut ipse defendit, censores de levitate suggillat: in scriptoribus si quid culpatur, sic excusare consuevimus: Exempli gratia posuit, non quòd expenderit an ita esset, aut quòd sic sentiret: dixit aliena fide: et contra rumorem: quòd est credula multitudo, nec examinat quæ confirmat: loca, tempora, personæ, exacuunt diligentiam, et circumspectionem, aut remittunt, in quo non tam auctoritas consideratur dicentis, quàm dicti: Dixit inter pocula, in cubiculo, uni amicorum, inter nugandum, discinctus ad focum: contra vero: In senatu, apud populum, die Parasceves; quum esset consul: spectatur modus: Foco dixit, ridens, dormitans, detorto nutu, moto capite, motis manibus, serio, juratus: quæ omnia solent esse signa, quemadmodum quis sentiat: negligentiam Erucii invasit Cicero ad ostendendum falsam illius accusationem in Roscium Amerinum.*

Præter hæc auctoritati detrahitur pondus, si existimatur voluisse fallere; ad id homines nunquam gratis inducuntur, nisi sint prava quædam ingenia, quæ jam usum mentiendi in naturam pene verterint, ut ubi nihil interest sic eos, aut contra, affirmare, ad mendacium deflectant; idcirco quem aliquoties in mendacio deprehendimus, huic fidem neutiquam habemus etiam quum vera dicit, quod Aristoteles festive, et sapienter respondit, esse *lucrum mendacium*; sed fere utilitatem aliquam suam sectatur qui mentitur, hoc est, quod sibi putat conducere, quo fit ut, his distinctis et separatis, prudentia et probitate, plus habeat virium ad fidem probitas, quàm scientia; peritos enim et malos, non sapientes nominamus, sed callidos, astutos, versutos, vafros, nec quisquam se illis credit, nisi sint amici; sed si amici sint, jam boni viri esse existimantur, neque

que enim hic quæritur qualis sit quisque, sed qualis credatur, nec frustra illud dicitur: *Vita maxime persuadet*. Quæritur a mentiente utilitas pecuniæ; hanc solam imperitum vulgus utilitatem nominat; ideo magnopere fidem abrogat tenui ac pauperi homini, arrogat diviti, quòd huic putat esse satis, eoque non facile adduci ad mentiendum spe lucri, pauperum nihil non dicturum et facturum exigui quæstus gratia, quum contra major sit fere habendi sitis in his qui plus hauserunt, et pauperes sæpe præsentibus et qualibuscunque acquiescant: si quis divitem aut potentem laudet, suspecta est laudatio, quòd numo videtur tributa, non veritati: captatur etiam honor; multa et assentari, et mentiri coguntur, quos exagitat gloriæ cupido, cujus possessio non minus est, quàm divitiarum, molesta et laboriosa: præterea in corpore est utilitas; mentietur quis ut præsentibus doloribus eximatur, aut ne graviores perferat, vel neci detur; quod in tormentis contingit, pro quibus nescio quid possit dici, quum vel præsens dolor in imbecillis, vel sequentis poenæ metus in robustis, veritatis vocem penitus intercludat, unde natum est illud: *Tormenta et qui perferre, et qui non perferre poterit, mentietur*: voluptates item: plurima cogunt mentiri puellæ adamatæ, lenæ administris; quo in genere mentientium continentur parasiti.

Ex his omnibus declaratur maxima auctoritas dictorum Christi, et eorum qui illum sunt secuti, quòd non solum commoda, vel pecuniæ, vel honorum, vel corporis, nulla spectabant, sed cum ingenti omnium harum rerum incommodo, veritati parebant coelitus patefactæ et ostensæ. Jam affectus ad mentiendum impellunt, vel sui cuique, vel alicui, si inservire illis stet sententia; sunt qui veritate parum se oblectaturos aliorum animos rentur; mendacia admiscent, ut Homerus, et fere Poetæ; alii gaudent grandia, atrocia, tragica narrare, ut alios vel terreant, vel defigant stupore; et se fore admirabiles arbitrantur, si sua dicta admirabilia sint; itaque his narrandis delectantur: in utilitarum nostrarum numerum recipiuntur quæ commoda sunt quibus bene volumus, quæ incommoda quibus male; amanti non credendum; amicus pro amico mentietur,

ut

ut mater pro filio, uxor pro marito, et in illum quoque, quum est irata, ut inimicus contra inimicum; hinc amici contra amicum, et inimici pro inimico invincibile testimonium: *Animo irato*, inquit Mimus, *nihil oportet credere*. Dicta quum in controversiam vocantur, jam auctoritati ejus, quem dixisse non ignoramus, non est locus; sed sæpe, auctoritate salva, negamus hoc eum sensisse quod adversarius ait, aut confirmamus sensisse quod ipsi volumus, de quo prius est dictum; tum hoc non pertinere ad nostram rem, aut pertinere; locus et tempus mutant vim dicti vel facti: *Vere dixit, recte fecit, sed illo loco et tempore, hoc vero, vel post illa, non ita est, non expedit*: notæ sunt hæ quæstiones, nec vero existimo quenquam admonendum: *Sic Cicero referat Aristotelem dicere mundum esse æternum, auctoritatem hujus sententiæ Aristotelis esse, Ciceronis vero Aristotelem hoc dicere*.

Rei appellationem in hunc locum rejccî, quòd magna ex parte auctoritatis sit, ut, *Consilium publicum non debere ex juvenibus constare, sed senibus, quòd senatus nuncupetur*: quæritur a quibus senatus nominetur? a Romanis: de eorum auctoritate agitur: a Lacedæmoniis: quanta iis fides debeatur? Omnia etiam *etyma*, quas Cicero *notationes* vocavit, et ad verbum *veriloquia*, tamquam testimonia sunt eorum, qui ea utuntur lingua, vocabula enim alia in aliis linguis habent *etyma*; ita Cicero melius dicit et commodius a Latinis *convivium* dici, quàm quemadmodum a Græcis *συμπόσιον*, id est, *computationem*, vel *συνδειπνόν*, id est, *concentrationem*: et in paradoxis, *requirere se*, ait, *majorum suorum prudentia, qui hæc fluxa et contemptibilia fortune munera, bona appellarint*: in hunc ordinem venit omnis appellatio sive nominis, sive prænominis, sive cognominis, sive tituli, et quod Græce *ἐπιθετον* dicitur, inscriptionis, lemmatis; Aristoteles libro de Mundo, ex nomine ipso *τῆχόμοι*, docet nihil eo esse *pulchrius*, aut *ordinatius*, nam *κεκοσμηθῆναι* dicuntur cetera quæ fiunt *pulchre*, atque *ordine*: non injuria appellatum *Draconem, qui tale virus efflarit legum*: non docere eum affectibus perturbari, et concuti, qui vocetur *serenissimus*: eum qui *beatissimus* non debere belli miseriis implicari: non fœda et ne-

Rei appellatione.

faria facinora designare, qui sit *sanctissimus*: Demosthenes in Midiam, *Eum qui Thesmothetam laeserit, civitatem laesisse contendit, quod θεσμοθέτης non alicujus hominis nomen sit, sed civitatis ipsius*; transitur ab una lingua in aliam; Cicero Philipp. *Lysidicus ipse in verbo Græco*: et Plautus: *Nolo des mihi damnum in Epidamno*: sumitur argumentum ex *equivoco*, ut, *Ni propius huic picturæ assederis, nam est leo, vel scorpius*: et *amphibologia*, ut,

Quis neget *Æneæ magni de stirpe Neronem?*
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem: (1)

quod est *sophistis aptum*, et *dicacibus*; transfertur ad *tropum*, et in eo manemus, in quo inest sæpenumero *festivus ludus*: *Noli in æstate incendi*: homo *frigidus*, ne huc accedas in *bruma*: qui potest *Maurus esse pectoris candidi*? quomodo hæc percurres *æger pedibus*? *domus opulenta, et benefica*, multos enim *alit*: de *referta muribus*.

In nominibus, quæ *destinato et consulto imponuntur*, examinatur quantum momenti habet illorum *auctoritas* qui *indiderunt*: *Prudentem hominem esse Marcum Portium, quod Cato cognominetur*: quæritur *vero a quibus*? quantum illis *tribuendum*? ex iis quæ de *auctoritate* diximus *repetenda hæc sunt*, in quo sæpenumero est *multitudo a philosophis reprehensa*, quum in alio *omni genere scientiæ atque intelligentiæ*, tum potissimum in iis, quæ ad *mores virtutesque dicuntur pertinere*: in quibus *vero appellationibus non est consilium*, sed *recepta consuetudo nominandi*, et *velut casus quidam, ludere licet*, argumenta *colligere non licet*, nisi *diluta admodum, et hactenus, ut ex eventu ostendamus consilii potius fuisse nuncupationem, quàm casus*: primus ille *Junius qui dictus est Brutus*, primus qui *Bestia*, qui *Asinà*, et *similia*, reliquerunt has *cognomina* posteris suis; in illis *primis causa cur sic dicerentur fuit aliqua*, in *posterioribus nulla præter morem familiæ*, quo *Romæ cognomines sunt filii parentibus, non item Athenis et in Asia*.

Hæc

(1) Apud Suetonium in Nerone num. 39.

Hæc est *immensa illa, atque adeo infinita argumentorum silva*, quæ *variā et latissimā rerum naturam includit*, non solum ad *dicendum utilis*, sed ad *usum vitæ, et sentiendum, et vivendum*: puto me *locum nullum præterisse*, species non sum *omnes persecutus*, sed *neque poteram, sufficit genera consignasse*; citius *periculum sit, ne eadem diversis locis videantur repetita*, ut *argumentum idem ex variis locis credatur depromi posse*; equidem non *adeo confudi locos ut fortassis illis videri posset, qui harum rerum cognitionem distinctionemque non satis accuratam et exactam perceperunt*; sed *longe præstat desumi ex multis locis idem argumentum posse, quàm ex nullo, aut ægre ex aliquo*; non *interest quibus nominibus instrumenta nominentur, modo sint apta usui*; et *commodissimum est artificii multa esse instrumenta, quorum unoquoque, si libeat, idem opus absolvat*; est qui *parum dextre aliquibus utitur instrumentis, huic, si ad idem perficiendum opus aliis instrumentis succurratur, ingens proculdubio adferetur utilitas*; ita *quæri ac elici idem argumentum e variis argumentorum sedibus posse, fuerit ad inveniendum longe conducibilius, quàm singula singulis tantum claudi, quippe quod quærenti hac via non occurret, alia præsto erit*; deinde *nec in ferramentis contemplatur quis quàm sint expolita aut elegantia, sed quàm ad utendum idonea*: verum ut *exempla omnium magis sint in promptu, ducamus hominem per locos argumentorum, tum quia varium animal, et materia uberrima ad dicendum, tum quia de illo cognitio maxime necessaria est, nempe, quotidianæ tractationis*.

In *substantia* hominis est *animal, et rationale, unde confatur ejus diffinitio*; hinc *humanus, et humane conjugata*; tum *partes essentiæ, materia, sumta de medio, communis cum materia eorum omnium, quæ fiunt, et corrumpuntur, animus autem generosissima res omnium, quæ sub cælo sunt; partes item molis externæ, caput, os, pectus, brachia, dorsum, crura, pedes; et internæ, lingua, guttur, pulmones, cor, nervi, venæ, caro, sanguis, os, spiritus, tum cutis, pili, barba, nævus, verruca; in hærentia sunt, in corpore, color, forma, figura, filum*

Homo per loca argumentorum.

corporis, macula aliqua, cicatrix, rectum, curvum, proportio membrorum, celsum caput, brachia expansa, manus diducta, cordæ ad sinistram, incessus, vox, vires, robur, imbecillitas, firmitudo, infirmitas, sanitas, morbus; in animo, affectus; in mente acumen, hebetudo, memoria, obliviositas, eruditio, tot artes et experimenta, prudentia, fatuitas, calliditas, vafrices, atque usus rerum, virtutes, et vicia; *actionum* sunt, quæ dixit, fecit, voluit, tentavit, innuit, pertulit, passus est; *causæ* ejus sunt, *efficientes* quidem, Deus, et parentes, et quodammodo solum natale; *finis*, naturalis, quem Deus ei destinavit, æterna felicitas, ipse sibi ignorantia, et obedientia affectuum, multos alios præstituit vanos, et noxios sibi, opes, honores, nomen, voluptates; *effecta* ejus sunt, magna profecto et admirabilia, cultura agrorum, civitates, leges, litteræ, tot disciplina, atque artes, quarum aliæ corpore, aliæ ingenio exercentur, partim utroque; *instrumentis* utitur ingenio, memoria, artibus, sermone, manibus, pedibus, et quæ *extrinsecus* sibi parat, ut sunt pennæ, calami, atramentum, penicillus, pecunia, culter, hasta, et alia quorum iniri numerus non potest; ipse idem homo est *finis* ceterorum animantium, et omnium quæ sub luna sunt condita; est in *tempore*, in hieme, mense Januario, pridie Kalend. Februar. Principe Carolo quinto, sereno, salubri tempore, in libertate, in republica, *Brugis*, in *cubiculo*, in *armario*, *vestitus*, *armatus splendide*, *sordide*.

Ad hominem *referuntur*, Deus princeps et rector ejus, pater, mater, tutor, patruus, magistratus, Rex, patria, leges, dominus, maritus, filius, pupillus, filius fratris, filius sororis, privatus, subditus, servus, uxor, amicus, inimicus, sodalis, socius, commilito, vicinus, civis, tum divitiæ, possessiones, honores, fama, gloria, favor, gratia, nobilitas, et his contraria, paupertas, ignominia, obscuritas, invidia, odium, ignobilitas; *conferuntur inter se*, pater, filius, servus, dominus; denique ea quæ superiora, inferiora, paria diximus; *homini nihil est contrarium*; *contradictio, est homo, non est homo*; *dissitum est quicquid non est homo, equus, lupus, color, magnitudo, liber*; pro *argumentis* adducantur majores, exempla priorum, historia,

fa-

fabulæ, proverbia, si quid prædictum de illo, aut præmonstratum, quid dixit, aut significavit quis, nomen, cognomen, *appellatio*: ex his apparet non solum ad arguendum valere hanc copiam, sed ad dicendum de quacunque re velis, ut non absurde videatur Agricola Rodolphus existimare Gorgiam, Hippiam, Protagoram, Prodicum, et alios Græcos sophistas, qui in conventu hominum paratos se esse profitebantur ad dicendum de quacunque re quis vellet audire, ex his fontibus ubertatem illam et redundantiam eorum, quæ dicturi essent, haurire, ut nunquam dicendi *materia deficerentur*: duo restant consideranda, *quomodo in aliis loci deprehendantur*; hinc nobis *quemadmodum iis utendum*: prius quidem, ut nos utamur sicut magni auctores sunt usi, tum ut cognita ratione argumenti quod adversarius attulerit, intelligamus quantas habeat vires, sitque facilius infirmari, ac dissolvi, si sit opus; est vero locus argumentorum ex aliis operosius eruere, quàm nobis ipsis invenire, nam non habet quotidianus usus rectum illum connectendæ argumentationis ductum; in quo promptum est cognoscere, *quid petat, quid velit efficere, et quo modo*; ad hanc autem obliquitatem, et infuscationem communis sermonis, oratores, et omne scriptorum genus, addunt alias tenebras orationis, partim ne ars appareat, et manifestæ fiant insidiæ, partim quòd majus robur accedit probationi, sicut punctim ferire, vel ex transversò, gravius interdum est et letalius; ita ad involucra, quæ res sua sponte ac natura habent, alia ipsi superiecerunt artis, et ingenii sui: ergo interdum uno verbo cluditur tota argumentatio, ut, *consulatum petebat scurra*.

Nonnunquam totidem sunt argumenta, quot verba; Cicero in Anton. *Tu istis facibus, ista gladiatoria totius corporis firmitate*, quod in amplificationem cadit; jam multis verbis unica est argumentatio, videlicet, quum unum verbum, in quo vis inest aliqua, varie tractatur, atque explicatur: *an non erat resistendum insidiatori?* *Scilicet præbendum erat jugulum ei qui vitam petebat?* *patiendum quod latro cupiebat?* Est quum pro tota argumentatione una pars attingitur: *non occidet, nam quæ mater occidit filium?* deest enim, *et hæc est mater*; inver-

Quomodo
alii utuntur
locis.

tunt

tunt sæpe argumentationis ordinem, ut Quintilianus libro tertio. *Partes suadendi* quidam putaverunt honestum, utile, necessarium; ego non invenio huic tertiæ locum, quantalibet enim vis ingruat, aliquid fortasse *patri* necesse erit, nihil *facere*, de *faciendo* autem deliberatur; quæ sic reducitur: *Omnis deliberatio est de faciendo, nulla ergo deliberatio de necessitate*: et paullo post: *Itaque mihi ne consilium quidem videtur, ubi necessitas est, non magis quam ubi constat quid fieri non posse, omnis enim deliberatio de dubiis est*; hæc sic: *Omnis deliberatio de dubiis, nulla necessitas de dubiis, ergo nulla deliberatio de necessitate*: hic *assumptionem* ubique posuit *propositionis* loco; nonnunquam transiliunt relictis mediis: *Brutos ego impellerem?* ait Cicero, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Halæ: hic ommissa sunt illa de genere, de facinoribus generis, expulsionem regum, et Sp. Melio occiso; sic etiam a loco ad locum: *Homo sapiens, quia magno corde: fortis, quia amplo pectore*: partem sumserant, sed ad partis accidens transierunt.

Quandoque solum, quod ab adversario dici posset præoccupatione quadam notant leviter: *Non occidet hæc filium, nam hoc sola fecit Medæa*; occultant etiam figuris, et schematis, ut interrogatione enuntient quod narrative poterant; sed feriunt fortius; et uno ut verbo finiam, ipsi idem maximi auctores rationem sui argumenti unde promserint, quemadmodum concinnarint, aptarint, torserint, interrogati nesciant sæpe explanare, videndum tamen quid efficere statuerint, quorsum spectet argumentum, quid intendant; ad id necessarium est cognoscere in quo versetur controversia, aut quæ sit quæstio, non solum illa generalis totius causæ, vel operis, sed particularis ad quam argumentum illud pertinet; eam ubi erimus nacti, videndum multa ne sint, quæ probent, an unum tantum; si multa, utrum sit aliud aliud argumentum, an ad diversa tendant per se singula; sumendum unumquodque illorum, eique aptandum quod probatur, quoniam ex habitu et congruentia eorum probabilitas nascitur, ac proinde instrumentum probabilitatis, et ejus appellatio; sunt in quibus facile iudices cui parti conveniat quod pro argumento accipitur, nam quæ constant

Unde nascitur nomen loci,

uno

uno verbo, exposita sunt cognitioni, ut quis dicat cum qua parte quadrent pronuntiati de quo est controversia, quæ vero integra enuntiatione simplici, aut composita, obscuriora sunt; uno verbo constant, quum vis probationis uno in verbo est sita, pronuntiatio autem, quum per illud totum diffusa, ut, *Socrates non ducet uxorem, quia philosophus; Socrati hoc competit*; videndum quæ sit ejus proportionis ratio inter *Socratem, et philosophum quod nomen; non ducet*, quia est animal morosum et querulum mulier, uxori: quæro an homo sit equus; si colligo non esse quia homo est rationalis, *ad hominem hoc pertinet*, sin vero quia equus non est rationalis, *ad equum*, sin utrumque conjungo, duo sunt loci, ut in hoc, *Omnis homo est rationalis, nullus equus est rationalis, nullus ergo homo, a proprietate et a dissitis rationem duxi*.

Quum in argumento duo aut plura sunt verba, et unumquodque suam habet proportionem et locum, consideranda sunt singula separata: *Plato non ducet uxorem, quia philosophus, Socratis discipulus, ut neque Thales duxit*: in philosopho est *inherens*, in altero *causa*, in tertio *exemplum*: *Non movebit affectus in iudice, quia vir bonus, et Atheniensis, et perinde faceret, ut si normam, qua mensurus quid esset, prius inflecteret*: primum est ex *inherente*, secundum ex *attributis*, in tertio vis est *similitudinis*, quam habet canonis inflexio ad motum animi; sunt abstrusiores loci alii, ad quos exercendo penetrabimus ab his quæ diximus velut manu ducti, tametsi non perinde laborandum est eruere ex aliis locos, quam nobis ipsis ad rem nostram investigare, est enim res hæc, quæ usu potissimum constat, ut nihil omnino ars tota, sine diligenti, et sedula tractatione, profutura sit, hæc vero etiam citra artem multas habet vires, et validas; quippe maximi fuerunt oratores, et disputatores acutissimi, antequam ars ulla esset inventa, et ex quorum usu ac operibus ars est observata: omnia illa, quæ supra sunt a nobis posita, tenenda in promptu *ut litterarum elementa*; non eodem utique ordine inveniendum, sicut nec eodem scribendum ordine quo *litteras* didicimus, tametsi præstabit initio eo ordine exerceri, ad excudenda e locis argumenta; nec omnia omnibus congruunt, sicut nec *litteras omnes* in unumquodque verbum infarcimus; ac ut *que litteræ* quibus verbis necessariæ sint, non que-

unt

unt tradi regulæ, communis usus docet, ita in hac observatione contingit, ut qui quibus causis loci congruant, præscribi non possit, videndum tamen quid velimus efficere, cognoscenda exactissime causa, et omnia quæ versantur in quæstione animo et cogitatione complectenda; quocirca oportet eum, qui inventurus est, versatum esse diligenter in præsentis quæstione, et tenere saltem generalia in ea arte de qua sumitur materia dicendi; si non sit ex arte ulla, certe sensum communem vitæ, quid probabile sit iis, apud quos est dicturus, quid absonum; ad quæ prudentia adjuvatur.

Ergo proposita quæstione, vestiganbum per sedes has quid sub utroque termino claudatur, deinde conferenda singula cum singulis, et cum omnibus; *assuefactio* præstabit ut uno quasi intuitu pervideamus necessaria, *sicut in conjungendis litteris: an Clodius jure sit casus? ex Clodio, ab inherentibus; quia seditiosus; an omnis seditiosus jure occidi possit? si non omnis, an talis? hoc tempore? hoc loco? a tali viro? Tum quia insidiatorem? an omnem insidiatorem fas sit occidere? an hunc? hoc tempore? Nec aliter atque in syllabis et dictionibus in infinitum fere tenditur, sic in locis; sunt loci locorum, ut, an Milo dignus exilio? non, quia vir fortis: an fortis dignus exilio? per omnia quæ sunt fortis et exilii: quum Roma semper gerat bella, ii, qui nullum reformidant periculum, honestatis gratia retinendi: jam, an Romæ retinendi tales? et id quidem ascendendo ad generaliora, nam in singularibus est status: An homini conveniat studium? etiam, quia est animal ratione præditum: an ratione præditis conveniat studium? Jam loci quærendi in rationabili: An philoso-
pho conveniat belligerari? non: quia est homo deditus litteris, amicus hominum: per locos hominis, per locos eruditi, denique eorum omnium, quæ ponuntur in probatione; si sint in quæsito plura, loci inter se omnes committendi, et comparandi: An omni generi scriptorum commode possit historia admisceri? et ratione scriptorum, nam Theologiæ potest, et Philosophiæ, et Medicinæ; jam, ab iis quæ ex re; omni illi sermoni qui quid docet; tum, ex historia; omni generi scriptorum admiscetur cognitio rerum præteritarum; jam commode, nam venuste, nam delectabiliter, nam ad probabilitatem atque intelligentiam apposite.*

DE INSTRUMENTO PROBABILITATIS FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE EXPLANATIONE CUJUSQUE ESSENTIÆ.

LIBER UNUS.

EX hac materie, per universum diffusa, sumit semper natura velut ex silva, et addit suum artificium quasi massæ fermentum; uti aliàs dixi: quibus de eodem fermento indit, ea sunt ejusdem seu speciei, seu formæ, nam fermentum illud est pro effectione aut forma, sic, utcunque, sit hoc nobis imagine hac declaratum; sed pergemus tamen etiam aliter explicare ut res fiat dilucidior, nam non hæc quàm dicantur exacte quærimus; sed quàm apte ad intelligentiam. Quemadmodum pharmacopolæ, et unguentarii, dispositas domi habent capsulas, et narthecia, quorum alia piper continent, alia myrobalanos, sunt quæ theriacam, sunt quæ potiunculas, et cetera quæ ad eos artifices pertinent, et nomen superscribunt, quid in quoque insit, ita natura omnia in suas velut pixides distribuit, et cuique adscripsit nomen, illis quæ continerentur commune; homo, equus, adamas, pyrus, albor, nigror, virtus, vitium; rursus, quemadmodum una est civitas, et in ea familiæ multæ, Scipionum, Lentulorum, Ciceronum, Fabiorum, unaquæque ab uno aliquo pro auctore sanguinis deducta, sic in mundo familiæ, hæc hominum, illa equorum, pyrorum, auri, argenti; itaque non loco sunt distincta hæc, sed ut in civitate Scipiones, alii habitant in Saburra, alii in exquiliis, alii in palatio, sunt tamen omnes ejusdem familiæ, non aliter in natura similitudo, et conformitas conjungit hæc, non locus: porro similitudo hæc ad essentiam semper refertur, non ad hærentium rationem, quod est acute ac subtiliter attendendum, nam etiam inter inhærentia est communicatio hæc, et conformitas, ut inter duo alba, inter duo nigra, sed ea tamen ad nigri et albi essentiam pertinent; est inter Æthiopem et corvum in nigris, non tamen qua sunt hæc animalia, sed qua

Universale.

Tom. III.

Q

sunt

sunt colore hoc tincti; itaque communio hæc *similitudo est essentialis in multis*, quod in schola *universale* nominatur.

Essentiam vero cujusque rei non per se ipsam cognoscimus, sed per ea quæ de illa sensibus usurpamus, nempe actiones et passiones cujusque, *nihil enim agens*, ut inquit Cicero, *ne cogitari quidem potest quale sit*; et in actionibus vel passionibus, non eas contemplantur, quæ ex constitutione sola materiæ nascuntur, quales sunt viri et feminæ in animantibus, et quibusdam plantis, nec temporarias, et additias, sed quæ maxime ex intimis veniunt, ubi est effectio, et essentiæ cujusque fons; quæ actiones, passionesve, perpetuæ sunt, non quod semper sint in actu, sed quod semper sit ad agendum facultas parata, namque has demum videtur habere ex natura: atque hanc sequimur similitudinis viam etiam in iis rebus, quæ materiæ sunt expertes, cujusmodi sunt omnia inhærentia, et Angeli, ut ex intimis, et perpetuis actionibus, quæ similia sint dicamus, quæ dissimilia; neque enim video quid causæ sit, quo minus aliquot Angeli in similitudine una ingenii ac naturæ congruant, ut animæ hominum, et multa inhærentium; nam materies non efficit unum individuum, sed effectioem, aut formam, ad multa indifferentem, astringit ad hoc unum; pergamus autem de iis loqui quæ sub sensu cadunt, videlicet quæ habent materiem hanc, quæ ipsa se oculis intuentium ostendunt, et formam sui exteriorem præbent cognoscendam sensibus, ex qua fere de interiore habitu licet judicare, et ex qua primum nomen formæ, et speciei est ortum; quippe imago illa, et forma, et facies, et species in omnibus hominibus effecit ut ejusdem dicerentur formæ, atque speciei, in omnibus armatis, sedentibus, nigris, albis: ceterum ex actionibus difficile est judicium, propterea quod unde nascantur, et quales sint, non satis perspectum habere atque exploratum possumus; sæpe ex similibus sive affectionibus sive formis diversæ nascuntur actiones, nonnunquam contra; sed vel ipsas veras et germanas tenemus, quod est sane quàm rarum, vel, quantum possumus, finitimas, et proximas, ratio enim distinctionis formarum ex his actionibus petitur, ideo hæ sunt, quæ et cuique speciei sunt

sunt propriæ, et aliæ ab aliis species per has separantur.

Itaque et propria dicantur suarum formarum, et aliarum differentia; quarum differentiarum nos ingenti laborare penuria merito Aristoteles est conquestus: at vero sicut in civitate gens una in multas discedit familias, et harum unaquæque adhuc in alias, ut de Corneliis sunt quidam Lentuli, quidam Scipiones, et Scipionum partim sunt Africani, partim Nasicæ, partim Asiatici, sic in rerum natura sunt latiores quædam similitudines, quæ alias arctiores capiunt, sunt arctæ, quæ secari ac separari jam inter se ulterius non queunt, ut omnia animalia similitudine quadam tenentur *effectioem* viventis et sentientis, sed homines inter se non solum effectioem viventis sentientisque, verum intelligentis quoque et ratione præditæ; colorata omnia hoc ipso sunt similia quod colorem habent superfusum, alba vero hoc eodem ipso, et quod colorem disgregantem visum: jam ergo imponamus nomina, quo facilius sit deinceps rei intelligentia: similitudo hæc vocetur natura, seu conditio, seu ratio, seu forma, seu nota, usitatus est in latioribus *genus*, in angustioribus *species*; ea capit multa in uno aliquo conformia, id est, de multis dicitur, quatenus in uno aliquo sunt similia, aut communicant, quod *unum* est de illorum essentiæ ratione, id est, quatenus sunt hæc aut illa; sed ampliores similitudines collatæ ad suas arctiores dicuntur genera; quæ capiunt multas species quatenus in uno aliquo essentiali communicant, *totum* et *partes* nuncupantur: sed *generis* nomine, pro ratione, et modo, et forma, et nota quadam, abutimur, ut genus belli, cibi, dicendi, et pro natione aut gente, genus humanum, Trojanum; et generis vinculum, ut speciei, cum uniuscujusque essentia est aptum et connexum, et essentia pereat si tollatur: ergo genus, et plures species complectitur, et de unaquaque affirmatione dicitur; tum cuicumque potest illa congruere, et genus; quin et omni dicitur tempore, nec potest non dici: ceterum eadem ipsæ latæ, si ad alias conferantur latiores, fiunt species.

Itaque sunt latissimæ nonnullæ, quæ latiores supra se non habent, velut ultra quas nihil est, sicut *res*; ista dicuntur *gene-*

Species.

Genus.

nera generum, seu *suprema*, *prima*, *antiquissima*, ex quibus ceteræ species suspensæ sunt, ut inquit Seneca; *infimas* nomine meras, et arctissimas, et imas, sub quibus nihil est commune aliquibus, sed rerum singula, ut homo, equus; nam Trojanus, et Romanus, si qua ratione sunt conformes in humanitate considerentur, una est similitudo, sin patria, segregantur; quæ ad hominem non pertinet distinctio, sed ad locum, vel nationem, neque enim sub humanitate comprehenditur ea difformitas, sicut *rudere* et *hinnire* sub vita; videlicet, idem homo esset Marcus Caro etiam si alibi natus quàm Romæ, non idem animal Bucephalus si non hinniret. Species omnia, quæ sunt naturæ ac essentiæ generis, continet, addit insuper ex se aliquid, quod est suæ essentiæ, non inhærentis, aut materiæ, ut homo ei quod est animalis, nempe vitæ et sensui, rationem adjungit, et album colorato sparsionem intuitus; Trojanus nihil essenziale adfert homini, ac ne vir quidem, aut femina, materiæ namque est sexus, non effectiois, ideo mutasse quosdam sexum minus est mirandum, quoniam non migrabant ab effectioe essentiali in diversam. Itaque multo est aliud superius in Dialectica, et species, vel genus in hac speculatione, siquidem illud *nuncupationem* modo capaciorem spectat, hoc *essentiam* latiore; utrobique nomina sunt nobis proposita, sed illic nomina affirmanter dicta, hic res nominibus comprehensæ, et consignatæ, quandoquidem genus hoc, aut species, non modo in nominibus, vel nostris intelligentiis, est situm, sed in natura rerum est ea similitudo, ac communio, etiam extra nomina atque intelligentias nostras, est enim in ipsis rebus, seu potius res ipsæ similes conformesque; tum in facultate naturæ, mundi lege, ad productionem similium; ut in ea sit vi quadam, in rebus autem expressione, nos tamen similitudines conferimus, et nomina alia a singularibus imponimus, quum res non sit alia.

Sunt quædam similitudines mediæ, quæ *subalterne vicissitudinaria* dicantur, ut nec latissimæ sint, nec arctissimæ, quibus aliquid est antiquius; hæ, et genera, et species dicuntur mediæ, sive interjectæ: quod unicum est in se contractum, et

a similitudine capitur, nec ipsum capit alia, Græci *ἀτομον* vocant, a nobis dici potest singulare, vel *rerum singula*, unum, unicum, ex Græco vertentibus, *insectile*, vel *individuum*, et, quia etiam *ἰνδιβίαις* Græcè, *suppositum* a nonnullis appellatur; Seneca *speciales* homines vocat Ciceronem et Catonem, *generalem* vero, qui sub oculos non venit; unaquæque res mundi, tam substantiarum, quàm accedentium, una est, et singularis, imagine auctoris sui, neque est ulla tanta inter res duas similitudo, quæ unum ex duobus possit reddere, nisi quum figurâ aliqua, et loquendi ratione, tale quiddam dicimus, ut, ex duobus animis amoris vinculo unum fieri, et duo candida eodem colore esse infecta, quia simili, quomodo singulare nominamus quod par aut simile non habet, ut singularis Christi erga nos caritas; verum in se contracta est unaquæque res, ut non solum sui absimilis, sed nec ea sit quæ sibi est simillima, et quemadmodum in substantiis insectile est unum, ac singulare, quod per se totum subsistit, ita in adjunctis, quod in uno inhæret, singulare est; providendum tamen ne nos fallant res in nominibus; nam sunt quædam res, quæ solæ quidem, et singulares sunt, nomina tamen individui non habent, ut sol, luna, in quo ratio significationis nominum est attendenda; videamus quomodo vel sit impositum, vel a nobis usurpetur, utrum ut hoc unum solum significet, nec aliud quicquam, ut: *Socrates*: an ut hoc, et quicquid huic fiat essentia simile: si hoc, species est: sin illud, individuum: ergo sol species est, Saturnus, aut Venus individuum. Ille vero gradus quo a genere in speciem descenditur, videlicet, illa actionis facultas, vel passionis, propria unicuique speciei, et qua abundat species supra genus, speciei suæ *proprium* est, aliorum *differentia*; *proprium* cuique est, et quod est diuturnum, ac perpetuum, ut: *Divorum propriae sunt voluptates*: ait ille in comœdia, et *proprium* quod cum alio non est commune, ut, *proprium Pauli mos*; ita quod quisque habet solus, est illi *proprium*.

Sic *differentia* est, qua inter se res differunt, velut Plato et Socrates nobilitate, forma, ætate: in quo *differentia* tria distinctorum genera complectitur, *diversa*, *varia*, *separata*, ut di-

Individuum

Proprium.

Differentia.

versitas ad essentiam referatur, varietas ad inhærentia, separatio ad compagem, aut conjunctionem, ut, duæ partes *candidæ* hujus chartæ, *integræ*, diversæ sint, si altera *nigro* imbuatur, sint variæ, si *discindatur*, separata; sed in proposito nos essentia rationem spectamus, ut ea facultas et vis quæ cuique formæ est attributa, Dei munere per naturam constituto, nec ulli alii, proprium sit illius, differentia aliorum; si assequimur, bene habet; sin minus, consecramur, quantum possumus, proxima: quæ arte et usu sunt quæsita non dicuntur naturæ, neque illa quæ aliunde extrinsecus accesserunt, ut medicamine aliquo, aut a soli vel cæli proprietate peculiari, quippe quæ non sunt muneris a natura constituti, et assignari illi formæ simpliciter, sed ex addito, ut Persico occidere in Persia, non hic: *proprium* ergo est, quo restringitur genus ad aliquam speciem; *differentia*, qua ab aliis formis sive sui, sive alieni generis, segregatur, sed prior est et germana magis, quàm sui; Cicero consulit filio, ut si proprium non inveniat, communium frequentia utatur loco proprii; nec ullius rei majore laboramus inopia, quàm *differentiarum*, quocirca perdifficile est assignare genera, et species, sive descendendum sit a superioribus ad inferiora coarctando, sive laxando ascendendum; tum ut rerum intelligentia, ita etiàm nominibus deficiamus, quæ non ex rebus nobis nascuntur, sed ex captu ingenii nostri aptantur rebus: et quia toties *inhærentis* meminimus, dicamus et de illo nonnihil.

Inhærens.

Inhærens est, quicquid essentia accedit, id est, quod non est de essentia ratione, ac ingenio, ut *albor* in homine, et in olore: sunt inter hærentia alia momentanea, quæ ex subito aliquo affectu nascuntur, ut *rubor* in eo qui verecundatur: hæc etiam subito transeunt: alia diuturniora, velut *candor* in charta: alia sunt perpetua, sed quæ mutari possent, ut *nigrities corvi*, nam possunt corvi nasci medicatis ovis: alia quæ mutari nulla vi aut arte quæunt, ut *calor in igne*: his utique naturæ legibus, similitudo accidentalis est, quum in eo res congruunt quod non est de eorum essentia, ut *Æthiops* et *corvus*, *germanus* et *olor*; si quis tamen *duo nigra* dicat, similitudo est essentialis, *nigrities* enim de essentia est *nigri*, nempe forma
ejus;

Similitudo
accidentalis.

ejus; itaque Socrates et Plato sedentes similitudinem habent *adjuncti*, si quis autem dicat *duo sedentes*, quatenus sunt *sedentes*, similitudinem habent essentia, et *sedens* species est illorum singularium; ita *accedens* universale non est, quoniam non in essentia superius: nominum alia sumuntur ab essentia, sive effectione, aut facultate illius naturali, ut homo, vel rationale; hæc dicuntur essentialia; item *albor*, *nigrities*, nam adhærentia essentiam quandam habent suo modo, quod vero de inhærentibus significatione trahit, id est accidentale, tamquam *album*, *nigrum*, in quibus sunt; et quæ materiam notant, *corpulentus*; et quæ partem, *succosus*; et quæ *inhærens* dicunt, vel exterioris sensus, ut *albor*, *ridere*, vel interioris, ut *intelligens*, *videre aptus*, *bonus*, in quo sunt vires rerum, ut *herbarum*, *lapidum*; vel quæ ex collatione, *pater*, *filius*; vel quæ applicita, ut *herbidus*, *coronatus*, *vestitus*, *armatus*; quæque in loco, et tempore, aut contra, id est, quæ capiunt, aut capiuntur, ut *vinum doliare*, et *dolium vinarium*; et quæ res admistas signant, et magis interiores, *limosus*, *lapidosa via*, *piscosus lacus*; et quæ separata sunt, ut omnia quæ possidentur, vel possident, ut *dives*, *uxorius*, *paulinus*; vel ab ea vel in eam procedens, ut *actio*, et *passio*; quibus et si exempli gratia a nobis positis omnem tamen rerum distinctionem ferme conclusimus; quamvis res naturæ in certas velut sedes tribuere fortasse impossibile non fuerit; verba autem quis poterit, tam sparsa, tam diffusa, translata, impropria, in tanta licentia sermonis, et tanta varietate linguarum?

Nominum
distinctio.

Ex iis conformitatibus nascitur *idem*, et *diversum* seu *aliud*, nam quæ vehementer sunt conformia, *idem* solemus nominare, *aliud* vel *diversum* pro dissimili usurpamus, similitudo enim facit tamquam *idem*, quemadmodum de amico dicitur quod sit alter ipse propter conformitatem animorum; tum sensuum, et phantasie, judicium sequimur, cui multitudo plurimum in appellandis rebus tribuit, at hoc ex similibus *unum* apud se efficit: sed ex eisdem alia eadem sunt, sive *idem* specie, quasi similia specie, seu sub eadem speciei congregatione, et velut familia, ut duo homines; alia *idem* sunt genere, ut hic homo, et ille equus, id est, sub eadem gente animalis; aliqua *idem*
sunt

Idem.

Aliud vel
diversum.

sunt individuo, hoc est, unum sunt *ἄτομον*, una res singularis; quum dicimus: *hæc duo, aut tria idem sunt individuo*, vel duo nomina ostendimus, ut *Socrates et Sophronisci filius*, vel rem ejusdem nominis diversis temporibus aut locis, ut *Socratem heri et hodie*, *Tiberim Romæ et propter Hostiam*, aut quasi diversæ res ostenduntur, ut *Aristoteles sedens et deambulans*, sive eodem tempore et loco, sive diversis: res *eadem aut idem* sunt individuo variis locis aut temporibus, quæ mutata non sunt, quæ vero mutata sunt, diversæ individuo dicuntur; at mutatio hæc, vel spectatur ex ipsa re et natura, vel ex nostris judiciis; ex ipsa re solus Deus est immutabilis, quippe qui idem omni loco, omni tempore; Socrates alius est hodie quàm heri, multa in eo variantur; sed mutatio vel ad ea pertinet ex quibus constat rei essentia, ut materiam, et formam sive effectiorem, et hæc mutata faciunt aliud *ens*, nempe si quid sit materiæ ademptum, si quid additum; quocirca anima cujusque nostrum, unusquisque Angelus, saxum in mari, non est aliud *ens* quàm fuit superiore anno; homo est aliud hodie quàm heri, in viventibus enim fluit semper materies propter alimenta; inhærentia vero faciunt aliud *tale*; hoc modo Angeli et animæ mutantur, et idem sunt Barcherus candidus et fuscus.

Sed judiciis nostris non est certa nec perpetua regula; ut quisque considerat, ita et sentit, et eloquitur; *alia* alius animadvertit; quæ cuique mutata non videntur, *eadem* illi dicuntur, ut fluvii perennis aqua heri et hodie; quæ autem videntur mutata, in similem tamen locum et ordinem successerunt, apud plerosque non amittunt ejusdem appellationem, ut, eadem sit navis totos decem annos sæpius resarta, quemadmodum de navi Thesei Athenienses cavillabantur: in iis quæ crescunt, quæque minuuntur, plerique vocant *idem*, ut in homine puero et viro, in albore, in justitia, in prudentia; sunt qui *aliud*; illi ita vocant *unum*, tamquam explicuerit se, quod erat contractum, in auctu, vel contraxerit, quod erat expansum, in damno, hi vero tamquam aliquid sit detractum, aut de novo accesserit: non desunt qui etiam de mutatione accidentium aliud *ens* vocent, ut alium hominem, alium equum, alium Socratem;

tem; in quo hi spectant faciem, illi mores, ingenium, fortunam, actiones, adeo ut alium etiam Deum quidam inconsiderate dicant, ex diversitate actionum diversum facientes agens. Ex descensu a genere ad speciem *divisio* et *diffinitio* nascitur, duæ res omnibus artibus maxime necessariae; divisio nihil est aliud quàm separatio conjunctorum, diffinitio est cujusque rei limitatio; conjunctæ sunt partes in mole continua, et partes in numero quæ congregatæ sunt; quum partes continui secantur, partitio est, quum partes numeri, distributio, segregatio, separatio, et aliis nominibus hunc in modum; sed sunt quædam partes congregatæ in cumulo uno conformitatis, ac similitudinis, ut individua in specie, species in genere, ideo et genus *totum* dicitur, et species *partes*; nam ita genus ex suis formis constat, ut corpus ex suis omnibus partibus, nisi quòd in aliis totis partes nomen sui totius non obtinent, species habent; unusquisque enim hominum est animal, non quævis hominis pars homo; at unaquæque pars aquæ est aqua, sed non ea aqua cujus est pars; unusquisque vero homo est animal, non aliud animal, quod ipse est, aliud cujus est pars, nam conformitatis illius ratio fusa est æquabiliter per omnia quæ ejusmodi conformitate, et quasi cognatione tenentur, ut in familia et gente unusquisque est Scipio, et Cornelius.

Itaque eadem etiam similitudo efficit ut unaquæque pars sanguinis, pars quidem molis, sit sanguis, non is sanguis cujus est pars, nec quatenus est sanguinis pars, sed quatenus illa ratione et natura est similis: quæ vero ambiguitate nominis clauduntur, ea non separantur, sed declarantur, ut, *taurus, mons, et animal*; nam si aliqua similitudine colligantur, catenus nomen similitudinis genus est illorum, ut, *si canis sit animal hac forma et figura*, marinus, et terrestris sunt sub eo, et, *si Socrates significet quicquid sic vocatur*, species est ad omnes ita nuncupatos; sin nulla tenentur similitudine, non est genus, sed ambiguum nominatur, ut, *taurus, mons, et animal, aquila, avis, et sidus*: quæ translationibus dicuntur, ad hanc, de qua loquimur, similitudinem non pertinent, ut, *ignis qui ardet et, amor*: item quæ per imaginem nomen recipiunt, ut, *homo pictus, et*

Divisio.

Diffinitio.

verus; nam pictus non simpliciter homo dicitur, sed abusione quadam vulgaris sermonis, qui a sensibus regitur ut ipsum vulgus sermonis dominus: separatio ergo partium quæ sub toto genere clauduntur, *divisio* a philosophis nominatur; sed quatenus incommodum est in dividendo multa persequi, ideo in locum formarum succedunt *differentiæ*, quæ in pauciores possunt contrahi quàm species, ut si quis singulas civitates ad rationem administrationis persequi institerit, longum nimis fiet, ita comprehendet breviter: *Esse civitates alias quæ ab uno regantur, quæ est monarchia, alias a paucis regi, quæ oligarchia, alias a multitudine, quæ democratia.*

Leges divisionis.

Videndum ut quæ dividunt, exhauriant totum divisum; ideo non est proba divisio: *animalium, hoc bipes, illud quadrupes*: nam sunt apoda; tum ne plura comprehendant partes, quàm totum; ideo neque hæc est proba: *de animalibus, hæc quidem vivere, illa esse extincta*: quippe mortua non sunt animalia; tertio ne unum membrum de alio possit affirmative dici; quare neque sic recte distribueris: *animalium, quoddam quadrupes, quoddam bipes, quoddam repens*: quando sunt etiam quadrupeda, quæ repunt; quapropter danda opera ut membra, quo inter se non congruant, sint vel opposita, vel disposita, quæ dicuntur disparata: *ex virtutibus, hæc quidem est pietas in Deum, illa vero justitia erga homines; in metallis, aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, cuprum, argentum vivum*: in oppositis sunt *contraria* seu *adversa*, ut, quæ sub eodem genere remotissimas habent vires, *album nigrum, dulce amarum, calidum frigidum, motus sursum et motus deorsum*; hæc habent certa a natura et definita fundamenta, neque enim *lapis bonus est, aut malis moribus, nec æger, aut sanus*; et in fundamentis tempus a natura constitutum, *nec infans bonus est, nec malus*; et aliis adversis medium interponitur, qualia sunt prope omnia, *album ac nigrum ambiunt ceruleum et viride*; sunt quæ carent medio, ut *sanum et ægrum*, ex Aristotelis sententia; sunt alia opposita quæ dicuntur *privantia*, quorum unum nihil aliud videtur quàm privatio ac denudatio alterius, tamquam *lux et tenebræ, videns cæcum*; quædam sunt *contradicentia, etiam, non; hoc, non hoc*; relativa nonnulla, de quibus alibi est a nobis dictum.

Ex

Ex his omnibus fit bona distributio; videlicet, *adversis* inter quæ non est medium: *animalium, partim sunt sana, partim ægra*; si habeant medium minus commode; sed videndum ne quid omittatur, nisi forte exempli gratia fiat divisio magis ad intelligentiam alterius rei, quàm ad ejus ipsius accuratam expositionem, ut, *sapores sunt dulce, amarum, austerum, acidum, et ejusmodi*; quod sæpenumero solet fieri præcipue in assignandis artium exemplis, ut nos interim fecimus; *per privantia* hoc modo: *locorum, alii lucidi, alii obscuri, hominum, alii videntes, alii cæci*; *per contradictoria* fit quum vel *differentiæ* nomen ignoratur, vel adeo multa sunt et varia, ut non commode queant comprehendi: *pars volucrum est rapax, pars non est rapax; relativa* locum habent præcipuum in rebus politicis: *cives omnes aut privati sunt, aut magistratus*: hæc ratio *dividendi* spectat et ad *diffinitiones* assignandas, nam superiore posito, et membro uno sectionis illi applicato, recteque ab aliis omnibus sejuncto, existit *diffinitio*; nam ut rerum natura in certas formarum similitudines cuncta disposuit, ita singula ab aliis omnibus seclisit quæ illa similitudine non tenerentur; quare *divisio* conducibilis est ad *explicationem* eorum quæ sub illa conformitate comprehenduntur, *diffinitio* vero ad *segregationem* a *diformibus*, atque *absimilibus*, ut ea similitudo tota intra se cogatur, nec aliud admittat quod non sit ejusdem ingenii, ac naturæ: idcirco *finitio* seu *diffinitio* nominatur a Græcis *ἔπος*, quasi *terminus*, et *designatio limitum*; ne vel res ipsa ad alienos egrediatur, vel alienum aliquid intra illos se insinuet; alioqui magna sequeretur et in loquendo et sentiendo perturbatio, qualem videmus accidere, quum de rebus agitur quarum ignoratur *diffinitio*; idcirco sapienter Plato præcepit, ut, *disputatio omnis et dissertio a diffinitione sumat exordium*: ergo *finitio* sit nobis intellecta *brevis explanatio similitudinis et dissimilitudinis, communionis et proprietatis*, illud in *genere*, hoc in *proprio*.

Finitio.

Hæc quidem germana est *diffinitio*, quæ essentialis nominatur; sed quatenus rerum essentialium per se sunt nobis ignotæ, quæ sita sunt per quæ illæ nobis innotescerent, nempe *adjuncta*, quippe ut intelligentiæ nostræ ex sessionibus nascuntur, ita es-

R 2

sen-

sentiarum cognitio, quæ est mentis, ex *adherentium* cognitione, quæ est sensus; nec solum in essentia substantiarum hoc usu venit, sed in essentia quoque inharrentium; ceterum explanationes istæ *per adjuncta*, magis *declarationes*, aut *expositiones*, aut *explicationes* dici debent, aut (ut vocant nonnulli) *descriptiones*, quam *fnitiones*; quia vero non solum per illas *essentie* quædam monstratur ratio, sed etiam quadamtenus terminatur, ac intra certos fines redigitur, diffinitio videtur posse nominari, modo quæ sit inter eas discretio sciamus, videlicet, ut illa diffiniat, hæc declaret, et quo penitius rei essentiam diffinitio attingit, hoc sit verior quidem, sed tamen obscurior; quo fit ut essentia diffinitiones parum nos doceant, minimeque sint nobis utiles, ac ea de causa, ut puto, raræ: at vero *essentie* *fnitione* sola diffinitur species qua est species, quæ et genus habet ad communionem, et ad segregationem propriam differentiam; genus vero genere non capitur, nisi qua ratione est species; sed neque singulare habet propriam sibi distinctionem essentia, accidentibus figuratur, ut, *qui sit M. Cato, qui Bucephalus, que Portia, aut Lucretia*: dicamus ergo diffinitionem, *breviter ac proprie comprehensam rei naturam per ea quæ sunt illi intima*; declarationem autem, *expositionem cognobilium inharrentium, illi proprie congruentem quod declarat*; utroque autem modo diffinitio est *brevis atque apta rei limitatio, seu circumscriptio*: sed multis modis explicatur, declaraturve quæque res; aut enim ignorantia vocis clauditur, ut *tuburcinari*, id est, *celeriter comedere, antigerio*, id est, *valde, ἀθροιστος* id est, *homo*, quod fit ab una lingua in aliam, vel in eadem, nihil ad hunc locum, *interpretatio* est hæc, non definitio.

Diffinitio
quid.

Declaratio
quid.

Interpretatio.

Etymologia

Proxima est huic *etymologia*, ut, *fides quasi fiat quod dicitur*, quæ ex se non habet satis virium ad hoc quod querimus, et variatur apud varias gentes, et robur atque auctoritatem sumit ab iis qui, vel sic appellant, vel sic exponunt originem; sunt tamen quædam *etyma*, quæ ex natura rei acute ac subtiliter deducta, diffinitionis habere locum possunt, qualia sunt vera nomina, et quæ ob eam causam naturaliter significare dixit Plato in Cratyllo, sicut *vipera*, quod *vivum pariat*, in omni enim

enim lingua sic diffiniretur; hæ sunt explanationes vocum, magis quàm rerum, sicut in divisionibus, philosophi alii de inventoribus sumunt appellationem, alii de schola, sunt qui de placitis sectæ, quidam de vita: tertia expositio fit *per metaphoram*: *ver, anni est pueritia; homo, parvus mundus; coitus, brevis morbus comitalis*: lusus sunt hæc, etsi declarant interdum rem, ac circumscribunt, ut, *affectus est ignis animi, cujus ardor calari egre potest*: huc pertinet similitudo omnis, seu proportio, quæ Græce *ἀναλογία* dicitur: *mens est in homine, quod in mundo Deus*: quarta est removendis iis quæ cognoscimus, ut sciamus quod non cognoscimus nihil esse illorum: *Animus est, quod solum ex homine non apparet, edit tamen hæc opera tam admiranda*; interdum sublatis iis sigillatim quæ novimus, subjungitur aliquid aliud: *Angeli sunt, non Deus, non homines, sed medii quidam Spiritus inter illos*; sunt nonnulla, quæ aliqua rei nota insigniuntur ut cognoscantur, tamquam oves signatæ, aut merces: *Paulus est, quem persequentem ecclesiam Christus ad se convertit; Cæstius est, qui dicebat Ciceronem nescire litteras*; licet interdum haud scias statuere, utrum potius alterius sit nota, Cæstius sui dicti, an dictum illud Cæstii. Sed non est justus et tamquam legitimus terminus, nisi res quadranter sit comprehensa; ut ea concludatur sola, et quicquid ipsa amplectitur, aliæ res omnes, quæ ejusdem non sunt rationis, ac naturæ, sint exclusæ.

Metaphora.

Proportio.

Quapropter ad recte diffiniendum, sumendum est de principio non tam genus, quàm superius quiddam accommodatum exprimentæ rei, sive id essentia sit, sive adharrentis, sive etiam metaphoræ, tum concinnandum, et coarctandum adjunctione inferiorum, dum illud totum quadret, ac fiat proprium: quod ex dividendi ratione commode posse fieri Boëthius Severinus docet, *ut dividatur quicquid additur, et examinetur num membrum uni rei propositæ congruat, alterum non, an utrumque; si alterum non competit, astringendum adhuc pressius; sin vero utrumque proprium est, sistendum ibi, quoniam expleta est suis omnibus partibus diffinitio*; itaque hic non perinde propria, et differentia sunt essentia deligendæ, quàm declarationis; superius vero, de quo dixi, id etiam debet esse, quoad ejus fieri poterit, declarans;

et

et rem ante oculos subjiciens; hoc fere est proximi loci superius, nam quod recedit longius; propter amplitudinem minus est aptum: exemplum inquirendæ diffinitionis est apud Platonem de Sophista, licet non satis ad docendum idoneum; magis erit quod Rodolphus habet de jure, cujus hæc sunt verba: *Sumamus, inquit, exemplo nobis jus diffiniendum; inveniemus primum jus vim quandam in se habere cogendi, et jussum, unde nomen videtur traxisse, itaque erit jus nobis, vel placitum, vel decretum quoddam; verumtamen non omne decretum jus erit, nam et domini servis, et patres filiis, et philosophi discipulis decreta adunt, quæ tamen jus non vocamus; cogitemus aliquid quo ista excludamus; videmus potestatem quandam esse istis, sed minorem quàm ut jura facere possint; addamus ergo, esse placitum majoris potestatis, hoc est, vel populi, vel in quem populus potestatem suam transtulit, ut senatus, ut principis; quid ergo? quicquid jusserit princeps, si servis ut lectum insternant, jus erit? non videtur, sed quod civitati jussum est, idque quod ad statum ejus tuendum pertinet; sed neque id quidem jus erit, si, vel partem aliquam civitatis gravius premat, vel finitimos contra fas nature, gentiumve, ledat: æquum ergo esse oportebit: circumferamus diligenter oculos, videamusque ecquid intra complexum diffinitionis possit venire, quod nomine diffiniti non contineatur, sed et contra quoque, contineatur ne aliquid diffinito, quod diffinitio non admittat; quæ si non videbuntur, colligamus jam a capite omnia, dicamusque: jus est decretum majoris potestatis ad tuendum civitatis statum ex æquo et bono institutum: hæc Rodolphus.*

Verum enim vero ei, qui recte diffiniturus, aut divisurus est, rem esse perspectam penitus, et cognitam, oportet, intus, foris; ut in numerato, atque ad manum ea habeat omnia quæ ad illam pertinent; quæ nos, ad artem tantæ utilitatis adjuvandam, hunc in modum tribuamus ut alia de ipsa sint rei essentia, velut *genus, forma, differentia, singularia, pars, totum*, omnia hæc inter se in directa serie, sive ascendendo, sive descendendo, ad essentiam mutuam spectant, cujusmodi sunt *animal, homo, ratione præditus, Aristoteles, corpus, caput*; alia essentia sunt applicita et hærentia, (ut quæ sensu comprehenduntur, quæque cogitatione ac mente) usque adeo affixa rei, ut

ma-

manere jam amplius sine illa non queant, hinc sunt *actio et passio*; tum *causæ*, nempe *efficiens*, et *finis*, *media* etiam, et *effecta*, postea quæ rem capiunt, *arma, indumenta, locus, tempus*, in quibus *ordo*, et in ordine *prius ac posterius*; contra etiam, quæ res ipsa complectitur, ut, quæ in *loco*, quæ in *tempore*, quæ in *corpore*, quæ in *vestitu*, denique quacunque ratione *existentie in alio*; jam quæ referuntur ad rem, in quibus sunt quatuor oppositionum genera, *pugnantia, orbantia, contradicentia, relata*; est quum ad dissita et separata egredimur, ea sunt duæ res *diversæ*, aut plures, nullo comparisonis vinculo inter se *collatæ*, comparisonem voco quatuor illas oppositionum formas; sunt etiam addita quomodocunque et applicita, ut, *crur in veste, lutum in facie, geometria addita rhetorice in eodem animo*; sunt a nobis attributa, ut, *conficta in vita, possessiones, et ii qui possident, facultates, opes, honor, dignitas, nobilitas, magistratus*; his subjunguntur quæ sunt ante rem, quæ illam quomodocunque censentur antecessisse, *majores, predictiones, oracula, somnia*; postremo quæ illi quocunque pacto succedunt, ut, *fama, posteri, exemplum*: hæc fere in libris primæ philosophiæ explanavimus subtiliter, et fusius quum de probabilitate disseruimus.

Ex his omnibus diffinitiones ac divisiones depromuntur, quod videre est in scriptoribus cujusque notæ, et cuncto vitæ usu; Speusippi circumfertur de Platonis diffinitionibus libellus, in quo multa eorum quæ diximus licet exempla animadvertere; sed nos sigillatim de unoquoque genere jungemus, eodem quo posuimus ordine: a genere in formam sic partimur: *Civitatis regimen, aut democratia est, aut oligarchia, aut monarchia; simiæ, sunt simii, cercopithecii, cynocephali, cepi, sphinges, callitriches, satyri, cynopsopi, mantichora, crocutæ*; ad differentes: ex animalibus, hoc ratione præditum, illud orbum; ad singulas res: *Christiani orbis reges Carolus, Fernandus, Franciscus, Henricus, Joannes, Jacobus*; a toto ad partes divisio est ejusmodi: *litteræ, aliæ pinguntur atramento, aliæ minio, aliæ creta, aliæ carbone*; hæ sunt enim litterarum partes, nempe, materies; ex adherentibus: *partim hominum, sunt naso simo, quidam extante, quidam aquilino, nonnulli repando,*

A genere.

A toto.

do, aliqui retorto, multi recto, quæ aliorum pertinent, nempe ad adjuncta: contra vero, a partibus in totum, a minoribus ad capaciora, non est dividere, finitiones inferiorum per superiora fiunt, sicut est declaratum; nonnunquam retrorsum venit, ut per inferiora finiatur superius, et majus, quum eo loci positum est superius, ut ultra se nihil admittat quo explicetur, aut certe non possit apte; ita magis tum arctioribus tamquam exemplo quodam ostenditur, quam diffinitur, ut, *ens est quod est substantia, quodve substantiæ accedens*; in quo quando ascendere non datur, descendimus.

Hujus notæ sunt diffinitiones illæ, *qualitas est, per quam quales esse dicimur, ut Aristoteles inquit; inhærens est, per quod res habet aliud nomen quam pro essentia suæ ratione*; assignatur etiam diffinitio a partibus totius, ut apud Ciceronem, *jus civile est, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, juris peritorum auctoritate, edictis magistratum, more, æquitate, consistit*; et Papinianus, *jus civile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum venit*; homo est, *quod constat anima rationabili, et corpore ita formato*; corpus, componitur ex capite et trunco; domus, ex fundamento, parietibus, tecto; civitas, ex senatu, equestri ordine, ac plebe: quæ utique diffinitio tum demum assignatur, quum notiores sunt partes quam totum: contra, ex toto fit partis diffinitio; *materies est, ex qua constant quæ generantur, quæque corrumpuntur omnia*; quod genus diffinitionis difficile est aptum et simplex reddere, nisi aliquid sit admistum ex alio desumptum loco, velut, *caput est, in omni animante primum*; ad ordinem refertur; *facies est, ex qua homo cognoscitur, ac censetur*; ad actionem, nam pars de se non satis potest totum explicare: sequuntur inhærentia, quæ campum dividuntibus et diffinientibus aperiunt latissimum; *oculi sunt, quidam nigri, quidam glauci, partim virides, partim cerulei; animalium, sunt alia simplicia, alia cauta, alia stolidæ*; diffinitio hinc accipitur: homo est *animal rectum, lato pectore, expansum in brachia, diductis manibus in digitos, levi cute, ad prudentiam, et bonitatem appositum, et factum, pietatis capax*: bovis descriptio est apud Varronem, equi apud Vergilium, sed quid persequor singula? Animantes omnes, stirpes, lapides, metalla,

gem-

gemmæ, hoc fere modo declarantur, utpote sensibus congruentissimo: *In actione divisio est: animalia, vel ingredi, vel serpere, vel natare, vel volare*: diffinitio: *Delphinus est, piscis celerissime omnium natans, et solus inter eos saliens*; amor est, *condimentum, quo res omnes etiam amarissime dulcorantur: ex passione: eorum qui bene vivunt, ii multa sentiunt incommoda in vita, nempe qui agunt inter malos, illi honore afficiuntur, qui inter bonos: iracundus diffinitur, qui ad iram levissimis de causis celerissime rapitur.*

Accedunt his causæ: *calor omnis, aut est a sole ac calis, aut ab igne*: diffinitio; *dies est lux per hemispherium nostrum a sole diffusa*; homo est *animal peculiari Dei opere conditum*: in numerum causarum veniunt instrumenta: *eruditio paratur usu, paratur studio, paratur doctrina: persuasio omnis fit rebus, aut verbis: triticum, aliud molitur mola aquaria, aliud ventaria, pars asinaria, pars trusatili: oleum est, liquor ex olivâ trapetibus expressus: altera causa est finis: eruditio, ab aliis ad usum corporis queritur, ab aliis ad usum animi, a quibusdam vero ad vanitatem ostentationis*: diffinitur hoc loco homo, *animal a Deo ad eternam beatitudinem genitum*; jus civile est, *æquitas constituta iis qui ejusdem civitatis sunt ad res suas obtinendas: media sub instrumentorum rationem fere concluduntur: sunt causæ sine quibus effectus non sequitur: fames contigit alias sterilitate agrorum, alias vastatione; bellum Trojanum est, quod Græci cum Trojanis gesserunt propter raptam Helenam: est in causis ignotis fortuna: ut, aliis hominibus cessantibus perveniunt omnia, aliis nihil nec vigilantibus, ac strenue laborantibus, aliis tenuiter, ac maligne*: diffinitio, *honor popularis est, locus dignitatis, quo cæca sors sine delectu evehit quos ipsa non videt: casus est in iis, quæ accidunt præter destinationem: duo hi foderunt, hic thesaurum reperit, ille laqueum; Thesaurus, partim bestię prodiderunt, partim homines terram vertendo, pars ruina extitit edificiorum, vel montium: diffinitio; orichalcum est, æs auro simile, quod Orius metallarius produxit dum studet ex ære aurum facere; bombardæ est, tormentum bellicum, quod metallario aliud agenti inopinato extitit: e causis nascuntur effecta: Est ira quæ aliis cogit manus afferre, est quæ sibi met ipsi: diffinitio; vipera est, quæ sola ex serpentibus vivum parit.*

Tom. III.

S

Quæ

Ab actione.

A passione.

A causis.

A partibus.

Ab inhærentibus.

Ab affectibus.

Quæ rem ca-
piunt.

Quæ rem capiunt varii sunt generis, sicut in *Prima Philosophia* patefaciemus; ex omnibus et divisiones eliciuntur, et diffinitiones, quorum exempla fere sic habent: In eo quod capit: homines hi vestiuntur panno, hi linteis, illi byssinis, aut sericis, sunt qui contextis frondibus, aut plumis; vinum, aliud seria, aliud dolio, aliud utre servatur: ex loco: animalium, alia in terra vivunt, alia in aqua, partim in aëre, quædam sunt amphibia; herbæ, sunt ægrestes nonnullæ, sunt aliæ hortenses; Crocodilus, piscis est serpentinus in Nilo vivens; Balsamum, liquor est odoratissimus in sola *Judea* proveniens; Valentia, urbs est in *Hispania* ulteriore miliarium uno a mari reducta; concio est, oratio quæ in loco publico ad multitudinem habetur; triarii sunt, milites fortissimi in postrema acie collocati: in tempore: flores nascuntur, quidam primo vere, quidam adulto, quidam senescente, alii æstate ipsa, atque etiam autumnis; amygdalus est, arbor quæ prima omnium floret; pirus silvestris, quæ tardissime; vegetatio est, vis animæ quæ prima se in homine profert; ratio, quæ postrema; cupiditas gloriæ est, quæ ultima præstantibus viris excutitur: quæ sunt velut inherencia in substantia; intelligendi vis in hominibus est sita, vel in Angelis, vel demonibus; angina est, morbus faucibus affixus, et podagra, articulis pedum: partes in toto: digiti, et manui et pedi sunt communes; folia, tum arbores, tum frutices, tum herbæ habent; intercalaris est, dies quem solus habet quartus quisque annus: quæ in aliis sunt potestate: fruges, aliæ sunt in herba, aliæ in semine; picturæ sunt, quædam delineatæ jam, aliæ adhuc in animo pictoris: quæ in aliis vi, et potentia: regnum, vel in uno est, vel in multis, vel in paucis, in optimatibus, aut plebe: diffinitiones, quæ aliquid declarent, non facile est in his generibus invenire, propterea quod quæ in alio sunt potestate, vel potentia, ita latent, ut ea sint potius per alia explicanda, quàm ut alia explicent; sed de his satis; nam singulorum adferre exempla, quæ in *Prima Philosophia* persecuti erimus, cum esset longum, tum vero minime necessarium; et verendum esset ne subtilis illa rerum minutarum concisio fastidium lectori adferret.

Quæ ab aliis
capiuntur.

Quæ ab aliis capiuntur, eadem prope sunt in his, quæ modo sunt dicta: in utre, aut mel servatur, aut aqua, aut oleum,
aut

aut vinum; in bulga mulieris, vel puer nascitur, vel mola, vel bestia; semina, sunt quæ continent in se arborem, sunt quæ fruticem, sunt quæ herbam; Regum, hi habent in se regnum in universum, hi bonam partem, alii exiguam: diffinitiones sunt: humana mens est sedes intelligentiæ, rationis, consilii; civitas sine justitia est receptaculum latronum; majestas reipublicæ est in qua continetur dignitas et amplitudo civitatis; annus est in quo duodecim menses comprehenduntur; pes est extrema atque infima hominis pars; aurora principium diei; bonus princeps est, qui non in cogitatione suorum commodorum, sed publicorum est cunctus: jam quæ referunt, per se quidem inherencia sunt, sed inter se comparata ad hunc locum pertinent; in quem divisio non cadit; nam hæc, si per superius partiuntur, aliorum spectant; ut, colorum, hic niger, hic albus, quæ sunt generis et formarum; hominum, hi vident, illi cæci sunt, alii patres, alii autem filii, in adjunctis reponuntur; sin unum in aliud tentes dividere, nihil proficies: diffinitiones in his sunt:

Relata ad
aliud.

*Virtus est, vitium fugere, et sapientia prima,
Stultitia caruisse: (1)*

sed propius et exactius: album est, color, cui ex contrario maxime repugnat nigrum; cæcitas est, visus orbitas; quæ etiam est essentialis, nam privationis essentia, est positionis absentia, ut tenebræ luminis: hæc essentielles sunt quoque: pater est, qui habet filium; dominus, qui servum; servus, qui dominum; idcirco minus quàm aliis ex locis notæ: contradictoria, et separata, per omnia dividendi genera sunt fusa, deque earum diffinitione jam est dictum: in additis divisio est: dicendi ars, in quibusdam est sola, in aliis est cum philosophiæ cognitione conjuncta: diffinitio: parasitus est, comes individuus stultorum, ac profusorum divitum; magister equitum est, dux quem sibi adjungit dictator: attributa: inter homines, invenias divites, et pauperes, invenias nobiles, ac ignobiles, tum honestos, ac viles; pauper est, cujus census non valet quinquaginta numis aureis; eques est, civis Romanus,

Addita.

Attributa.

S 2

(1) Horat. Epist. lib. 1. vers. 41.

nus, *cujus census est quingenta millia*; contra sic: possessiones, *aliæ sunt pauperum, aliæ locupletum, aliæ nobilium, aliæ plebejorum.*

Nobilitas est, *dignitas quæ antiquitate divitiarum censetur: ante rem: qui nascuntur, alii patre vivo, alii mortuo*; ex iis qui vivunt, *alii sunt patrimi, alii matrini, alii utrumque, alii neutrum*; posthumus est, *qui nascitur patre mortuo*; opiter, *qui patrem quum non habeat, habet avum*; paris est, *priami filius de quo parentes somniarunt futurum eum Trojæ facem: post rem: alii obscuri moriuntur, alii claritatem post se relinquunt*; felix mors boni civis est, *quæ contingit in limine calamitatis patriæ*: miscentur ex diversis locis diffinitiones, quas vel nominemus mistas, vel de loco censeantur præcipuo, vel certe ab eo, quem quisque potissimum spectarit; quod ut in diffiniendo non est vitium, ita in dividendo esset turpe; in quo est cavendum, ne rationes dividendi in eadem divisione confundamus; ut, animalium, *alia terrestria, alia aquatilia, quedam aërea, nonnulla rapacia*; herbæ sunt, *arvenses, hortenses, salubres, multifoliæ, paucifoliæ*; incurrunt enim in se membra, quod vitandum esse superius admonuimus: verum si ad varias divisiones pertinent, non miscentur: homines, *colore sunt candido, fusco, atro; naso aquilino, simo, repando; oculis nigris, glaucis, ceruleis*; avium, *aliæ gregales sunt, aliæ solitariae, aliæ ferae, quedam mansuetæ, aliis pastus est carnes, aliis fruges, nonnullis utrumque*: difficile dictu unde diffinitio elicitur, nisi ei qui prius universam rei essentiam, rationemque, interius ac exterius pernorit; quin et illi etiam qui exploratum hoc habent, non perinde promptum statuere unde petitur diffinitio, quàm diffinire.

Leges diffinitionis.

Leges diffinitionis sunt, ut diffinitio sit æqualis diffinito, non minor, neu major; tum ut rem explicet; idcirco parum apta est quum in ea diffinitum ponitur, nisi in relatis, quæ sunt *πρός τι*, quod aliter nequit fieri; nihil vero continere supervacaneum, vel redundans, id est, quod abscindi citra jacturam totius possit, non video necessarium existimari; neque enim ingeniis omnibus breves sufficiunt; sed nec longas esse convenit; quæ expeditæ intelligentiæ rei parantur; et quando explanare ad ingenia audientium refertur, prospiciendum diligenter, qui

qui audiant, ut, quantum res patiat, diffinitio eorum captui applicetur: quocirca Cicero et Quintilianus ita diffiniendum censent, ut maxime præsentis negotio congruat; aliterque gloriam finit Cicero agens Cæsari gratias pro Marcello restituto, nempe ad populum populariter, quàm in Tusculanis quæstionibus philosophice disserens apud paucos; et Aristoteles de jucundo loquens in Rhetoricis ad Thodectem, *Oportere ait existimari diffinitiones eas esse sufficientes, quæ neque exactæ sint, neque tamen obscuræ*; quod dictum ad res morum ac vitæ pertinet; at vero hæc, quæ a nobis posita sunt, omnia percipere, ac tenere, quum sit divisuro et diffinituro necessarium, apparet profecto quàm sit diffiniendi hoc munus magni viri et excellentis, quique non universam modo ejusce rei, quam diffiniturus est, naturam explorarit, sed alia plurima non ignoret; neque enim aliter poterit eam rem, quam limitandam suscepit, et in majore includere, et in minora diducere, et a vicinis; circumfususque, secernere, ac separare: neque ulla nota alia æque doctum ab indocto, acrem a tardo, distinxis, ut peritia diffiniendi, nam quibus multa sunt per ruditatem aut torpedinem confusa, ii discernere ea nesciunt; ita rebus finitimis et similibus falluntur, ut fraus omnis ex conformitate nascitur: error autem, quamlibet in diffiniendo exiguus, brevi fit ingens, quippe, procedente scrutatione, ac dissertatione rei, amplificatur, quod si rite sit ab exordio diffinitum; omnia certiora existunt, et multa facillima.

Diffinire
quanti sit
viri.

DE EXPLANATIONE CUJUSQUE ESSENTIÆ,

FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
DE CENSURA VERI
IN ENUNTIATIONE
LIBER I.

INSTRUMENTUM *examinandæ veritatis* singulis disciplina-
rum atque artium idem accommodatur, nec ullam habet
certam materiam rerum, in qua versetur, sicut nec illud alte-
rum de *querenda probabilitate*; adhibetur enim a quoque artifice,
dum in materia sua inquit quàm apte enuntiatio sit ad
veritatem expromendam, aut quàm recte veritatem per proba-
bilia investigarit; itaque duo hic examinantur, *simplicia effata*
quæ nondum in argumentationem coguntur, et *argumentatio-
num complexio*, de quibus priusquam dicemus, aliquid est de
eorum partibus loquendum: quarum partium aliæ sunt *minimæ*
ac *simplicissimæ*, aliæ *compositæ*; minutissimæ ac tenuissimæ sunt
in grammatica *litteræ*, in censura hac *voces integræ*, quæ ad ali-
quid significandum sunt institutæ; est autem significare, sig-
num facere, indicare aliquid alicui, sic homo homini aliquid
significat litteris, nutu, manu, gesticulatione, ipsa quoque ea-
dem signa nonnihil significant per quæ aliquid declaratur, aut
ostenditur, velut manus mota, index, nutatio, in viis regiis
mercurioli, et quæ tenduntur ante cauponas, et tabernas, et
officinas omnis generis, quibus admonetur populus adventores
recipi, aut hoc vel illud cudi, aut vendi; ex hoc genere sunt
voces prolata, et scriptæ: utrasque aliàs voces, aliàs verba no-
minabo: ergo significat animo id omne quo animus quomo-
docunque admonitus intelligit.

Sed in hac intelligentia duo sunt, cognitio signi, et sig-
nificati; ut vocis hujus *homo*, et *hominum*; prior illa cognitio
est imperfecta, atque inchoata, posterior plena, et absoluta,
illius quidem signi: significare vero non simpliciter sumendum
est, aut universaliter, sed semper respectu et ratione alicujus,

sunt

sunt enim voces quæ equis aliquid significant, velut, *clogmi*,
et *poppysmi*, sunt quæ canibus, ut, *jubilatus*, aliæ Græcis ho-
minibus, aliæ Latinis, aliæ Hispanis; celebris illa apud Sophis-
tas vox *bux* Latinis auribus nihil est, Catalano flatum desig-
nat, ut hæc Ægyptio vox erat incognita, Phrygi panem, præ-
cipuum edulium, denotabat; sunt voces peculiariter paucis qui-
busdam notæ, ipsorum vel conventu, vel tacito consensu; ut
inter cæcos in Hispania lingua est quædam propria, quam vul-
gus non capit; etiam inter lenones; sic in negotiis principum
ne deprehensæ litteræ prodant arcana; et inter privatos, ut Ci-
ceronem et Atticum, unde fit ut minus illæ epistolæ possint
intelligi: quocirca voces, quæ nihil significant in ea lingua
qua loquimur, etiam si in aliis sexcentis significant, nihil sig-
nificare eas dicemus: præter interjectiones, reliquæ omnes vo-
ces significant, ut Aristoteles dicit *κατὰ συνθήκην*, hoc est, ex com-
pacto, ex conventionem, et quadam loquentium conspiratione,
ac consensu; nullæ naturaliter significant nisi interjectiones, nec
eæ omnes, nam quædam, Romani aut Græci sunt magis ser-
monis, quàm affectus, sicut *evax*, *euge*, nisi quòd fortasse is
morus corporis, et ea adhibebatur pronuntiatio, ut illinc po-
tius quemadmodum affectus esset animus posset intelligi quàm
ex verbo ipso; neque vero perturbat nos quod Quintilianus na-
turalem significationem a translatione distinguit, ut, *volare*, *nà-
tura sua*, *sit avium*, *translatione*, *animorum*; alia mente ille est
locutus ac nos, ut in libris *De dicendi ratione* ostendimus.

Sic ergo diffiniamus vocem significantem, ut sit: *Communi-
nis nota*, qua inter se aliqui aliis notiones suas explicant, id est,
que mente concipiunt: itaque usus est dominus significatum, *bo-
vinari*, et *lessuum*, et Latina illa nomina, quæ (ut inquit En-
nius) *fauni*, *vatesque canebant*, aliquid illo prisco seculo signi-
ficabant, ætate Ciceronis nihil: quid opus est crassis argutiis,
in iis quæ pueri prope adferunt ex ludo illo suo? Quocirca
vocum significatio, hoc est, notatio, animum spectat, non
res, nam *Hector*, *chimæra*, *bellum Punicum*, et cetera, quorum
res nusquam sunt, aliquid tamen significant, id est, animo
sunt alicujus rei nota, quæ res etsi ex natura sit sublata, ani-
mo

Significare
quid.

Vox signifi-
cans.

Significare
aliquid et al-
liquo modo.

mo tamen superest etiamnum, et tamquam vivit, dum intelligentia comprehenditur; quare alia dicentur significare aliquid quod in solo sit animo, alia aliquid quod in natura rerum; quanquam ex iis quæ significant, sunt quæ animo significant aliquid, vel aliqua, ut, *homo, capra, herba, albus, niger, Hector, chimæra*; denique omnes partes declinabiles (præter pauca quædam) per quæ animus concipit vel rei alicujus imaginem, vel aliam ejus generis ac modi cujus sunt res, ut, per *Hectorem* hominem quendam, sicut per *me*, aut *te*, per *chimæram* animal quoddam varium, sed certe animal, vel animalium partes; alia non insigniuntur, atque imprimuntur animo tamquam rei quædam imago, sed tamquam modus rebus innisus, ut, *omnis, aliquis, quidam*, et omnes partes orationis quæ non inflectuntur, licet inter adverbia sint quædam quæ aliquid significant, ut, *mane*, quemadmodum quum dicit Persius, (1)

Fam clarum mane fenestras intrat.

et, *multo mane*, reliqua omnia per se nihil sunt nisi aliis applicentur; quæ tamen modum quendam et rationem illis adferunt, non aliter quàm inhærentia non subsistunt sine subjectis, faciem autem quandam, rationemque illis addunt.

Significati-
va.
Consignifi-
cativa.

Priora illa *significativa*, hæc posteriora *consignificativa* nominantur, ab Hammonio *σημαινόμενα, καὶ συνημαινόμενα*, ab aliis *categorematica*, hoc est, *prædicativa*, et *syncategorematica*, id est, *comprædicativa*, quo etymo, mox declarabitur; illa, *primigenia* possunt nuncupari, hæc, *posteriora*, seu *secundaria*, nam nec essentiam ullam habent sine illis, sicut de inhærentibus diximus, nec inveniri nisi illis inventis potuerunt, ut prior fuit substantia quàm inhærens, mirumque est, potuisse illa consignificativa declarari, nam de significativis, etsi magnum fuit, non tamen adeo admirabile; itaque veteres illæ et rudes linguæ, ut sermo puerilis, minus illis syncategorematis abundant quàm recentiores exultæ jam usu atque expolitæ, et quo quisque est in qua lingua facundissimus, ita usum horum exactissime caller,

(1) Satyr. 3. vers. 2.

contra, rudes, aut tardi, facilius rerum nomina assequentur quàm hæc secundaria. Ex vocibus, aliæ binæ, aut ternæ, aut quocunque alio numero, idem inter se comparatæ significant, aliæ diversum; idem quæ significant, non uno modo, quippe aliæ idem sunt penitus, ut, *Socrates Socrates, equus equus*, aliæ significatione incomplexa idem notant, ut, *valde, multum, bellum, duellum*, aliæ explicatione, ut, *Socrates Sophronisci filius, Scipio domitor Africa, homo animal ratione præditum*; illæ primæ eadem nominentur, postremæ *pares*, sive *æquales*, mediæ *synonymæ*; reliquæ sunt *diversæ*, aut *variæ*, quæ non omnino idem significant.

Significare
idem et di-
versum.

Quærat aliquis; an voces in diversis linguis idem significantes, ut, *homo* et *ἄνθρωπος*, *synonymæ* sint dicendæ? Non videtur; nam non idem utrique genti significant, nisi forte apud quam in usum sunt receptæ ambæ, sicut, *Zephyrus et Favonius, phlegma et pituita, Pallas et Minerva*, diximus enim significare non simpliciter dici, sed secundum respectum. Ex iis vocibus, quæ diversum significant, id est, quarum aliquis unius ambitu significatus clauditur quod non alterius, aliæ superiores sunt aliis, quæ et illas, et aliquid ultra, includunt, inferiores sunt inclusæ; *animal, homo; coloratum, album; homo, hic homo; album, hoc album; homo, Trojanus; femina, Trojana*; aliæ nihil inter se habent commune, ut, *homo, asinus; album, nigrum*; quæ dicantur *diversæ*, seu *distinctæ*; inter quas, aliæ sunt *adversæ*, aliæ *negantes*, aliæ *privantes*, aliæ *collatæ*, aliæ *aversæ*; ac *segregatæ*; *aversæ* sunt, quæ sub genere uno aliquo *adjunctorum* extrema obtinent, ut, *album, et nigrum sub colore; frigidum, calidum sub tactili; negantes* sunt duæ eadem, quartum alteri negatio additur, *bonum, non bonum*; hæc propemodum in *appositis* contingunt sicut priora, aut in iis quæ vim et naturam habent talium; *privantes* sunt, quarum altera privationem tantum dicit alterius in subjecto jam apto positionem recipere, ut, *videns, et cacum; collatæ* sunt, quæ relationem ad aliquid habent sine quo non intelliguntur, ut, *pater, filius; duplum, dimidium*; neque enim essentia suæ rationem per se tuentur; ab Aristotele dicuntur *πρόσ*, a Cicerone, *ea quæ cum aliquo conferuntur*, vulgo, *relativa*,

Superiores.

Diversæ.

Adversæ.

Negantes.

Collatæ.

non eo modo quo quædam pronominum a grammatico vocantur relativa; cetera omnia nominantur *aversa*, et *segregata*, seu, ut usus obtinuit, *disparata*. Ex categorematicis, aliæ rem simplicem, et unam, significant sine *adjecto*, ut, quæ cujusque essentiam denotant, *homo*, *capra*, *lapis*, *aurum*, cujusmodi sunt pleraque nomina substantiva unius generis, quæ Quintilianus vocat *rerum nomina*, philosophorum usus, *absoluta*; alia cum *adjecto* significant, ut, quæ dicuntur *adjectiva*, quæ idem Quintilianus *apposita* nuncupat; item nomina communia, et unius generis nonnulla, quæ aliquid affingunt substantiæ, velut, *magister*, *dominus*, *pater*, *dives*, *pauper*, *consul*, *judex*, *appellationes* nominantur.

Absoluta.

Concretum. *Substantia* uniuscujusque eorum vocatur *concretum*, velut, in patre *homo*, in albo *res ipsa cui albor est affixus*; quod non est ex se tale, neque enim *homo* est ex se *consul*, id est, ex hominis essentia, nec *charta* ex chartæ essentiæ *candida*; *abstractum* est, unde fit tale, ut, *consul* ex illo magistratu, *candidus* ex candore; idcirco negant *candorem dici candidum*, et *virorem viridem*; quod sane ita est; nisi cum magnitudo qualitatis significatur; ut, *viridissimus est in smaragdo viror*; et, *hic viror viridior, aut minus viridis, quam ille*. Ex vocibus, sive significativæ sint, sive consignificativæ, aliæ, *res* significant, aliæ rerum sunt *vocabula*, hoc est, aliæ sunt *rerum nomina*, aliæ *nominum nomina*; nihil quidem est quod non sit res, sed hic ego rem a vocibus distinguo, sicut apud Horatium, (1)

Abstractum.

Verbaque provisam rem non invita sequentur;

nec solum quæ aliquid, vel aliquas res, designant, sed quæ modum dicunt rebus innitentem, rem significare dico in præsentia, quemadmodum inhærens voco rem; vocum nomina sunt quæ nihil aliud quam voces significant, non quatenus sunt voces tantum aut scripturæ, sed quatenus illæ aliquid significant; hujus sunt generis ea quæ in tribus de sermone artibus tractantur, *nomen*, *verbum*, *inflexio*, *longa syllaba*, *brevi syllaba*; *tronus*

(1) In Arte Poetica vers. 322.

pus, *schema*, *metaphora*; *enuntiatio*, *sylogismus*, *enthymema*: illa quæ rem notant, appellantur *prime rationis*, sive *intentionis*, sive (ut Capella et Boethus loquuntur) *impositionis*, vel *positionis*, hæc altera, *secunde*.

Primæ intentionis.

Secundæ intentionis.

Sunt voces quæ *unum tantum* significant, vel *plura ut unum*; unum significat *Socrates*, hic filius Sophronisci, plura significat *populus*, plura quidem *homo*, *animal*, sed *ut unum*; quod fit dupliciter, ut illa omnia *unum* efficiant tamquam corpus conjunctione aut congregatione, ut in *acervo* et *civitate*, vel *unum*, ut una sit impositio, unus intellectus, et ratio omnium in illa congruentia, et quasi similitudine; sic *homo Socratem*, et *Platonem* eadem hominis ratione, quoniam uterque est animal rationabile, *animal bovem*, et *equum*, quæ unum sunt in una ratione animalis, nempe in substantia sentiente; hæc vocant *univoca*, sive *certa*, sive *definita*: aliæ significant *plura* diversis rationibus, causis, impositionibus, quæ dicuntur *equivoca*, sive *plurivoca*, et *ambigua*, ut, *taurus bovem marem*, et *montem*, diversissima ratione, *asina feminam asini*, et *illum ex gente Cornelia*; sunt qui *ambigua* hæc a *casu* dicant appellari, quod ea velut casus quidam traduxit ad illam alteram significationem, non prima et naturalis nominis impositio, atque attributio significationis, ut *taurus Romæ bovem* significabat primum, postea *montem illum Asiæ*, fortasse postquam L. Scipio Romana arma illuc tulit, *asina* prius significabat *asinum feminam*, *Cornelium* vero *illum*, non priusquam is *asinam* duxit in forum *ere onustam* pro dore filia: quæ nota aliqua distinguuntur, *equivoca* non sunt, ut prolatione, scriptione, genere, numero.

Univoca.

Equivoca.

Sunt quæ gradu aliquo transeunt ad res etiam alias signandas, ideo *metaphora* nominatur, sive *translatio*, in qua semper inesse oportet aliquid transitum præbens, nempe rerum quandam inter se conformitatem, aut proportionem, quæ Græce *analogia* vocatur, ideo et hoc *analogum* appellemus, quasi *proportionale*; ut, *ferreus* de eo dicitur quod ferro constat, sed propter *duritiam* de quibusdam animis, *caro* et *os* de animali, at illa similitudo quædam ad *olivam*, et *prunum*, et *cerasum* traduxit; quod si *marinus canis* propterea sic vocatur, quod similitudinem

Metaphora.

Analogum.

nem habeat hujus nostri, *analogum* erit, non *plurivocum*, nihilo
 Ambiguum. secius utrunque est *ambiguum*: tenenda est hæc regula: *quod in*
 Regula. *proposito non est ambiguum, non est habendum pro ambiguo*, ut, si
 quis quærat, ex quibus elementis constat *mundus*, aut quomo-
 do periturus sit? nihil attinet adferre aliquid de *mundo muliebri*,
 aut de *Duce illo Justiniani Augusti*, vel de *elementis litterarum*.
 Simplex. Voces simplices sunt octo orationis partes, aut quæ pro una
 aliqua sumuntur, ut, *paterfamilias οἰκοδευόντης*; *magister populi, dic-*
tator; linguæ inopia, non solum in nostra, sed in Græca etiam,
 Composita. quibus magis et diutius licuit fingere; *compositæ* sive *complexæ*
 voces sunt, duæ, aut tres, aut plures orationis partes, vel vin-
 culo colligatæ, ut, *Valdaura et Maluenda, ego cum Joannio, af-*
fectus est tempestas, vel congruentia adjunctæ, et applicatæ, ut
substantivum et appositum, vel *duo substantiva in eodem casu apposi-*
tivi, vel *diversis* ratione quadam grammaticæ structuræ, velut
possessionis, aut ejusmodi, *nomen et verbum, adverbium et nomen,*
 vel *verbum, vel participium, interjectio*, et id quo affectus ten-
 dit, ut, *ὄ factum bene*; nam ista, *Socrates per et cum*, nihil sunt,
 nec simplices voces, nec compositæ: hæc crassius sint a nobis
 proposita, magis ut intelligantur tamquam fundamenta rudium
 quàm ut subtiliter examinentur, sed nec sunt accurate exigenda
 quæ fere sunt primæ institutionis, et quorum dominus est usus
 populi.

DE ENUNTIATIONE.

EX compositis vocibus, aliæ imperfectum reddunt sensum,
 et quasi suspensum, in quo desideretur aliquid, ut, *ho-*
mo in campo, Socrates et Joannes, hominem amare, aliæ perfec-
 tum, et acquiescit qui audit, ut, *Petre lege*; quæ orationes no-
 minantur, et si non omnes orationes expletum habent sensum,
 ut, *si veneris*: *an tu disputas*? Ex perfectis atque absolutis, quæ
 sunt de *indicativo modo*, id est, quæ significant aliquid esse, fuis-
 se, fore, ad hoc nostrum institutum pertinent, in eis enim est
 hoc, quod quærimus, *verum vel falsum*; ideo *indicativus modus*,
 et *demonstrativus*, et *narrativus* nuncupatur, a Græcis vero *ὀρισ-*
τικός, quasi *definitivus*, et a Quintil. *fatendi modus*, quum aliquid
 di-

dicat, ac demonstret quemadmodum sit, erit, aut fuit: hæc
 orationes multis nominibus signantur; ab Aristotele *ἀποφάνσεις*,
 id est, *pronuntiationes*, sive *pronuntiata*, sive *prologia*, ab aliis *ἐπα-*
γγέλλειαι, quasi *enuntiationes*, est enim *ἐπαγγέλλειν, declarare, enun-*
tiare, aperire, ab Stoicis *ἐξιόματα*, quod Cicero *effata* vertit: sunt
 Enuntiation- nonnullæ *enuntiationes*, in quibus etiam si sit alius modus quàm
 nes. *indicativus*, tamen is intelligitur, ut, *vellem prandere*, hoc est,
volo; et modum *subjunctivum* pro *indicativo* poni, et tempora
 illius pro temporibus hujus, id vero ludi est grammatici; im-
 pediuntur interdum hæc *pronuntiationes*, quæ sunt *indicativi*, ali-
 qua adjectione quæ sententiam suspendit, quemadmodum de
 orationibus diximus, ut, *quum tu hæc dices*: et interrogationes
 fere quamvis sunt in eis quædam quæ perfectum sensum obti-
 nent, ut, apud oratores, quum non tam rogandi causa fiunt
 quàm urgendi: *an est aliquis seditioso sceleratior? quis est homo qui*
vult vitam, diligit videre dies bonos? Sunt *enuntiationum* quædam
 genera implicita, et clausa, quæ ex priorum sensu patefiunt:
 ut, *superbia invidiam parit, et contra: ego semel huc veni, atque*
iterum: de quibus non aliter censendum quàm si essent ex-
 plicatæ.

Quæ unum verbum habent *indicativi* nominantur *categoricæ*, *Categoricæ*,
 quasi *predicativæ*, nam *κατηγορεῖν* dicunt Græci, *aliquid de aliquo*
enuntiare, seu *dici*; a nobis *enuntiativæ* nominantur, seu *simpli-*
ces; quæ vero duo, vel plura habent verba, vel *indicativi*, vel
subjunctivi, aliquo vinculo connexa, vocentur *compositæ*, seu
conjunctæ: in *categoricæ* duo sunt termini, quæ Aristoteles *ἐκπε-*
vocat, hoc est, *extrema*, id quod de aliquo dicitur, seu enun-
 tiatur, et id de quo enuntiat; hoc nuncupatur *subjectum*, il-
 lud *predicatum*; *predicatum* dicitur, quoniam, sicuti modo ad-
 monui, *predicare* appellant Græci *κατηγορεῖν*, *subjectum* vero est, *Subjectum*,
 quod alteri subjacet, cui alterum superponitur, nam id est *sub-*
jectum in enuntiatione, cui ratio significatus *predicati* innititur, *Prædicatum*,
 aut attribuitur per affirmationem, vel negationem, ut, *judex*
sedet, non sedet: diligitur, non diligitur: ita *subjectum*, ceu *mate-*
ria est et fundamentum *predicati*, velut *accidentis*; quicquid re-
 liquum fit in enuntiatione dempto *subjecto*, *predicatum* esse magnis
 ar-

artis hujus auctoribus placuit, ut, *Socrates disputat bene mane in Academia deambulans*, præter *Socratem* reliquum totum esse prædicatum: sed sunt *effata* quædam, in quibus idem semper est *subjectum*, quomodocunque vertantur, ut, *voluptas est perniciosa*, aliæ, in quibus variari potest situ, ut, *titillatio est vitium*, non *omnis homo est animal*, non *omne animal est homo*: simplicius fuerit, et huic proposito aptius, *subjectum* diffinire, cui *aliquid tribui*, aut *tolli*, significatur, quod a nobis *objectum* nominetur; prædicatum vero, quod alicui applicatur, aut tollitur, quod sit sane

Objectum.

Dictum.

dictum, neque enim minus non esse animal dicitur de lapide, quam esse animal de homine; at interdum idem dicitur de eodem: *Socrates et Socrates*, *gladius est ensis*: nonnunquam par de pari, ut, *homo est animal rationale*: aliàs superius de inferiore, ut, *homo est videns*: aliàs contra, ut, *animal aliquod est homo*, non *omne animal est homo*: vel inhærens de subjecto: *Socrates est fuscus*, *parsimonia est utilissima*: vel diversum de diverso: *Socrates est Plato*, *homo est equus*: omnis vox quæ vergit ad dictum, pars est dicti, quæ ab *objectum*, *objecti*: ut, *lusus et magistratus sunt coticula*.

Sunt voces quæ aliis adhærent, non conjunctione, aut nodo, sed quadratione, et congruentia, sicut *obliquus recto*, *appositum substantivo*, *adverbium alii parti*, quæ *determinationes* nominantur, sive *affectiones*, quasi *limitationes* quædam, et *moderationes* eorum, quibus adiunguntur, quæ vires suas varie exercent; nam aliæ astringunt, ut, *liber Platonis*, *aliquis equus*, *hic equus*; aliæ laxant, *omnis homo semper disputat*, *possibile*, et ejusmodi; aliæ avertunt a perfectione naturæ ad diversum, *hic homo vivit vitam stirpis*; partim fere mutant, *militaris clementia*; sunt quæ explicant nomen, *canis cælestis*; sunt quæ rem, hoc est, rei essentiam, *rationalis homo*, *mortalis homo*; quædam inhærentia declarant, *male suada fames*, et *turpis egestas*; nonnulla tollunt penitus, velut, *homo depictus in tabula*; quæ affectio dicitur distrahens, *vita saxi*, *fere omnis*; non enim est omnis: in partem dicti accedit verbum; in quo sunt duo; *conjungendi vis*, et *tempus*; in *priore*, sunt *affirmatio*, et *negatio*, quæ ad modum et connexionem *verbi* pertinent; et sunt velut *nexio*, et *dissolutio*;

Determina-
tiones.In verbo
quæ.

Affirmativo

Negativo.

quæ

quæ *adesse* aliquid significat, *affirmat*; quæ *aufert*, *negat*; hæc appellatur *enuntiatio negativa*, illa *affirmativa*; Boëthius *affirmationem* et *negationem* nuncupat; Cicero *enuntiationem agentem*, et *negantem*, *affirmantiam*, et *negantiam*, *Capella dedicativam*, et *abdicativam*; nec est necesse *negationem* exprimi, satis est clusam intelligi: ut, *arrogans est alius a sapiente*, *bonoque*: *rixosus distat a philosopho*: sunt *mistæ qualitatis*, ut, *Socrates aliter disputat quam Plato*: *Socrates omnibus præterquam pecunia abundabat*: *tantum habeo Titum mecum*: *careo pecunia*: quibus aliquid significatur esse, aliquid non esse; ad *tempus* pertinent *adverbia temporis*, aut *nomina* per quæ *tempus* designatur, ut, *jam*, *nunc*, *cras*, *nunquam*, *longo tempore*, *hoc die*, *necessario*, *possibile*, *impossibile*; nam illa, *prætor nunc*, *cras erit consul*: *victor jam postea vincetur*: *verbum* habent in se *latens*: *qui nunc est prætor*, *qui nunc est victor*: etiam si dicas, *iste victor aliquando fuit victus*, et *sedentem possibile est ambulare*; in quo *geminus* esse potest *sensus*, aut *totius*, ut, quod hæc sit *possibilis*, *sedens ambulat*, tunc unum est *tempus*; aut *partium*, in quo duo sunt *tempora*, nempe, *quod potest sedere*, *potest etiam ambulare*; prius *Aristoteles* dicit *componere*, posterius *dividere*.

Composita.
Divisa.

Sunt *tempora* quæ *habitum* significant, vel quæ, loquendi consuetudine, aliorum referenda sunt quam ad ipsum *tempus verbi*: *iste pingit*: *actus est*; *iste bene pingit*: *moris et consuetudinis*; ut, *iste jus dicit in hoc populo*; *iste pingit hanc tabulam*, *rosa est flos*, intelliguntur quum *rosa est*, et quum *tabula pingitur*; in quo facile est *cavillari*, sed per *lusum* et *argutias*: qui loquitur, et qui audit, multo secus intelligit: ut, si quis *dormientem* roget, *tu dormis?* is ait *se dormire*: et qui dicit, *bona est voluptas*, et addit, *ego mentior*, de alio sentit *tempore*; sicut in quibusdam *verbis* quæ *voce* ejusdem sunt *temporis*, *re* non sunt; *Socrates ubi libenter vixit*, *ibi est mortuus*: in quo *loco* *hic prandet*, *in eodem cenat*: *idem solum et frumenta profert*, et *legumina*: *eadem manus morbum et medicinam dabit*; de variis *temporibus* dicuntur; quemadmodum non est unum *tempus*, si dixerō, *nudiustertius emi ades meas*, non enim erant *meæ* quum *emerem*, sed quæ nunc sunt *meæ*; itaque ad *communem intel-*

telligentiam sunt hæc referenda, nam de sermone omni non possunt in universum perpetuæ tradi formulæ, ut qui non ea quæ naturalia sunt sequitur, sed quæ voluntaria, et varii ac subinde mutabilis iudicii: quicquid in pronuntiatione ponitur aut sumitur pro uno certo tantum ut pro alio non possit, aut pro multis tamquam uno, ut quæ sunt propria ex se, vel quæ nota aliqua proprietatis signantur, *Socrates, hic homo, hi homines, isti homines, nunc, hic*, ea reddunt *effatum* singulare, seu certum; sunt alia, quæ ita pro uno sumuntur ut pro alio sumi possint, aut quæ pro multis sumuntur disjunctione, ut, *aliquis homo, nempe, hic, vel ille, vel alius*, aut pro unoquoque sui significatus; illa *particularem enuntiationem* efficiunt, sive *specialem*, hæc *universalem*; in plurali ad eundem modum; *aliqui homines, omnes homines*; in illa pro aliquibus capitur ut distinctis disjunctione, *isti, vel illi*; in hac pro omnibus, *et isti, et illi*; *miste* sunt quæ simul istorum habent aliqua.

Quæ vero sint *universalitatis, singularitatis, particularitatis* notæ, non est dialectici definire, sicut nec quæ *negationis*, sed usus, et ejus artis, quæ in hoc usum observat, ea si qua est, sit grammatica: exempla horum omnium sunt, quo res fiat notior, ut singulares dicantur hæc: *Socrates disputat, hic homo docet*; universales hæc: *omnis homo docet, nemo docet, nemo non docet, quis non docet?* Nam quum dico, *nemo docet*, homo pro omnibus hominibus accipitur, non minus quàm in hac, *quisque docet*: sunt quædam *enuntiationes*, quæ quum faciem habeant *universalitatis*, ad aliud potius genus ex sensu referuntur, ut, *cuncti simul ore fremebant*, quæ *collectiva* dicitur, et non aliter est singularis, quam si quis enuntiet, *isti omnes simul*: est et aliud *universalitatis* genus, quod appellari *convenientiæ* potest, id est, ejus quod convenit, expedit, par est, necessarium est, et hujusmodi; exempla hujus sunt multa; ut apud M. Tullium, *Omnia tua causa volo, omnia profecta sunt abs te in me*, et in Exodo dicit Dominus Moysi, *Ostendam tibi omne bonum*, tum in Evangelio, *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem*: est etiam alia *universalitas reflexa*, ut, *Aristoteles omnia diligenter scripsit*, nempe, quæ scripsit, Vergilius,

—*Ipsaque tellus*

Omnia liberius nullo poscente ferebat, (1)

Scilicet, quæ ferebat omnia: est et quædam imperfecta, quum pro pluribus aut plerisque abutimur; Cicero pro Sextio: *Letitiam pau corum, luctum omnium: Particulares sunt, aliquis homo disputat, non disputat*, nam, *quidam homo disputat*, si quis velit in singularibus reponere, cum hoc non admodum contendam.

Infinite sunt, quæ ex se nulla nota attributæ sunt alicui generi, homo disputat, *Athenienses pugnans, Romani hanc urbem condiderunt*, quæ ex sensu transire vel ad *universales* possunt: *virtus est bonum*; vel ad *singulares*: homo adest: de aliquo prius locutus; vel ad *particulares*: *Achivi hic occultantur, homines habitant sub æquinotiali, dolus latet sub hoc verbo*: in quibus vero *universalitas* et *singularitas* insunt, vel qua alia, *miste* nominantur; utique ex se, nam aliis, sic spectantibus, *universales* fiunt, aliis, secus, *singulares*, aut *speciales*; ut, si quis dicat, *Socrates semper deambulat in academia*, alius Socratem modo considerabit, huic fiet certa, et dicet: cur singulariter ais hoc de Socrate, et non item de Glauco, vel Hippia? alius illud semper, et respondebit *universaliter*, istuc quidem ne dixeris, an nunquam sedet? ad eundem modum in his: *hic homo possidet asinum, Socrates habet aliquot discipulos*: *Composita* enuntiatio est *plures simplices*, vel aliquo vinculo, vel per se ipsas apte connexæ; ut, *fortuna, et dominos facit insolentes, et servos meticulosos*; interdum ratio conjunctionis in proprietate linguæ postulat alium modum a *narrativo*, nec tamen non continuo est conjuncta, sive *composita*, nam in his sola spectatur connexionis ratio, ut, *si equus haberet alas, volaret; tu es adeo eruditus, ut Aristotelem superes, nam indocti dicunt quod Aristotelem superas*; idem tamen quod nos intelligunt, et nos quod illi, sed hoc nostrum est secundum linguæ proprietatem; multa etiam per *indicativum* Græci efferunt, quæ nos per *subjunctivum*, et illi per *infinitivum*, quæ nos per *subjunctivum*, aut *imperativum*; omnia conjunctionum genera, quæ

Tom. III.

V

a

(1) Georg. lib. 1. vers. 127.

a Grammaticis *diversis* earum nominantur, his sunt apta; *con-*
junctivæ, disjunctivæ, illativæ, adversativæ, approbativæ, et cau-
sales, quæ ex ludo sunt litterario; tum quædam adverbiorum
formæ, ut temporis, *quum, quando*; loci, *ubi*; similitudinis, *ita,*
adeo, sicut; comparationis, *hoc, quo, quanto, tanto, tam, quàm;*
et in ablativis absolutis, quæ fere tempus significant, *Stulto*
regnante sapientes affliguntur, et per *quàm*, ut, *magis currit quàm*
deambulat; adde his, relativum *quis*; sine copula sunt apte ap-
plicata, *bona ingenia pudor debilitat, mala confirmat audacia: optare*
quæ libeat, potes, consequi quæ libeat, non potes: pauperi desunt mul-
ta, avaro omnia, quibus vetustatis gratia vinculum demitur: in
his, non aliter quam in simplicibus, negatio in *nodum* incum-
bit, id est, in *copulam*, non in partes; *non et, non vel, non si,*
vel *certe*, significatur incumbere; Cicero post *nodum* transtulit
primo de Divinatione: *Si non significant, nullas dant vias: pro,*
non significant, nullas dant vias.

Omittitur interdum *consequens* per figuram Græcam, et po-
tissimum *Attricam*, ut apud Thucydidem, et alios, quod nos-
tri quoque sunt imitati, ut Cicero in tertio de Oratore: *negatio*
et affirmatio pugnant inter se, sed ex ratione *quantitatis*, ut
universalitas cum universalitate, omnis homo legit, nullus homo legit,
vel *universalitas cum particularitate, aut singularitate, omnis homo*
legit, aliquis non legit, Socrates non legit, et singulares, Socrates
disputat, non disputat, et inter se mistæ, Socrates semper disputat,
nunquam disputat, aliquando non disputat, nunc non disputat; *quum*
singulares sunt, aut quicquid in una erat *universalitas*, fit in
altera *particularitas*, vel *singularitas*, aut e contrario, vocatur
contradictio; et si has quoque *contrarias* appellat Cicero in libel-
lo de Fato; sed nos aptius ad artem distinximus; quum vero
universalitas in utraque remanet, *contrarietas*, seu *adversitas*: in
compositis pronuntiatis affirmatio et negatio ad *divinctionem* spec-
tat, non ad *verba*, unde censetur eis *oppositio*; *conjunctivæ uni-*
versalitem quandam videntur præ se ferre, *disjunctivæ particu-*
laritatem: justitia est virtus, et fraus est scelus; non est virtus jus-
titia, vel nulla fraus est scelus, contradictorie: si remanet conjunc-
tio et, fiunt adversæ, ut, justitia est virtus, et fraus scelus; non est

Vir-

virtus justitia, neque ulla fraus est scelus: quæcunque ad ratio-
nem conjunctivarum se applicant, universalitatem participant, quæ
disjunctivarum, particularitatem: regula est generalis in Latina Regula.
lingua, contradictiones in omni genere enuntiationum proprias, ac ger-
manas, fieri præpositione negationis, aut si fuerit præposita, subtrac-
tionem, modo herere possit commode: in Græca, et aliis; tametsi ex
proprietas sua repugnet lingua, sensu tamen idem fit.

DE CENSURA VERI ET FALSI.

CENSERE quæ enuntiatio vera sit, quæ falsa, id nullius
est *artis certæ*, sed *uniuscujusque* in sua materia; et in iis
quæ sunt vitæ communis, *vir prudentis*, multum in negotiis,
et usu rerum versati, quique communem sensum atque intelli-
gentiam acute animadvertit; *instrumentum* tamen hic trademus,
quo quisque in sua arte, rebus tamen præcognitis, verum et
falsum in *pronuntiatis* inquirat: vera *pronuntiatio* est, quæ enun-
tiat id quod re ipsa ita est; falsa, quæ id quod non ita est:
vera est, *Deus est omnipotens, Adam fuit, Christus judicabit ho-*
mines; non est quidem Adam, sed verum est fuisse, et hæc,
Adam fuit, ita significat sicut est, nempe, *illum fuisse: ad ver-*
um et falsum multa consequuntur, alia ex re, alia ex nobis;
in re sunt, immutabilia, in quibus necessaria, et possibilia, si-
cut in prioribus, contingentia, solita, rara, crebra; possibilia
fusa sunt per omnia, magis tamen vergunt ad mutabilia; quam-
vis necessarium non est simplex, ut nec possibile: necessarium
quod oportet fieri, ut, *necesse est esurientem comedere, et parère*
legibus, vel quod fieri aliter nequit, sive immutabili rei essen-
tia, sive inevitabili aliqua vi, ut, homini moriendum esse; possi-
bile est, quod legibus licet, quod est commodum, quod concessum,
permissum, potest etiam fieri quicquid natura rei non repugnat; ex
verbis autem, alia sunt certa, alia incerta, absurda, incredibili-
lia, scita, ignorata, dubitata, et ejusmodi: proposita enuntia-
tione videndum est, num quid sit ambigui, sive in verbo plu-
rivoco, ut, *canis est animal, sive in connexionem vocum, ut, ajo*
te Æacida Romanos vincere posse; hoc statim distinguendum, quod

Enuntiatio
vera.

Necessarium.

Possibile.

Pugnæ enun-
tiationum.Contradic-
tio.Contrarie-
tas.

Regulæ de
vero.

Prima.

nullius est artis, quemadmodum de vero et falso dixi, sed cujusque in suis, vel prudentis in communione vitæ; explicanda etiam ea, quæ diximus implicita, ut, *iterum, contra*, et ejusmodi: *curris?* non; tum verum falsumque inquirendum ex quantitate, ex qualitate, ex copula, et affectionibus: prima formula: *Omnia, quæ sub universalitate comprehenduntur, veram eam reddunt, si ei, quod enuntiatur, quomodo enuntiatur congruant; unum aliquid si non congruat, fit falsa.*

Si quis ab *universalitate* ad *singularia* rem deducat, *descendere* dicitur; sin a *singularibus* ad *universalitatem*, *ascendere*; hoc ad *astruendam universalitatem* valet, illud ad *infirmendam*: videndum ut *singularia* vere sint illius *universalis*, *contemplandum tempus*, et *moderationes*, et *conjunctæ* sumantur *conjunctivæ*: in *ascensu*, et *descensu*, *universalitatis* omnia comprehendendi est necesse ad verum *astruendum*, aut *putari* aliqua generali clausula comprehensa, utpote, *sic in ceteris, nec est reperire quidnam obstat, in contrarium non est observatum*, aut quid simile; in *descensu* unum sufficit ad *dissolvendum*; tanto scilicet *facilius destruere* quam *construere*, *lædere* quam *juvare*, ut non sit *magis* viri posse *officere*, sed *prodesse*; est quum, uno aut altero *inducto*, *universalitatem* subjicimus, rati illa pro omnibus *sufficere*, quod *exemplis* agitur, more *Socratico*, ea quæ dicitur *ἡ ἀρετή*: *ad navem regendam non adhibetur nisi peritissimus, ad scholam, aut ad equum; ergo nec ad rempublicam administrandam asciscendus est nisi peritissimus*: id genus *inductionis* latentem habet *universalitatem*, hoc modo: *ad equum, ad navem, ad scholam, nec est invenire in contrarium aliquid, ergo ad omnia: si ad omnia, et ad rempublicam*; absurdum enim sit *negare* quod ad hoc *solum*, quum ad alia omnia *conveniat*, præsertim quod de *copula* est *controversia*, ut tantummodo videatur *negasse temporis causa*, non *veritatis*: quod si cui *parum placet*, sit sane *inductio non universalitatis, sed similitudinis, et exemplorum* Secunda formula: *Particularitatem una singularitas pro ea confirmat, omnes contra eam infirmant; et sicut in universalitate usi sumus conjunctivæ, quæ naturam obtinet universalitatis, sic in particulari utemur disjunctivâ consimilis ingenii.*

Secunda.

Sed

Sed est *animadvertendum* inveniri in *particularitate* *acceptiones* duas, hanc *certam*, illam *incertam*; *certa* est, quum sub nulla *delitescit*, nec ad aliam *refertur*, ut alicui uni certo possit *congruere* quod est *effatum*, ut, *orator aliquis hæc scripsit; incerta* est, quum sub alio *delitescit*, nec de uno aliquo est *sensus*, nempe, quum sub *universalitate* significabatur *claudi*, ut ad *singula* illius *universalitatis* *referatur*, non ad *totam*; hæc *junioribus suppositio confusa* nuncupatur, quæ sic est *Ciceroni* *exposita* in libro quinto de *Finibus bonorum ac malorum*: quum dicimus, *omnibus animalibus extremum esse, secundum naturam vivere*, non ita *accipiendum* est, quasi dicamus, *unum esse omnium extremum*, sed ut *omnium artium* recte dici potest *commune esse ut in aliqua scientia versentur, scientiam autem suam cujusque artis esse, sic animalium commune, secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis*: sic ille: *fit etiam incerta*, ut, *hoc pane est opus ad edendum*; neque enim hoc, aut illo, si modo opus esse id dicitur, sine quo nequit fieri; *solus homo novit religionem*; non solus hic, aut ille; sed hæc *perinde* est ac si dicas, *quicquid novit religionem est homo*, sicut in illa, *quisquis edit, panem edit*; tum, *Romæ ac Sparta consilium publicum est senatus*, et in *pervulgato exemplo, Parisiis et Romæ venditur piper*; quia τὸ et *universalitas quædam* est, sicut τὸ *utrobique*: hæc vero, sive *incerta*, sive *confusa*, *attingenda* non est, quoad *collatio illa universalitatis in singularitatem, aut particularitatem* sit *resoluta*.

Suppositio
confusa.

Tertia formula: *Singulare unum probat suum commune particulare, non contra; particulare inferius probat suum superius item particulare, sed retrorsus non idem valet; universale superius probat singulare, et inferius tam particulare quam universale*: quantum ad *copulam* in *pronuntiato simplici* attinet, tria sunt tempora, *præsens, præteritum, futurum*, quæ sunt *naturæ tempora*, et in hæc *reducuntur artis tempora*, sive *Latinæ linguæ, seu Græcæ; præteritum imperfectum* significat non fuisse aliquid *absolutum*, quum aliud fieret, aut esset *factum, præteritum plusquam perfectum* significat fuisse *absolutum*; sunt et duo *futura, perfectum,*

Tertia.

Tria tempo-
ra.

at-

atque imperfectum; legam, legero; sunt quædam tempora vel consuetudinis ac frequentie, vel conditionis, ut aliàs admonui, iste pingit, iste docet pueros hujus urbis, iste jus dicit, Rosa est flos suavis odoris; alia non ad tempus, quod præ se ostendunt, referuntur, sed ad quod intelliguntur, ut si quis dicat, Cicero est infans, verum ego mentior, quæque ejusdem temporis in voce, diversi in re, esse docuimus, tum etiam historici quum narant, Scipio vincit Annibalem, Pompejus nascitur, Brugæ conduntur, intelligendum hoc tempore de quo scribo; istis quoque adduntur limitationes, quæ idem efficiunt; ut, hic bene pulsat fides, iste semper garrit; in quo est vel frequentia, vel continuatio longi temporis: possibile, quatenus pro non repugnanti sumitur, amplius est tribus temporibus, ut quicquid sit, erit, fuit, sit possibile, et quod nunquam erit, modo ne repugnet naturæ rei; cogitabile, intelligibile, opinabile, et alia de quibus potest humanus animus comminisci, etiam latiora sunt, quàm quæ fieri possunt, nam animus noster humanæ naturæ terminos excedit, unde apparet longinquiorum esse ejus originem; tempus præsens non eandem habet apud omnes latitudinem: Deo tota aternitas est præsens, et quo quis est propinquior illi naturæ, hoc ejus animus capacior est temporis: aliæ res fluunt, aliæ manent; quæ fluunt non aliter sunt, quàm quum fiunt, quæ vero manent et fiunt paulatim, quum fiunt nondum sunt; illæ autem in quacunque sui parte sunt, hæc non nisi quum partes omnes habent absolutas, et conjunctas.

Enuntiationes de futuro, et de præterito, interdum significant simpliciter aliquid fuisse in præterito tempore, aut futurum in venturo, nonnunquam etiam, ex loquendi ratione, denotant jam non esse, aut nondum esse, ut, fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Dardanidum, et campos ubi Troja fuit, et quod Cicero de occisis conjuratis dixit, fuerunt; in prioribus datur formula: de futuro vera est enuntiatio, si aliquando verum erit in presenti, sin aliter, falsa: in posterioribus non solum idem requiritur, sed negatio etiam hujus præsentis; tales solent esse de rebus fluxis, ut, hæc hora fuit, ille annus erit, de quibus, si sint, solemus respondere, fuit vero? immo est: erit vero? immo est:

quæ

quæ sunt de præterito plusquàm perfecto, et imperfecto, ad præsens reducuntur, cum collatione alterius temporis explicato et signato, quo ad existentiam reducto, reducitur posterius: quum ego veni, tu legebas: in a tempore veni, in a tempore legebas: nam in a vera erat, tu legis: quum veniebam, tu legebas: in a veniebam, in a legebas: quum veniebam, tu legeras: in a veniebam, et ante a legisti: in narrationibus utimur crebro præteritis imperfectis, propterea quòd omnia velut in cursu quodam ostendimus, et tamquam fierent, nondum consummata, quippe, ad illud tempus referuntur, de quo verba facimus: Futurum perfectum reducitur ad præteritum ejus temporis quod signatur: quum venies, jam cænavero; in a venies; in eo jam hæc erit vera, ego sum cænavatus: de possibili, ut si ponatur inesse, nihil sequatur repugnans ei cui est possibile, nempe Deo, naturæ, homini, et ejusmodi: de intelligibili, humanam mentem sic concipere: sed providendum, ne in explicando tempore fallamur, ut quod confusum est tempus, ante universalitatem dissolutam explicetur: Omnes Cæsares fuerunt Romæ: non enim sic ad præsens reducetur: Omnes Cæsares sunt Romæ: sicut in hac: Augustus et Vespasianus fuerunt boni Principes: nam conjunctionem, et, universalitatem quandam diximus comprehendere: eodem modo plurativa quæ tò et includunt: Catones fuerunt viri sapientes.

Sunt in quibus varia (sicut dixi) includuntur tempora; quod est animadvertendum, nam quum sic effamur: heri emi ædes meas, heri scribebam hoc opus, hic victor aliquando erit victus: duo sunt tempora, præsens in eo, hic victor, aut certe antèrius, futurum aut posterius in illo, erit: ita ergo redigetur: qui aliquando vicit, nunc est victus, ut quum futurum illud posterius sit præsens, jam præterierit illud prius: eundem in modum quando enuntiamus, album possibile est esse nigrum, duo sunt tempora; et, iste dux est sapientior Pyrrho, quàm Pyrrhus fuit: ex qua pendent hæc, atque hujus notæ, Scipio fuit omnium, quos unquam Romæ genuit, continentissimus Imperator; sic in aliis, de quibus communis sensus nos docebit: sunt quæ facilius censentur sine reductione, quàm reductæ, ut illæ de præterito imperfecto, et plusquàm perfecto, et futuro absoluto; tum etiam quum quid

quid additur, *iste aliquando studebat, bene pingebat, olim erat doctus, statim veniet, diu fuit in magistratu*; sed tamen, ut *reducantur*, spectandum tempus quo quicquid refertur; considerandum hoc ex iudicio cuiusque, ut, *statim veniet*, sumamus dimidium horæ intra quod hæc sit vera, *venit; diu fuit consul*, in toto hoc tempore est consul; *affectio* necesse est apte hæreat *affecto*; nec est jam affectum expendendum simpliciter, sed sic habens: *omnis minister tyranni est crudelis*: fere omnes sic vivunt: *connotatum connotativo adjunctum abstracta* conjungit, vel ipsa, vel quæ ad ea pertinent, *non connotativa*: *bonus pictor*: non bonus homo designatur, sed bonitas pingendi; si modo hæcere possint, aut ex usu soleant, nam alioqui dissiliunt, et alio transeunt, ut, *sutor cocles*: sunt *schemata*, quæ efficiunt ut interim ad utrumque res pertineat, *mæstus poeta*, et qui mæstus est, et qui mæsta canit; *orator inflatus, orator bene pastus*, talis oratione, aut corpore; *cecidi prætorem*, vel hunc hominem, vel præturæ dignitatem, atque auctoritatem; *pictor uxorius*, vel homo uxori deditus, aut qui semper uxorem pingit, aut qui omnes mulieres similes uxori suæ, qualem novimus quendam.

In *verbis cognoscendi* idem evenire auctor est Aristoteles, ut, *cognosco venientem, cognosco consulem, video Pontificem*; est, quum cohærent, est, quum non, ceterum nos usum observamus, non facimus: *novitne illum nostrum consulem?* fieri potest ut non conjungantur *cognitio, et consulatus*, sicut, *vidisti Pontificem*: in *compositis enuntiationibus* intuentium in *conjunctionem*, in quam tota veritas *enuntiatu compositi* incumbit, aut contra, *falsum*, nam de *simplicibus* jam est dictum: ad veritatem *conjunctionis*, et *disjunctionis*, eadem sunt quæ ad *universalitatem*, et *particularitatem* necessaria; *conjunctionis veritas* omnes partes exigit veras, *falso* satis est unam esse falsam, quale est illud quod apud Quintilianum mater inquit, *Manifestum est de duobus non dixisse verum, quos de altero constat esse mentitos*; *disjunctioni* sufficit vera una *ad corroborandum*, *ad debilitandum* vero omnes oportet esse falsas; *disjunctiva sensus communis*, sic fere utitur ut non putet se utrumque confirmare quemadmodum ponit, sed alterum tantum ex dubitatione amborum, *quem video, aut frater meus*

Appellatio.

De compositione.

Disjunctiva

meus est, aut præceptor, nemo sic loqueretur, si alterum sciret verum esse, aut utrumque, nisi forte per jocum; ideo Stoici (quos secutus est Cicero in Topicis, Ciceronem Latinorum consensus) ajunt in *disjunctione* plus uno verum esse non posse; dicentis quidam ea est mens; nam quum medici sic præcipiunt, *ad febrim proficere hanc herbam, aut illam, aut fomentum, aut pilulas, aut eclegma, aut potionem hanc*, prosunt quidem omnia, sed non sentiunt adhibenda esse omnia, nec simul aliqua; verum ut dicentis ignorantia potest partes *disjunctionis* omnes falsas efficere, propterea quod non omnia ita complectitur ut nihil sit reliqui sub quo verum excludatur, sic etiam potest veras partes facere, quod non ita distinguit, quin inter se in veritate congruant, vel ex sua imperitia, vel quod interdum quoque omnia vult confirmare, sed separatim, et disjunctim; ita Stoici non ex re ipsa de veritate *disjunctionis* statuerunt, sed ex quorundam loquentium sensu: Vergilius in secundo Æneidos libro: (1)

*Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi,
Aut aliquis latet error.*

Omnia in re erant; ut, quum dicimus, *hic lepus aut sibi timet, aut soboli*; *milites semper sunt aut de suis, aut de hostium periculis solliciti*.

Proculus Jurisconsultus duo facit *disjunctivarum* genera, nempe, *disjunctivarum*, et *subdisjunctivarum*, atque has rursus in species duas partitur; primum genus ponit, quum necesse est unum verum esse, alterum falsum, ut, *dies est, aut nox*; secundum, quum potest esse utrumque falsum, non utrumque verum, ut, *homo sedet, vel deambulat*; tertium, quum utrumque verum, non utrumque falsum, ut, *omne animal agit, aut patitur*; quæ sunt in libro quinquagesimo Pandectarum juris Romani; ad *conditionalem* exigitur, ut *posita conditione* ponatur id quod ex *conditione*.

Tom. III.

X

tio-

(1) Vers. 45.

tione sequitur; nam in hac, si vis verum dicere, hoc vinum est generosum, perinde est ac si quis enuntiet, si vis verum dicere, fateberis hoc vinum esse generosum, aut aliquid ejusmodi; ad rationalem, ut quod sequitur, tamquam ex ratione videatur inferri a proposito; causalis, non est unius generis, et simplex, siquidem et omnia genera causarum continet, et effectus, et signa, denique fusa est per omnia genera argumentorum; temporales, ad tempus, locales, ad locum explicatum referuntur; relativa sunt duplicia, adstricta, et simplicia sive in genere; adstricta sunt quæ referunt antecedens cum eo quod de illo est dictum, ut, aliquis homo est mutus, qui novit litteras, nempe, ille idem qui est mutus; relativa in genere seu simpliciter, ad antecedens pertinent solutum, non adstrictum limitationibus; Romanus vincit, qui se solum putat gubernandi peritissimum; non ille idem qui vincit, sed Romani: sunt quædam objecta, et dicta, quæ naturam resipiunt complexorum; fames et mora bilem ciunt; cervisia vel vinum inebriat; habes pecuniam et famem, pecuniam, vel famem: sumuntur hæc vel complexe, vel separate, aut sic, cunctim, et sigillatim; sigillatim, ut unumquodque separatim et per se; crapula et merediatio nocet valetudini; hæc nocet, et illa nocet; quod si numerus sit pluralis qui ad illos refertur, in singularitatem cum illis dissolvitur: mare et meretrix sunt magnæ voragines: est magna vorago, et est magna vorago; si complexim, non resolvuntur, sed pro uno convenit termino accipi, atque ita explorantur, an recte congruat objectum cum dicto: Anima rationalis, et caro, unus est homo; lac, et pisces, sunt venenum.

Examinatur veritas *equipollentia pronuntiatorum*; omnis universalitas par est universalitati, omnis particularitas particularitati, certa certæ, incerta incertæ, quantumcunque convertantur pronuntiata, modo iidem maneat termini, eadem significatio, et qualitas; itaque hæc recurrunt: *Nullum concretum ex elementis est immortale, nullum immortale est concretum ex elementis: aliqua virtus est sempiterna, aliquid sempiternum est virtus*; sunt aliæ *æquivalentiæ* peculiare linguæ, ut in Latina plerumque duæ negationes affirmant, *nunquam non, id est, semper*:

non.

nonnunquam, aliquando: quantum est hominum, pro omnibus; sicut in rogando; nonne pro etiam? num, pro non; sed hæc linguæ sunt propria: oppositione etiam exploratur veritas, ut contrarium contrario, album nigro; lex est, contradictorias nec veras esse posse, nec falsas, nam si omne a est b, fieri non poterit ut aliquod a non sit b, et si fiat ut aliquod a non sit b, jam fieri non poterit ut omne a sit b, quum hoc a non sit b; eodem modo necesse est Socratem esse vel non esse; et aliter esse usque eo est impossibile, ut nec humanus animus, capacissimus, capiat, et, in fingendo satis liber, possit fingere; idcirco hæc lex est præcipua, et notissima in omnibus artibus, in disciplinis, et in tota vita, estque fundamentum, et regula omnium: altera lex, adversas, seu contrarias, falsas esse posse, nunquam veras; nemo enim esse potest ubique, et nusquam, potest tamen nec ubique esse, nec nusquam.

Lex.

Lex altera.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE CENSURA VERI

IN ARGUMENTATIONE

LIBER POSTERIOR.

ARGUMENTATIO est, *connexio enuntiationum, ut prius ex posteriori sequi, et quodam modo nasci videatur, et cum eo quasi necessario coherere: homo aliquis disputat, ergo rationem exercet: prius, vocatur antecedens, ratio, argumentum, propositum; posterius, sequens, consequens, intentio, illatio; totum vero, Ciceroni est, conclusio; vulgo consequentiam dicunt: prius et posterius voco non positione, sed sensu; id quod alterum inferre intelligitur, prius est; id quod infertur, posterius; sicut quum dico esse connexionem, ut prius ex posteriori sequatur, ad nos refero, non ad rem, neque enim minus erit argumentatio, etiamsi non consequatur, ut, dies est, ergo aurora splendet, sed tamen connexio est, ut consequi existimetur, id est, quum*

X 2

ita

ita connectimus, ut videamus velle gigni, ac inferri: in hoc confectionis genere ea est conditio: ut *argumenti veritas necessario intentionem reddat veram, adhibebitur illa certissima regula de contradictoriis, ut contradictorium sequentis repugnet præcedenti, aut existant duo contradicentia simul vera, vel falsa*: sed connexio hæc rectæ fit vel ex significatione vocum, vel ex structura pronuntiationum; illa si bona est, privatim in se bona est, non perpetuo in simili; hæc vero altera quæ ex constructione nascitur, universalis est, ubique idem valet dummodo similis constructio, sive compositio, servetur, id est, similis sit nodus, et ratio colligandi; quod fit, ut sicut in una se habent inter se primum, secundum et tertium, sic in altera.

Si quis ita conjugat; *omne c possidetur ab a, b est c, ergo et b possidetur ab a*; similes sunt hæc; *b est de numero c, b est unum ex c, ergo a possidet c, et a habet c*; non tamen si quis inferat; *ergo c conculcatur ab a*; nihil enim habent commune *possidere et conculcare*; cujusmodi illud est apud Ciceronem; *ii qui in morbo sunt, sani non sunt, omnium insipientium animi in morbo sunt, omnes insipientes igitur insaniunt*; proba est conclusio, et generalis: quando non aliud sunt insipientium animi, quàm insipientes, nec insanire, quàm sanos non esse: itaque non recte occurreret, qui sic cavillaretur; *qui in morbo sunt, sani non sunt, omnium sapientum mancipia in morbo sunt, omnes sapientes igitur insaniunt*: universales argumentationes tribus constant terminis, ut mox dicetur, inter se apte collatis; privatæ autem, seu peculiar es, duobus, aut tribus, aut pluribus pronuntiat, sed non ita apte connexis; et in particularibus sunt quædam temporariæ, aliæ perpetuæ; temporariæ, quòd sic usu venit illo tempore, ut, *puerum doceo, nam filium tuum doceo; hic suscepit inimicitias cum Cesare Octaviano, ergo morietur*; ante constitutam monarchiam ita erat, postea non item: sunt aliæ perpetuæ, vel conditione, vel causa, vel rationali copula conjunctæ; conditionalium, aliæ sunt in quibus ex conditione sequitur aliud pro statu præsentis rerum, non pro natura perpetua, ut, *si veneris, colloquemur; si vis adferre pecuniam, potes, invenies me domi; si filius venisset, salutasset patrem*.

Ex

Ex natura sunt, quum quod inferri significatur, naturaliter ad alterum denotatur sequi, ac velut nasci, in quibus pro *si*, posset poni *ergo*, ut, *si homo currit, animal currit; homo currit, ergo animal currit*; istæ sunt complexionones de quibus hic loquimur, interdum rogatione ad urgendum, quod est oratorum, et poetarum, ut apud Silium, *Cur uni patriam si affligeres fas est, uni sit servare nefas?* Complexio hæc, vel de rebus sumit vires, vel de nostra intelligendi ratione, quæ nihilominus fundata est in rebus; inter res, sunt quæ alias velut pariunt, ut *causæ*; ex quibus aliæ simul sunt cum effectis rebus, veluti *sol et splendor*, aliæ præcedunt, ut *pater filium*; tum effecta sine causis esse quædam non possunt, alia possunt, de quibus in prima philosophia disseruimus; aliæ sunt res quæ alias statim subsequuntur, aut præcedunt, ut *prognostica* quæ etiam nascuntur ex causis, et *ordo rerum a natura statutus*; nonnulla non queunt, aut non debent, aut non solent esse sine aliis; unde oriuntur conjecturæ prudentum, quorum est ex iis, quæ antecesserunt, de venturis dicere; in quibus sunt *exempla*, et *comparationes*: in his omnibus bonæ conclusiones componuntur servata utriusque rei natura, ac ratione, ut, *ignis ardet, ergo fumus est; cælum rubet vespere, cras ergo erit serenum; aurora est, ante horam erit dies; sol lucet, dies est igitur; est homo, ergo habet caput, et cor, et vivit; Catilina vir factiosus, et nobilis, propter egestatem sumsit arma contra rempublicam, ergo et hic egenus, nobilis, inquieti animi, sumet; Nasica privatus occidit Gracchum seditiosum, decet ergo Ciceronem consulem occidere Catilinam conjuratorem*.

In iis, quæ mens nostra e rebus accipit, sunt signa rerum, nempe *voces*, quæ inter se collatæ, aut pares sunt, aut impares, aut oppositæ in quibus adversæ, privantes, negantes, collatæ, aversæ; in istis hoc modo inferimus: *par, et astructur par, astructum, et tollit, sublatum: est justum, ergo æquum; non est justum, nec æquum: superius distributum, asserit inferius, assertum, et destruit, destructum: nulla virtus, ergo nec justitia; omnis virtus, omnis ergo justitia: inferius assertum ponit superius non distributum, sublatum tollit etiam non distributum: homo, ergo animal; nullus homo, ergo non aliquod animal: quid, si nullus sit*

Vocum collatio.

ho-

Similis forma.

Particulares argumentationes.

homo, dicet aliquis, jam non est animal supra hominem qui nullus est, sicut homo superius non dicitur Trojanus, quum nullus est Trojanus? neque enim hic omnia conjicimus in intelligentiam, sicuti quum de significando ageremus, sed ad res maxima ex parte: hinc accipiunt vires conclusiones illæ, quæ a restricto exeunt ad laxius, ut a voce *affecteda* ad *simplicem*: est homo albus, ergo homo; est canis Socratis, ergo canis; nam moderatum angustius est soluto, nisi sit affectio ex earum ordine, quæ avertunt, aut tollunt, ut, *vita saxi*, ergo *vita*; homo pictus, ergo homo; *ferre omnia*, ergo *omnia*; sic a verbo substantivo cui aliquid additur, ad diem simplex venit, ut, *est miser*, ergo *est*, quin etiam ab omni alio verbo, nam *est* omnia capit, præter ea quæ non tam in rerum natura esse intelliguntur, quàm in potestate, aut in animo, et cogitatione nostra, ut, *significat*, *denotat*; quod genus est illud Aristotelis, *Home-rus vivit ut poeta*; et, *Aristoteles dissentit a Platone*; *Philo platonizat*, et, *Plato philonizat*; aliud est chimera, quàm Antichristus; ad mentem enim spectant hæc, non ad existentiam rerum: *relata vox*, in eo quo refertur, et *sublata* tollit relatam, et *posita* ponit, *pater est*, ergo *filius est*; non est pater, ergo nec filius; non tamen sic, *video patrem*, et *filium igitur*; in essentia enim relatam sunt, non in videndo; sic vero recte, *si ledo hunc confederatum*, *ledo et illum alterum*, nam in hoc sunt confederati.

Adversa, et *aversa*, et *privantia* magis se tollunt *posita*, quàm vel ponunt *posita*, vel tollunt *sublata*; *est album*, *est videns*, *est homo*, non ergo *nigrum*, *nec cæcum*, *nec equus*; non tamen, *si non est album*, *est nigrum*, multa enim sunt media, non est cæcus, *videns igitur*, nam catulus ante nonum diem non est cæcus, sed nec videns, lapis itidem neutrum est; si tamen sint *pugnantia absque medio*, ut, *sanum*, *ægrum*, quod dicit Aristoteles, et in *supposito jam apto*, et *congruente*, alterum confirmatum interim pugnans, ac vice versa, non est hic homo cæcus, *videns ergo*; non *æger*, *sanus igitur*; ex istis complexionibus, priores illæ quæ de rebus omnino sumuntur, nullius sunt artis certæ, sed cujusque in sua videlicet, de hac judicabit medicus, *accessio est febris*, *cor ergo palpitat plus justo*, de hac nautæ, *ludunt*

in

in sicco *fulicæ*, ergo *instat tempestas*; istæ posteriores, magis sunt dialectici, sed ita, ut id instrumentum unusquisque usurpet in sua arte; neque enim dialecticus de hac cognoscet, *triangulus omnis habet duos angulos rectis pares*, ergo *isoscheles*, nisi illam quoque cognoscat, et *isoscheles est triangulus*, quod docet geometria: distinctæ sunt hæ connexiones, et varia acceperunt nomina, *enthymemata*, *epichremata*, *ascensus*, *descensus*, *comparationes*, *exempla*, *epagogas*, *gradationem*, *soritas*, *dilemmata*, *antistrephontes*.

Enthymema quid sit, non satis convenit, sed inter plures constat esse *imperfectum syllogismum*, id est, omnia argumentationum genera quæ proposuimus, nam Rhetores quidam *argumentationem ex contrariis* vocaverunt, propterea quod, quæ ex illis fieret, esset acutissima; ita nomen commune cessit in jus unius tamquam proprium, quemadmodum *Poetam* Græci Homerum vocant, Latini Vergilium; *ἀντιρρησια* *aggressionem* sonat, non est genus argumentationis, ut videtur, sed ad ordinem pertinet, ut *in acie primani*, est enim intentio, qua aggredimur propositum thema; *ascensus* est a singularibus ad universale, *descensus* contra, sed in priore *conjunctivè* ascenditur ad universale *distributum*, *disjunctivè* ad non *distributum*, sic etiam descenditur, de quo antea memini.

Exemplum est, quo aliquid per simile probatur, *Scipio maluit exulare*, quàm *libertatem patriæ imminuere*, ergo *idem est cuius bono faciendum*, nam illa, quæ per negationem enuntiantur, similitudinis sunt, *ille non fecit*, et *tu facies?* quasi, *tibi non est faciendum*; *comparatio*, in quam frequens exemplum incurrit, fit in tertio, *Marcellus non ademit victis libertatem in bello*, et *tu adimes in pace?* aut a majore, aut a minore, aut a pari, et *non feretis vos exiguas contumelias propter Christum*, *cujus gratia martyres profuderunt sanguinem et vitam?* et *multi sola prudentia fulti affectiones suas habuerunt in sua potestate*, non *habebit vir sapientiæ assectator?* *Socrates philosophus injurias dissimulavit*, *idem te decet facere philosophum*; *epagoge*, sive *inductio*, et *ascensum* et *exempla* capit, Socrates est in ea multus, tum artes omnes sunt sic inventæ, ex singularibus experimentis, quæ sensus ostenderunt, collecta artis regula mentis artificio, etsi non raro etiam singularia illa ad solum ani-

Enthymema

Epichrema

Ascensus.
Descensus.

Exemplum.

Comparatio

Inductio.

animum pertinent; Socrates ad aliquid probandum multa similia conferebat, ut quum in illis esset *datum*, puderet non dare in eo, de quo agebatur, quum versaretur illud in controversia; Rodolphus Agricola *ascensum enumerationem*, ἐπαγωγήν *inductionem* vocat, quia ex aliquot inducitur auditor ad credendum, itaque *epagoge* est similitum *enumeratio partium*, quæ per *collationem* eo pervenit quo intendit.

Gradatio.

Gradatio, quum multa sic sumuntur, ut ex primo inferatur secundum, ex secundo tertium, atque ita quocunque alio numero, quod *Diophantus vult, mater vult*; quod *mater, Themistocles, populus Atheniensis*; ergo quod *puer Diophantus, et populus Atheniensis*; Cicero primo de Legibus; quibus *ratio a natura data est, eisdem et recta ratio data est, ergo lex quæ est recta ratio in jubendo, et vetando; si lex, jus quoque; at omnibus ratio, jus igitur datum est omnibus*; cujus norma ex Aristotele deducitur in categoriis, quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcunque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subjecto dicuntur, ut, *homo de homine hoc aut illo prædicatur, animal vero de homine, ergo et de hoc homine, is enim et homo est, et animal est*; itaque, *si duco genus a Cæsare, et ab Ænea; si ab hoc, et ab Anchisa, quoniam Cæsar ab Ænea Anchise filio; item, quidquid sequitur ad illationem bonæ conclusionis, sequitur etiam ad propositum ejusdem; coacervatio est, quum, addendo, vel detrahendo, cumulo, nusquam sisto, sed proba nec confici unquam, nec destrui, ut, de cauda equi apud Horatium, et de populo, et de acervo tritici, quem si unum granum non efficit, quid duo? si nec duo, nec tria, nec in quantumcunque numero, Græci *oron vel soritas* nominant; *dilemma* est argumentum cornutum, in quo, duobus propositis, quodcunque eligas, capiere; *si ducis formosam, habebis communem, sin deformem, molestam, si dives erit, ferenda, si pauper, alenda*; ejusmodi colligendi ratione videtur significare Cicero Hortensium permultum uti consuevisse, nam in divinatione adversus Verrem sic inquit: *Te vero, Cæcili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione jactaturus, videre jam videor; quoties ille tibi potestatem, optionemque facturum sit ut eligas utrum velis, factum**

es-

Coacervatio.

Dilemmata.

esse, nec ne; verum esse, an falsum; utrum dixeris, id contra te futurum: Antistrephon, quod a Cicerone nominatur *conversio*, dissolutio est dilemmatis: *si ducis formosam, habebis voluptatem; at si deformem, non communem; si divitem, alet te; sin pauperem, nihil exprobravit.*

Antistrephon.

DE SYLLOGISMO.

SEquitur vera, et germana, et perfecta *argumentatio*, quæ a Græcis *sylogismus* dicitur, id est, *collectio*, a Cicerone *ratiocinatio*; nos de nomine non erimus solliciti, veteribus utemur vocabulis: ea non solum in iis verbis, et ea significatione efficax est, sed seposita omni significatione, et in aliis eadem facie, ac forma, id est, nodi ratione, et congruentia partium inter se, quemadmodum docuimus; ideo proprie ad dialecticum pertinet, et hujus unius est artis: diffiniatur autem nobis sic: *Ratiocinatio, est collectio trium enuntiationum, in quibus tertia quæ inferri significatur, ex duarum connexionem naturaliter elicitur: naturaliter, dico, ut aliud nihil sit extrinsecus necessarium, sed natura sua ex eis nascatur sine supplemento intelligentiæ, nam qui eo indiget, perfectus syllogismus non est, vel sic: Syllogismus, est comparatio duorum ad tertium, ex qua nascitur illorum duorum habitus inter se, ut vel nectantur, vel dissolvantur.*

Ratio syllogismorum.

Hujus hæc est in natura ratio; quoniam quæcunque uniter *tio congruunt, inter se congruunt*, et quæ *inter se congruunt, eodem modo congruunt tertio*, ut, *si isoscheles sit par duobus angulis rectis, et schaleron sit item par duobus angulis rectis, isoscheles et schaleron pares sunt*, et contra; non tamen consequitur, ut *si tertio alicui non sunt apta, nec inter se sint, neque enim isoscheles et schaleron congruunt circulo; ideo ex mere negativis nihil infertur: et quæ una in parte congruunt illius tertii, non necesse est congruere inter se, ut, isoscheles et quadratum congruunt cum schaleronte, hoc in angulo recto, illud in acuto, nec tamen illo modo congruunt inter se: ac ne si totum quidem, ut, angulus acutus totus convenit cum parte isoscheli, et rectus cum parte quadrati,*

Tom. III.

Y

illa



illa tamen inter se sunt omnino diversa; ideo nec aliquid efficitur, quum medium est in utraque particulare: de singularibus alias dicemus: videndum etiam, ne quod in parte dictum est prius, in toto concludatur; quocirca haud rite ex non distributo distributum colligitur: sed quatenus, quum unum congruit, alterum non congruit, illa duo non necesse est omnino vel congruere, vel non congruere; ideo ex negativa et affirmativa negativa elicitur, ex universalitate et particularitate particularitas, semper enim minus est ac deterius quod exprimitur.


Tota vis syllogismorum in eo est sita, ut ex universalitate inferatur universalitas, vel particularitas, ex negatione negatio, ex affirmationibus affirmatio: videndum ut integre sumatur medium, et quicquid in præmissis non est medium, nec pars medii, conferatur in intentionem nihil addendo, aut detrahendo, quod quidem sensum variet, et servata eadem significatione verborum, ne fiat æquivocatio vel amphibologia: ergo sumuntur hæc, omnino congruere, et partim congruere, nam ex non congruere, per se nihil efficitur; quocirca sint in medio pro omnino congruere, omne; pro partim, aliquod; in utroque decem fiunt collationes, seu connexiones, quas combinationes nostri nominant: medium sit *a*, extrema *b c*; medium, ut mensura est duorum, ideo postquam perfunctum est metiendi munere, foris remanet; ratio et habitus quidam illorum duorum consideratur, hoc enim quærebatur per mensuram; quare in id, quod efficere et comparare volumus, medium non intrat: terminus qui in prima sumitur cum medio, dicitur major terminus, qui in secunda, minor; pronuntiationes ipsæ, prima nominatur vulgo major, minor altera, præmissæ ambæ; Capella primam assumptionem, alteram propositionem, tertiam illationem, in quo, sicut arbitror, commutatæ sunt voces; nam Cicero, quem ille sequitur, contrà, item Quintilianus, qui majorem enuntiationem vocant propositionem, minorem assumptionem; alii majus et minus assumptum, sive sumptiones: tum directe concludere, ut majus extremum dicatur de minore, indirecte, contrà; Capella directum inferre, ac reflexim; explanemus hæc per exempla apta ad usum.

Comparationes sunt istæ: si aliqua pars *a* capit totum *b*, et ali-

aliqua pars *b* capit totum *c*, *c* totum capietur ab *a*: ut, si tres trianguli pingantur, quorum unus *B* sit maximus, et capiet alterum *A*, tertius sit minimus intra *A*, qui sit *C*, ita dicimus, si omne *b* est *a*, et omne *c* est *b*, omne *c* est *a*: adhibeatur regula, quam diximus esse canonem artium omnium, et vitæ totius: si manente proposito, illatum infirmetur, duo contradictoria concedentur, videlicet, aliquod *c* non est *a*, et idem est *a*: nam si non omne *c* est *a*, sit sane illud *c*, dum si omne *c* est *b*, etiam *d* erit *b*: et si omne *b* est *a*, etiam *d* erit *a*: alioqui non omne *b* erit *a*, nempe *d*: ita hoc *d* erit *a*: atqui idem ipsum non erit *a*: in iis, quæ concludunt directe, ex contradictorio consequentis cum minore, infertur contradictorium assumptionis; hæc est via ad facilius inveniendam rationem examinandæ bonæ connexionis; verum capiamus (quo res fiat distinctior, et explanatior) non litteras jam, sed voces significantes: omnis virtus est bonum, justitia omnis est virtus, omnis igitur justitia est bonum: non quin sine significatione res sit ex sola structura valida, sed minus perturbatur ingenium in significantibus, quam in litteris propter minutiam earum; quod si concluditur, omnem justitiam esse bonum, inferetur etiam, aliquam justitiam esse bonam; scilicet, ad omne sequitur aliquod; etsi aliquam justitiam esse bonam, etiam aliquod bonum esse justitiam; nam hic tantum transponuntur verba, sensus restat idem, quocirca de iis quæ adæquantur, aut se subsequuntur, rarius loquar, putabo enim dictum de alteris, ubi de alteris præcepero.

Sequuntur octodecim formæ.

Itaque prima hæc forma vocetur a nobis, ut vulgo, Barbara, ne in eo, quod nihil refert, affectate videamur discedere a trita et vulgari via, in quo satis liquet ex universalitate confici universalitatem, ex particularitate non nisi particularitatem quum *b* quod erat particulare in ratione, tale est in judicio illationis; licebit omnes formulas regulare per normam illam, quam posuimus de congruentia duorum ad tertium, sed, ut apercius, et compendiosius præcipiamus, omittetur deinceps; satis fuerit de



Major terminus.
Minor terminus.

Directe concludere et indirecte.

Barbara.

principio attigisse; unusquisque per se examinet, nam hæc seorsum melius intelliguntur, quàm in tumultu.

Secunda conjunctio; *si omnis virtus est bonum, et aliqua justitia est virtus, utique justitia aliqua est bona*: nam detur oppositum, *nulla justitia est bona, ergo neque hæc justitia, quæ est virtus per assumptum, ergo aliqua virtus non est bona*, et tamen *omnis virtus est bona*: hæc dicitur *Darii*: ex particularitatibus collecta est particularitas, id est, quæ in præcedentibus fuerant particularitates, manent in consequente.

Darii.

Tertia; *si nulla virtus est bonum, et omnis justitia est virtus, nulla virtus est bonum*; detur diversum; *aliqua justitia est bona, et eadem est virtus, aliqua ergo virtus est bona*: sit *Celarent*.

Celarent.

Quarta; *si nulla virtus est bona, et aliqua justitia est virtus, aliqua justitia non est bona*; sumatur oppositum; *omnis justitia est bonum, ergo hæc justitia est bona*, indico illam quæ per secundam est virtus, ergo hæc virtus est bona, et tamen nulla virtus est bona: sit *Ferio*.

Ferio.

Quinta; *si omnis virtus est bonum, et aliqua justitia non est virtus, nihil efficitur, collatio est ut vocant inutilis, quippe proceditur a non distributo ad distributum: bonum sit majus virtute, et justitia æqualis, aut minor, bono: omnis homo est animal, aliqua substantia sensibilis non est animal, nisi quis sic colligat, ergo aliqua substantia sensibilis aliquod animal non est, ut animal non distribuatur; sed nemo sic loquitur, ideo Petrus Manruanus, et alii sophistæ, has vocant de inconsueto modo loquendi.*

Sexta; *omnis virtus est bonum, nulla justitia est virtus, non potest hæc nasci, nulla justitia est virtus, nec, aliqua justitia non est virtus, nam bonum quod non erat prius universalitas, nunc fit (instaretur, si bonum superius esset ad justitiam, animal, lapis, homo) sed sic indirecte, aliquod bonum non est justitia, tunc omnia remanent ut oportet; cedo repugnans, omne bonum est justitia: hoc igitur bonum, quod etiam est virtus, secundum priorem assumptionem; quare, hæc justitia est virtus, quod est contrarium secundæ: *Fapesmo* vocatur.*

Fapesmo.

Jam veniamus ad sextam; *si omnis virtus est bonum, et omnis virtus est justitia, aliqua justitia est bona*: detur aliud: nulla
jus-

justitia est bonum, ergo neque hæc justitia, ostensa illa, quæ sit virtus per minorem; itaque hæc virtus non est bona, et tamen, omnis virtus est bona: universalis non potest inferri, *omnis justitia est bonum*, sumamus virtutem minorem bono, et justitiam majorem bono; sic *omnis homo est animal, omnis homo est corpus, nec contra*, nam item contrà sumam: sit hæc *Darapti*.

Darapti.

Septima; *omnis virtus est bonum, aliqua virtus est justitia, aliqua justitia est bona*: repugnans enim est, *nulla justitia est bonum, ergo nec illa justitia quæ est virtus, juxta secundam, quare nonnulla virtus non est bona, et tamen, omnis virtus est bona*: sit *Datisti*.

Datisti.

Octava; *omnis virtus est bonum, nulla virtus est justitia, ergo aliquod bonum non est justitia*: reducitur ad *Fapesmo* conversione minoris, *nulla justitia est virtus*, et tunc facile probatur ad regulam, ut factum est, ideo huic nomen ne imponamus, quandoquidem omnino pendet ex alio; si quis tamen nomen requirit, vocet sane *Fapello*.

Fapello.

Nona; *omnis virtus est bonum, aliqua virtus non est justitia, non producunt hanc, aliqua justitia non est bona, si justitia sit minor bono; omnis homo est animal, aliquis homo non est Hispanus, ergo Hispanus non est animal; a non distributo ad distributum concluditur: sed vel illa nascetur de inconsueto loquendi more, aliqua justitia bona non est, vel hæc indirecte, bonum non est justitia; nam si quis non acquiescit, transeat ad adversum; omne bonum est justitia, atqui virtus omnis est bonum, quare omnis virtus est justitia, quod est contradictorium assumpti; sed accipit vires a *Barbara*, ideo etiam relinquatur: sit tamen, si quis velit, *Barboco*.*

Barboco.

Decima; *nulla virtus est bonum, omnis virtus est justitia, non potest inferri universaliter, nulla justitia est bonum, si justitia sit superior bono: nullus lapis est homo, omnis lapis est substantia, ergo nulla substantia est homo; sed sic; aliqua justitia non est bonum: detur oppositum; omnis justitia est bonum, ergo et illa justitia, quæ est virtus: itaque aliqua virtus est bonum, et nulla virtus est bonum: *Felapton* dicitur.*

Felapton.

Undecima; *nulla virtus est bonum, aliqua virtus est justitia,*
ali-

aliqua justitia non est bona: detur diversum; omnis justitia est bonum, ergo et hæc, ostensa illa quæ est virtus; et tamen, nulla virtus est bonum: dicitur Ferison.

Ferison.

Duodecima; *aliqua virtus est bona, omnis virtus est justitia, ergo aliqua justitia est bona: cedo oppositum, nulla justitia est bona, ergo nec illa, quæ est virtus; quocirca, aliqua virtus non est bona, et tamen, omnis virtus est bona: dicitur Disamis.*

Disamis.

Tertiadecima; *aliqua virtus est bona, nulla virtus est justitia, non infert, aliqua justitia non est bona, nam ascenditur a non distributo ad distributum: fit apertum si virtus sit amplior quàm justitia: aliquis lapis est substantia, nullus lapis est animal: sed sic indirecte concluditur; aliquod bonum non est justitia; detur aliud; omne bonum est justitia, ergo et illud bonum quod est virtus, itaque virtus est justitia, et tamen, nulla virtus est justitia: vocetur Ferisco, nam ad Ferio pertinet si quis assumptionem convertat, et de majore fiat minor.*

Ferisco.

Quartadecima; *aliqua virtus est non bona, omnis virtus est justitia, ergo aliqua justitia non est bona: concedatur oppositum; omnis justitia est bonum, et omnis virtus est justitia, ergo omnis justitia est bonum: quod contradictorium propositionis ex Barbara sumit vires, sed forma per se solet poni Bocardo dicta.*

Bocardo.

Quintadecima; *omne bonum est virtus, omnis justitia est virtus, nihil efficitur ob medii particularitatem in utraque; et, omne bonum est virtus, nulla justitia virtus, nulla justitia bonum; nam ponatur, aliqua justitia est bonum, ergo aliquod bonum est justitia, ostendo illud bonum, quod est virtus, per priorem, ergo aliquod bonum est virtus, quod est oppositum secundi assumpti: vocatur Camestres.*

Camestres.

Sextadecima; *omne bonum est virtus, aliqua justitia non est virtus, aliqua justitia non est bona; nam, si omnis justitia est bonum, ergo et ista justitia, illam indico quæ non est virtus, itaque et hæc justitia est bona, quæ non est virtus, aliquod igitur bonum non est virtus, quod est contradictorium majoris: dicitur Baroco.*

Baroco.

Decimaseptima; *nullum bonum est virtus, omnis justitia est virtus, ergo nulla justitia est bonum; nam si non acquiescis, sit*

er-

ergo aliqua justitia bona, et omnis justitia est virtus, sumo hanc justitiam, quæ est bonum, eadem est virtus, ergo aliqua virtus est bona, quod est contradictorium propositionis: vocatur Cesare.

Cesare.

Decimaoctava; *nullum bonum est virtus, aliqua justitia est virtus, aliqua justitia non est bona; repugnat intentioni; omnis justitia est bonum, indico ergo illam justitiam, quæ est virtus, aliqua ergo virtus est bona, quod contradictorium assumpti prioris: Festino dicitur.*

Festino.

Sunt aliæ collationes, quæ tantum ab iis, quæ modo positæ sunt, transmutatione sumptionum distant, ut quum dicimus, *omnis virtus est bonum, et omnis justitia est virtus*, si dicatur, *omnis justitia est virtus, et omnis justitia est bonum*; in istis eodem modo concludetur quo in aliis, sed indirecte, ut apud illum, *omne peccatum est actio, omnis actio voluntaria, ergo omne peccatum voluntarium*, et apud Ciceronem, *quod est bonum omne, laudabile est, quod laudabile est omne, honestum est, bonum igitur quod est, honestum est*: si quis tamen velit directe concludere, hoc tantum devitet, ne a particularitate ad universalitatem transeat: *omnis justitia est virtus, omnis virtus est bonum, ergo aliquod bonum est justitia*: quapropter collectiones sunt septemdecim, quas licebit in tres ordines distribuere, ut quum *medium* in altera est *objectum*, in altera *dictum*, existat primus ordo, quum in utraque *dictum*, secundus, quum in utraque *objectum*, tertius; in primo ordine sunt hæc formæ, ac velut gradus, *Barbara, Darii, Celarent, Ferio, Fapesmo*, in secundo, *Camestres, Baroco, Cesare, Festino*, in tertio, *Darapti, Datisi, Barboco, Felapton, Ferison, Disamis, Ferisco, Bocardo*, neque hîc spectavimus quæ effata possent inferri, sed quæ sunt comparationes quæ aliquid inferant; reliquæ omnes sive collationes, sive combinationes, aut sunt ex particularitatibus, aut ex negantiis; aut universale ex particulari concludunt, aut detortam aliquam intentionem ad inconsuetum loquendi morem; nec comparationes attigi quæ non sunt in communi usu: *omnis virtus est omne bonum, justitia est omnis virtus*: nihil sunt hæc, nisi ad hoc reducantur, *omnis virtus est justitia*: ut fiat secundi ordinis; et illa, *omnis virtus est omne bonum*, par est huic,

una-

unaquæque virtus est quodcunque bonum, nec a singulari differt, neque aliter potest esse vera, nam si duæ sint virtutes, et duo bona, non potest ullo pacto vera esse.

Ceterum formæ illæ primi ordinis efficacissimæ sunt, propterea quod paratam ostendunt refutationem si quis non assentiatur, et maxime congruunt naturæ, videmus enim rudes atque imperitos homines plurimum illis uti, et acquiescere; idcirco alios etiam ordines ad illum volunt reduci posse, hoc est, illos per hunc examinari, probarique, quod fit, vel sumtis pronuntiatibus paribus servatis eisdem terminis, vel minoribus quæ a majoribus deducuntur, conversis vel commutatis propositis rationis, vel sumto contradictorio illationis, per aliquem illorum modorum, cum altera assumptionum inferri contradicentem enuntiationem alterius; et unaquæque forma reducitur ad formam cum qua communem habet litteram principalem sic, ut quam vocalem sequitur s, effati ejus sumatur æquivalens, ubi p, sumatur quæ astrictior elicitur; ubi m, commutentur sumpta; ubi c, ad contradictorium deducitur: velut *Cesare*, nullum animal est lapis, omne saxum est lapis, ergo nullum saxum animal: primæ æquipollens, quæ idem terrorum valet, est hæc, nullus lapis est animal, fit in *Celarent*, nullus lapis est animal, omne saxum est lapis, ergo nullum saxum animal; in *Baroco* sic, omnis homo est animal, aliquod candidum non est animal, ergo aliquod candidum non est homo; sic, omnis homo est animal, omne candidum est homo, ergo omne candidum est animal, in *Barbara*; ratio horum omnium est, quod ad paria idem sequitur, ut quod ad bonum et justitiam, idem ad justitiam et bonum, et quod ex minori exprimitur, multo facilius e majori: tum a contradictorio illati recurritur ad contradictorium propositi, tamquam coticula probæ collectionis; et quod diximus de illis subjectis et dictis distributis, idem dicendum et sentiendum in omni particularitate, et universalitate, ut, *cujusque docti libri sunt accurate perscripti, Budeus est unus e doctis, illius ergo libri bene et diligenter sunt perscripti; nullus superbus placet Deo, nonnulli hominum animi grati sunt Deo, aliqui ergo illorum non sunt superbi; nullum æquum judicem video, Morus est æquus judex, illum igitur non video: ad eundem modum in ceteris.*

Reductio.

Reductio-
num ratio.

Si

Si quis sumat, *semper, nunquam, aliquando etiam, aliquando non*, omnia illa genera syllogismorum effringet, quæ prius; observabuntur quæ modo diximus, ut omnia sint *paria*; *Claymondus semper aliquid meditatur de litteris, heri convenisti Claymondum, ergo heri convenisti aliquid meditantem de litteris*; eodem modo ubi *universalitas* intelligitur; *virtus est bonum, justitia est virtus, ergo bona*; *Seneca; Ebrius nemo committit secretum sermonem, atqui bono viro committit, ergo bonus vir non est ebrius*; in *Felapton*; nam et *ebrius* universaliter capitur, et *bonus vir*. Quod de *affectis* quaeritur, *possibile, impossibile, necessarium*, per regulas est censendum; *possibile* particulare est, particularius quàm quodlibet tempus verbi; *impossibile* universale est negans; *necessario* universale ajens; meminimus quid superius de universalitate et particularitate admonuimus: sunt quædam verba, quæ involuta rationem syllogismi perturbant, evoluta autem sunt facillima; *tota voluptas est in sensu, totus sensus in parte animæ brutali, tota ergo voluptas in brutali animæ portione*; nam illud *totum* significat quicquid est ejus: similiter, *nullum animal præter hominem est capax religionis, elephas non est homo, quum sit animal, ergo non est religionis capax*; sic enim explicatur, *nullum animal, quod non est homo, habet religionem, nullus elephas habet religionem*; nam *solus* universalitatem ad alterum extremum jactat, ut sit, *omnes habentes religionem sunt homines, elephas non habet*, et cetera.

Sunt qui valent in certis vocibus, in aliis non, ut, *pauci homines sunt in hoc campo, exercitus non est pauci homines, ergo non est in hoc campo*; nihil concludes si dicas, *albi homines sunt in hoc campo, Æthiopes non sunt albi, ergo non sunt in hoc campo*, in quo sint ipsi et Germani: *singularitas* perinde est, ac si esset quædam *universalitas*, ideoque in ea probos syllogismos contextueris, et quidem in tribus ordinibus; in primo ex ajentibus; *Joannius legit, Gasparis filius est Joannius, ergo Gasparis filius legit*; si major sit negans; *Socrates non disputat, Siphronisci filius est Socrates, ergo non disputat*; non valet in minore; *Socrates est philosophus, Plato non est Socrates, ergo non est philosophus*; nam arguitur a non distributo ad distributum, nisi dicatur ut antea, *aliquis philosophus non est: in secunda ex affirmantibus; ora-*

Syllogismi
in singularibus.

Tom. III.

Z

tor

tor est Cicero, philosophus est Cicero, orator ergo aliquis philosophus est; ex negativa, aliquis Theologus non est Vergara, aliquis Theologus est Vergara, non conficitur Theologum non esse Theologum, sed Theologum aliquem nonnullum Theologum non esse, et ex minore negativa ad eundem modum: in tertio; Aristoteles est doctus, et idem est maritus, aliquis igitur maritus doctus; et ex negativis; Socrates non fuit auri cupidus, Socrates fuit philosophus, aliquis ergo philosophus auri cupiditate caruit; at minore negativa, Socrates est homo, et non est Trojanus, non sequitur aliquem Trojanum non esse hominem, sed, sicut dictum est, aliquem Trojanum aliquem hominem non esse. Sunt quidam syllogismi multiplices, qualis erat ille Socraticus: amicorum omnia sunt communia, dii et homines boni sunt amici, deorum sunt omnia, ergo et bonorum hominum; gradationem quidam vocant; ego ut sic non appellem, facit, quod non semper posterius sequitur ex prioribus, sed est geminus syllogismus, ad hunc modum: quorumcumque amicorum omnia sunt communia, dii et boni homines sunt amici, ergo eorum omnia communia; rursum; quaecumque sunt deorum, sunt bonorum hominum, omnia quae sunt, deorum sunt, igitur et bonorum hominum: si quis velit gradationem nominare, nihil impedit.

Syllogismi qui fiunt in comparativis et superlativis habent peculiarem quandam rationem, ut, quisquis animum excolit, melior est eo qui negligit, studioso sapientie nihil est melius, et est, animum ergo excolit; quod optimum est deesse beato non potest, sapientia et virtute nihil melius, his igitur vir beatus non caret; et apud Ciceronem secundo de Legibus: Quum omnia quae rationem habent, praestent iis quae sunt rationis expertia, nefasque sit dicere ullam rem praestare naturae omnium rerum, rationem inesse in ea confitendum est: in relativis quae referunt exacte, sumendum est antecedens cum relativo, aliter nihil proficit conclusio; omnis homo qui se summittit, extolletur, vir sapiens est homo qui se summittit, ergo extolletur; non tamen sic, vir sapiens est homo, ergo vir sapiens qui se summittit extolletur; nam in simili objicitur, vir stultus, ac deploratus, est homo, ergo vir ejusmodi, qui se summittit, extolletur, quum nullus sit talis; in iis quae referunt

ge.

genus, satis est sumere antecedens, ut, omnis Sophista est rixosus, qui et cavillatur, Lucianus est Sophista, ergo rixosus, qui et cavillatur; similiter; omnis justitia et fortitudo, Cato vel Cicero, pro simplicibus sunt; conjunctio naturae est universalitatis, ac proinde utrunque necesse est esse verum, quocirca ab illa ad utranque ejus partem rite colligimus, non autem retroagimus; obediendum est et Deo et homini in potestate, ergo homini in potestate.

A negatione partis contradictorium totius concluditur; nulla est in dissidio respublica, ergo non et in dissidio est respublica, et magistratus avari recte administrant: quae est disjunctio, a qua ad nullam partem valet complexio, sed a parte ad illam, similiter a disjunctiva, si quis tollat unam partem, ponet alteram; Theologus vel curat animum suum, vel alienum, non curat suum, ergo alienum; non reflectitur, nam potest utrunque facere; sed qui disjunctionis alteram partem veram volunt, alteram falsam, bene putant argui a positione unius partis ad sublationem alterius; vel sedet; vel edit; sedet; non ergo edit: sic Cicero pro Cluentio: Unum quidem certe, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, si constet corruptum illud esse judicium, aut ab Avito, aut ab Opianico esse corruptum; si doceo non ab Avito, vinco ab Opianico; si ostendo ab Opianico, purgo Avitum: non videtur in genere bene colligi, nam potuit corrumpi ab utroque: etsi non in illis, certe in aliis: quemadmodum supra demonstravi, posse partes omnes disjunctionis verae veras esse: jam a conditionali: qui ponit conditionem, ponit sequens, qui tollit sequens, et conditionem, non vice versa; si est virtus, est bonum; est virtus; ergo bonum; non est bonum, ergo nec virtus: si est virtus, non est bonum; est virtus; ergo non bonum; est bonum, ergo non virtus: si non est virtus, est bonum; non est virtus; ergo bonum; non est bonum, ergo virtus: si non est virtus, nec bonum; non est virtus; ergo nec bonum; est bonum, ergo virtus.

Hi quidem syllogismi, quae est mensura et regula, qua alias argumentationes censemus, nam enthymema fiet universaliter bonum, si ad eum reducatur; sed enthymema est bifarium, aliud quod ex significationibus verborum valet, ut, homo currit, ergo animal movetur; aliud quod quadamtenus ex verbis, ut quod

Z 2

ha-

Reductio enthymematis.

Inventio
medii.

habet aliquid in utroque pronuntiato idem, objectum videlicet aut dictum, sicut, *Socrates vere philosophatur, Socrates ergo contemnit opes et gloriam; Socrates nihil habet arrogantiae, ergo philosophus aliquis nihil habet arrogantiae*; et hoc solum reducitur ad unum syllogismum, illud prius ad multos, quod fiet primum medii inventionem, proposito themate quod velis probare, aut improbare, ut, *homo est albus, non est homo albus*; videndum primum quid superius, quid inferius, quid oppositum, aut alienum ab iis terminis qui in argumentatione sunt positi, ut quum sumo *homo* et *album*, homini superius est, *animal, corpus, substantia, inferius, Trojanus, Romanus*, nihil est *adversum, aversa* aut *separata* sunt ea omnia quæ non sunt *homo*, puta *leo, lapis, odor, sapor: albor, coloratum* superius, *hoc album inferius, candidum par, nigrum contrarium, separatum, viride, letitia, odor, sapor*; ad concludendum affirmanter aliquid, oportet id pro medio sumere, quod utrique terminorum competat; ad concludendum neganter, non quod ab utroque discrepet, neque enim ex negantiis quicquam conficitur, sed quod uni conveniat, alteri non; ad universalem affirmativam medium oportet esse majus, aut par, eo quod distribuitur, minus eo quod non distribuitur; si utrique sit æquale, omnia erunt in confecto æqualia; ut, *omne resibile est corpus: medium erit homo, vel animal, ad hunc modum, omne animal est corpus, omne risibile animal, itaque et corpus*; colligitur solum in primo ordine, ideo in altera oportet distribui, tunc erit minus aut par.

Ad particularem annuentem nihil impedit medium minus esse utroque; *omnis homo est animal, omnis homo est substantia, aliqua substantia est animal*; hæc infertur in primo et tertio ordine; in primo sic, *omnis homo est substantia, aliquod animal est homo, ergo et substantia*: ad universalem abnuentem medium uni nullo modo congruat, atque in hoc incumbat negatio, altero erit majus, aut par, et hoc affirmabitur; *justitia, voluptas, bonum*, istud erit medium; *nullum bonum est voluptas, omnis justitia est bonum, nulla ergo voluptas justitia*; hæc infertur in primo et secundo ordine, ideo in universali non distribuitur affirmativa, tunc erit majus, aut par, nam ea est assumptio: ad parti-

ticularem negantiæ, ut medium ab eo, in quod incumbit negatio, tollatur, vel totum a toto, vel totum a parte, alteri congruat quomodocunque; fit in tribus ordinibus; si totum omnino a toto tollitur, fit in *Ferio, Festino, Felapton, Ferisco, Fapello*, in quibus prior est universalis abnuens; si a parte, fit in *Baroco, et Bocardo, et Barboco*, in quibus altera est particularis negantia; proprius jam de *enthymemate*: in omni *enthymemate*, aut est major cum illatione, aut minor cum illatione; hic deest major, illic minor; sermo communis, et oratores, qui sermoni communi se accommodant, *enthymematis* ad persuadendum magis utuntur, quam expressis ac perfectis syllogismis, et omittunt eam potissimum partem argumentationis, quæ adeo est facilis ex se, et cuius exposita, ut sorderet, si explicaretur, ac generaret fastidium, tamquam diffideret auditori qui dicit; eodem modo in *epagogis* duo aut tria exempla pro omnibus putant sufficere; solent reduci *enthymemata* ad primum aut tertium ordinem, ad secundum vero perraro; quum *objectum* est idem, non potest reduci ad tertium ordinem; nam *medium* ingrederetur *confectionem*; reducitur ad primum; si *dictum* est idem, potest ad utrunque, nam si ejus, quod illi additur pro supplemento, *objectum* congruit *objecto*, existit in tertio, si *objectum dicto*, in primo, quando *dictum dicto*, in secundo: quando vero desit *propositio*, quando *assumptio*, hoc est ejus cognoscere, qui viderit quid desideretur ad perfectam probationem.

Reliqua *enthymemata*, quæ nihil habent commune, ad plures syllogismos reducuntur; *homo currit, ergo animal movetur*; infertur hæc sic, *homo currit, omnis homo est animal, ergo animal currit*, tum sic, *animal currit, quicquid currit movetur, ergo animal movetur*. Ad explorationem sive syllogismi, sive cujuscunque consecutionis, nulla est certior *coticula*, quam, ut sæpe admonuimus, contradictorium *intentionis* repugnare vel toti *rationi*, vel cum una parte ejus repugnare alteri, et rem deduci ad concessionem duarum contradictoriarum, qua examinatione nulla est evidentior in natura; hinc sequitur hoc dogma; *consequens semper meliore est conditione quam antecedens, aut certe par*; nam si quid boni habet *ratio, intentioni* communicat, non contra,

trà, si quid vero habet incommodi consequens, in argumentum refundit; semper liquidius est et purius quod exprimitur; si propositum verum, et intentio; si propositum necessarium, et intentio; alioqui poterit dare verum antecedens illati falsi; si possibile est antecedens, et quod conficitur; si quid congruit cum sumptione, et cum intentione; non econtrario, quippe antecedens potest esse falsum, consequente vero, ut, *studia sunt bona, ergo ab omnibus expetuntur*; si quid sequitur ad illationem, sequitur ad præcedens, nam quod ad posterius, et ad prius, unde posterius, quum semper prius sit potentius, quippe ex his, *omnis homo est albus, et omne rationabile est homo*, sequitur hæc, *aliquod rationabile est album*, ad quam non sequitur *omne rationabile est album*, quod tamen ex prioribus nascitur; si quid repugnat sequenti, et præcedenti; non vero invicem, quandoquidem cum antecedente illo priori pugnat hæc, *aliquod rationabile non est album*, non tamen cum intentione consequenti, similiter in nobis ex rebus, si argumentum est scitum, est intellectum, est concedendum, et illatio; quum hæc neganda, aut dubitanda, et ratio; nam in hac collectione, *omnem binarium scis esse parem, ergo et hunc, quem tecto veste, deest minor, et hic est binarius*; quod si quis de consequente probæ conclusionis incipiat ambigere, ea dubitatio ad antecedens se porrigit, de quo fortasse nihil prius ambigebat, ut, *quæ duo sunt in tertio paria, sunt ipsa inter se paria; a et b sunt paria c, ergo et ipsa inter se*; quum c indeprehensibili discrimine excedit a, et exceditur à b, b vero perceptibili ipsum a, propositionem putat se scire, assumptionem credit se oculis cernere, in confecto intelligit se captum, refert pedem, et recurrit ad priora, ut fraudem investiget.

Restant captiones pseudomenorum, quæ a recentioribus reflexa nominantur, propterea quod de se loquantur, et in se ipsas reflectant veritatem, aut mendacium, sed hoc crebrius; ideo a Græcis dicta sunt *ἰσοδύναμα*: ut, *hæc enuntiatio est falsa*, demonstrata ipsa eadem; *omnis universalis* significat aliter esse quàm est, *Epimenedes dicit, omnes Cretenses esse mendaces, et ipse est Cretensis, ergo et ipse mendax; si mendax, ergo non ei credendum; et dicit Cretenses esse mendaces, ergo non credendum*; sunt igitur

ve-

veraces, et illis credendum; at hic Cretensis, ergo ei credendum, quale est etiam quod Psalmista inquit: *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*; apud Lactantium quidam admonitus est per quietem ne haberet fidem somniis: quæro, *habebitne illi fidem, an non? si credit illi, credit somniis; si non credit somniis, credit illi: et crocodilinæ; utrum reddam tibi filium an non reddam? dic verum, alioqui non recipies; si dicis redditurum, retinebo, quia es mentitus; si non redditurum, retinebo, ut sit verum, nam si redderem, esset falsum, et ita essem nihil minus retenturus*; de Protagora Sophista Abderitano, et Evathlo ejus discipulo, notum est illud de pacta mercede, quod Aulus Gellius refert: idem Protagoras dicebat, *omnes omnium opiniones esse veras, Socrates Platonicus refellit eum sic, at multi opinantur hoc esse falsum, ergo ita est; falsum ergo opiniones omnes esse veras*; idem Socrates dicebat, *se nihil scire, et hoc erat aliquid, non ergo nihil sciebat*: pseudomenorum meminit Marcus Cicero quarto Academicarum quæstionum, et in libello de Facto, a quibus dicit vehementer fuisse Stoicos perturbatos, qui ea inexplicabilia nominarunt, *aculeos, et tortuosum genus disputandi, quæ colligavit magis Chrysippus quàm dissolvit, ita ut hæc a regula illa exceperint, omne effatum verum esse, aut falsum*; idcirco etiam et a nostris hominibus insolubilia nominantur.

Sed harum omnium quæstionum una est profligatio, quoniam verba, sicut instrumenta, aliis rebus accommodantur, non sibi, neque enim cultellus sibi scindendo est repertus, aut malleus sibi tundendo, sed aliis rebus, sic in verbis semper alia sunt censenda per id quod dicitur, non idem ipsum nisi forte in quibusdam jocosis et puerilibus; ut, *hec scripta sunt minio*; nam serio quum loquimur *hec scripsi tibi ad Calendas Octobres*; de superioribus significatur, aut sequentibus, non de eo ipso; ut sæpe Cicero ad Atticum, et alibi: *hec habui de amicitia, que dicerem*.

Hæc tibi dictabam templum post putre Vacuæ:

Similiter quum dicimus, *omnis homo mendax*, alii omnes, et ego, sed non in hoc; jam, *minime credendum somniis*, aliis utique;

que; *omnes Cretenses mendaces*, præter illum; et ille, sed non in eo ipso quod dicit; *quum vicerò primam litem, reddam tibi mercedem*, sed non de hac ista re; et crocodilinæ interrogationi nihil potest responderi? proponat alia quæ in se non retorqueantur, nam ad illam nihil potest aliter verius dicere, aut aptius, quàm se nescire, aut aliquid argutum ridiculum; tum, *omnes omnium opinionum esse veras*, aliis de rebus; quidam dixerunt *se nihil scire*, ne hoc quidem, metu argumenti illius; atqui nec Socrates ignorabat *se esse*, et *hanc Xantippem esse uxorem suam*, et *hunc esse Platonem discipulum suum*, ceterum *ad perfectam quandam scientiam* dictum illius pertinebat: quidam minime necessariam exceptionem addiderunt, *Socrates nihil sciebat præter id unum*, ut Varro in Academicis quæstionibus Ciceronis.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE PRIMA PHILOSOPHIA,

SIVE DE INTIMO NATURÆ OPIFICIO,

LIBER PRIMUS.

DE intimo naturæ opificio, hoc est, quibus ex causis, qua ratione, atque actione, oriuntur singula, crescant, existant, intereant, disserendum est nobis hoc opere; in quibus omnibus scrutandis, tametsi magnis tenebris premitur nostra mens, tamen alium in hac vita haberi eorum, quæ sensuri aut dicturi sumus, ducem, nec possumus, nec debemus, quàm quod illa et vi sua naturali, et usu ac meditatione consequitur, ne dum ea comminiscimur quæ ratione nulla demonstrantur, in absurda figmenta incidamus, et somnia sequamur pro doctrina sapientiæ: cui quidem rationis nostræ præceptioni, ac monitis, non solum auscultabimus in speculatione naturæ, sed in rebus etiam divinis cum omni cultu ac reverentia vel spectandis, vel

(ut

(ut dabitur nobis) exponendis; habitat enim Deus lucem inaccessibilem nobis, circumseptam caligine, ita ut nos, corpore hoc peccati obsessi, lucem non valeamus intrare, nec perumpere caliginem, et qui proxime ad Deum accedunt, offundi se vicina caligine sentiant, et non assequi se se artestentur, quemadmodum vir ille cœlitus etiam illustratus fateretur: *Ego*, inquit, *nondum arbitror me comprehendisse*: tamen in illis ipsis, quæ indicibili intervallo captum nostrum omnem antecellunt, et verbis ac humano loquendum est more, et ut ratio et iudicium nostrum assequitur, sentiendum, ne si hunc spernamus ducem, in errores multos vagi atque incerti prolabamur; furor est hominem, relictis quæ homo capit, ea quæ non capit affirmare, nisi quem constet magistro edoctum humanitate omni majore ac potiore, quod paucis admodum tribuitur: neque vero usque adeo mentis nostræ acies retusa est, quin eatenus veritates prospiciat, quatenus hominum generi conducit, hoc enim beneficium est ingens hominum generi a Deo tributum.

Et humana quidem judicia sunt quædam naturalia, sunt alia, sive artificialia, sive arbitraria libeat appellare, sive etiam consulta; naturaliter dicuntur judicari, quæ ab omnibus, eodem modo, et semper, ut quæ usurpantur a sensibus; item quæ a parte maxima, et ab iis quorum ingenium integrum est, ac rectum, id est, plane humanum, non depravatum vel stupore, vel educatione quadam ferina, non studiis ac persuasionibus infectum, et detortum; artis, sive arbitrii, sive consilii sunt, quæ ab aliis aliter, et alias, censentur: quod naturale est non potest esse ex falso, neque enim falsas de rebus opinionones humanis ingeniis Deus indidit; nec potest certius esse veri argumentum, quàm omnes naturaliter sic sentire, nam si magni alicujus, et sapientissimi viri auctoritas jure habet momenti plurimum, et quanto habebit majus auctoritas generis humani, et quidem a natura verissimo, ac certissimo doctore, instituit? Quid ignorat Deus, aut quid est in quo velit nos falsos? vult ille nos, opus suum, veras de se, ac rebus omnibus, habere sententias, nec inscitia nostra illi potest ulla ex parte prodesse: auspicate, de hoc tanto ac tam admirabili opi-

Humanum
judicium.

ficio dicturi, ab illo exordium cepimus, a quo sunt rerum universarum origines, in quo media, ad quem exitus, quemadmodum a sancto Apostolo est traditum; apparet ergo a natura esse nobis inditum *Deum esse*, quando nulla est tam barbara, atque immanis natio, cujus non animum intelligentia atque informatio imbuerit Dei; quisquis oculos in sublime ad tantam tamque admirabilem speciem attollens, considerat ordinem, et constantiam cœlorum, ac temporum, profecto dubitare nullo modo potest, quin a præstanti aliqua sapientia hæc administrantur; tum quæ sunt naturalia, in iis apertissime se produnt quæ repentina consilium omne excludunt.

Atqui in lætis aut tristibus subitis, sæpe etiam in admirandis, quum affectus arte non possunt regi, oculos sursum omnes dirigunt, et opem illinc poscunt, aut gratulantur, aut venerantur, ac adorant, quod est clarissimum signum existimare eos illic habitare potentissimum auctorem ac rectorem omnium; nam quod sursum oculos erigunt, quum princeps naturæ sit ubique, hoc significant, dignissimum esse locum illum, quæ sedes dicatur, et quasi regia principis omnium; tum illius, et vis, et sapientia, potissimum cœlo declaratur, sicut a divino Vate dictum est, *Cœlos enarrare gloriam Dei*: verum quisquis Deum nominarit, indubie rem putat se nominare sapientissimam, potentissimam, optimam; magnumque ducit nefas esse, si quis contra de Deo sentiat, quid enim sapientius, quàm qui hæc regit, quæ vel sola contemplatione stupefaciunt omnium mentes? quid potentius, quàm cui hæc ultro parent? quid melius, quàm qui hæc condidit omnia tam pulchra, tam grandia, nullius rei indigus? quique tantas commoditates rebus omnibus conditis ad se conservandas progenerat? qui tam lentus est ad se de iis ulciscendum, a quibus numen suum nefandis facinoribus violatur? neque enim inter hominum scelera adeo tum crebra, tum etiam gravia, et abominanda, momentum temporis perseveraret mundus, nisi ille qui hæc regit, esset optimus, et proinde longanimus: ergo quia sapientissimus est, omnia in finem aliquem constituit, et quia optimus, in finem bonum, non enim sapiens temere aliquid aggreditur,

nul-

nullo præposito sibi fine quem spectet, nec bonus aliud spectat quàm bonum; et quia potentissimus, facile quæ sapientia ad finem illum esse congruentia judicarit, exequutus est; nobis quidem propter tarditatem ingeniorum, et maximarum rerum inscitiam, ortus, progressus, exitus, et causæ singularum ignorantia sunt, fieri tamen non potest, quin ille maximas habeat et in minimis rebus causas, alioqui non esset qualem natura ipsa docet, sed neque alium vel mens ipsa potest sibi cogitatione fingere: verum illius sanctæ et reconditæ voluntatis rationes ac consilia occulta sunt nobis.

Itaque væcordis est earum rerum causas inquirere, quæ causæ non sunt ab illo foras proditæ, sed in consilio ipsius reservantur; de quo est in sacris litteris: *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Tales sunt causæ eorum, quibus illa sapientia pro instrumentis utitur sui finis; nam hæc sunt voluntatis ejus, sicut artificis in paritate similium instrumentorum hæc sumere ad opus magis quàm illud; omnia enim Deo sunt ad quodvis opus paria, nec minus commode aliis posset uti ad eundem finem, quàm illis quæ sumit, ut ignem esse calidum, glaciem frigidam, hominem sic esse compositum, sic ali, sic vivere, tot cœlos, tot stellas, non pauciores, nec plures; hæc naturæ, id est, huic opificio sunt prima, nobis postrema, ut nec nos, nec illa ulterius progrediamur; illa quæ ibi incipit, nos qui ibi sistimus, Deo vero media sunt, ac instrumenta voluntatis, quippe non aliud sunt rerum naturæ, quàm illius instrumenta; quærere cur non plura astra, cur non pauciora, cur non aliter disposita, item de elementis, de formis animantium, denique de numero, magnitudine, dispositione, viribus earum rerum, quibus constat hæc tanta universi molitio, hoc vero est verita septa transcendere, et impudenter ingerere se in arcana divinitatis; illa enim omnia voluntatis sunt illius, cujus consilium, nescio an communicatum sit Angelis; certe nobis occultum est; quæ vero, his positis, sequuntur, naturæ sunt, et naturæ legibus sancitis, cur, *ignis lignum exurit, non saxum; stomachus humanus panem et carnes concoquit, non stupas; luna plena deficit, silens vero solem abscondit; longiores esse*

Causis voluntatis Dei

Homo prin-
ceps sublunarium.

dies in aestate, quam hieme; in quibus conjecturas quasdam invenit hominum inquisitio, nam scientiam non meremur, et peccato contaminati, et proinde gravi mole corporis oppressi; sed neque est nobis necessaria, nam videmus omnium, quæ in hoc sublunari sunt mundo, principem esse, ac præsidem hominem constitutum quando non beluis sunt hæc parata, quæ uti nesciunt, finem vero quum aliquem etiam in minimis ac vilissimis esse rebus sit conpertum.

Nec mirum, quando (uti diximus) a Deo nihil est temere aut frustra conditum, nempe a sapientissimo, hominis autem tam excellentis naturæ nullum hic videmus, immo eum anxie et irrequiete alio pergere, dum hanc vitam agit, apparet eum alio tendere ac spectare; nec quicquam homine esset vel vanius, vel miserius, si huc tantum omnes illius actiones cogitationesque referrentur, quum eum palam sit nunquam quiescere, semper in sollicitudine, et cura futurorum jactari, nunquam potiri votis quibus in totum acquiescat, optare semper quorum nunquam fiat compos, (qua de re alibi erat copiosius disserendi locus) quapropter aliorum dubio procul quam ad vitam hanc pertinet, nempe ad alteram quam assequetur, his vinculis corporis et peccati solutus; ut quemadmodum in locis maternis, tantis contextus involucris, per novem menses huic luci formatur, sic in hoc corpore illi alteri paretur: quod tantum mysterium intellectum esse a L. Seneca magnum est indicium, quantopere ad veritatem omnem mentes nostræ sint a natura conformatæ, quæ si velint studiose navare operam, ad ea pervenient quæ impiis atque imperitis incredibilia videntur: sed revertamur ad id, quod cœpimus. Quemadmodum ergo in utero sensim robur accipit, et condiscit hanc lucem atque ærem posse ferre, sic nunc exercet se per virtutem, ut tantæ illius lucis aspectum sustineat, in qua est finis ejus ad quem est conditus, nam in eo positus nihil requirit amplius, plenus gaudiorum et securus: sed hic eum contemplari est velut præfectum huic orbi, religionis capacem ac Dei cognoscendi; et quia cognoscit tantum bonum, etiam amat, nam voluntas in bonum fertur proña nutu suo, ut mentis acies in verum; porro quod

quod amatur expetitur, quid enim amatur nisi pulchrum, et ideo expetibile? Amor enim vinculum est unicum rerum spiritualium, siquidem non alio glutino possunt illæ copulari; at quòd homo natura id expetit, evidens signum est posse assequi quando ad impossibilia naturales cupiditates non accepimus.

Ad hoc quidem habent omnes insitam a natura expetitionem, quam reprimunt tamen nonnulli tamquam improbum votum, et impossibile desiderium, quum se tam pusillos reputant, illum vero tantum, sicut in humanæ quoque fortunæ magnitudinibus usu venit; idcirco opus fuit medio aliquo, quod complexum in se sublimis et infimi naturam, desperationem adimeret, fiduciam augeter ut ab humili ad excelsum per illum ascenderetur: sed hominem hunc, sive jam tantarum rerum dominum, sive tantis bonis destinatum, instructum fuisse præclarissimis a Deo ad tanta munera facultatibus credi par est, nam qui sapientissimus jussit finem peti, idem optimus facultatem et instrumenta finis consequendi voluit attribui, potentissimus tribuit; fuit igitur ornatus, et quasi armatus, *viribus, et firmitate corporis*, ut ipse mancipiorum suorum dotes excellentius possideret, *celeritate intelligentiæ* qua mundana et divina facile percurreret, quum vellet, quum esset opus, tum *luce judicii, et consilii*, ut quid, et cujus quidque esset pretii, momentique censeret in iis quorum erat dominus factus, *equitate etiam voluntatis*, ut quæ conformia essent summo illi et soli bono cui erat uni pariturus, sequeretur, quæ contrà, devitaret, ut hoc denique obsequio et amore conjungeretur ei, quo nihil habuit carius, et proinde neque optatius. Nunc vero quum et corpore hominem cernamus morbidum, et servum eorum quæ illi Deus subjecit, tum intelligentia tardum, et consilii tenebrosi, et voluntatis prævæ, indubie degenerasse apparet ab illo homine, qui quum huic mundo erat a Deo præfectus, tum ad tanta bona conditus, ac destinatus; nos peccatum scimus esse causam, quo descivit a principe et imperatore suo Deo; quidam philosophorum naturæ progressu eo pervenerunt, ut dicerent animas hominum in istis corporibus, tamquam in er-

gas-

gastulis vinctas, magnorum scelerum pœnas dare; sed de imperio rerum, et sine destinato, utrum retinuerit, utrum amiserit, ex relictis ac perditis facultatibus est intelligere.

Ademptæ sunt vires, et celeritas cognoscendi, hinc ad regendum potentia, tum obedientia subditorum, ergo et regnum cujus hæc erant instrumenta; et in ejus corpore velut nota quædam censoria inusta est rebellionis primæ, ut menti nec corpus nec affectiones obtemperent; magna quidem et deploranda jactura; sed huic maximam adfert consolationem spes finis, quæ sumitur ex facultate ad eum consequendum relicta, nam in delicto illo quum homo, quantum in ipso erat, jus sibi omne præcideret ad finem, Deus tamen illius misertus castigavit filium, non abdicavit; in illo utique scelere dominatum amisit orbis, non tamen, quod magis expetendum est, penitus eum rejecit Deus a fine; idcirco nec instrumenta et veluti viaticum sustulit quo ad eum perveniret, tantumque ei reliquit luminis, quantum sat esset ad ingrediendum illà vià, quæ rectà ad felicitatem deduceret; nunquam eo lumine sustinuit Deus orbari prorsus hominem, quod ei de suo lumine quotidie accendit; nunquam enim fuit ulla vel tam stupida et socors natio, vel tam cæca atas et caligine oppressa, in qua homines ignorarint illa, quorum scientia ad felicitatem eos perduxisset si essent exequuti; ideo de filio Dei, quæ est divina lux et sapientia, dicitur quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: perdidimus ergo res et imperium, sed nobis vera bona divino beneficio, seu verius indulgentia, relicta sunt; ad cognitionem quoque rerum naturæ id reliquit facultatis, quo assequeremur quod vitæ huic tuendæ satis esset, sed labore tamen, cura, intentione magna animi; non quod eruendæ sint res e tenebris, sed quòd tardius est factum nostrum ingenium, et debilior mentis vis casu illo flagitii, et discessu a lumine; neque enim tenebris sunt res coopertæ, sed nostræ mentes; nonnulli tamen quæ sunt in nobis vitia, in naturam transferunt; verum neque hac ignorantia quicquam accepimus jacturæ ad eam perfectionem, quæ sita est in adeptione finis, nam amplior causarum cognitio pulchra quidem est, et voluptatem habet permagnam

Tenebræ in nobis, non in rebus.

in-

intuitu speciosissimi spectaculi, ut Virgilius (1) *felicem eum vocet, qui potuit rerum cognoscere causas*, sed tamen hactenus modo necessaria, quantum sat est ad parandam, et conservandam, vel vitam, vel virtutem, et vitam propter virtutem; quo videtur etiam Virgilius eam ipsam deducere felicitatem intelligentiæ causarum, (2)

*Atque metus omnes, et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.*

Atqui istud relictum est humano generi ex tanta opum jactura: anxia vero illa cognitio; adeo non est ad parandum quod petimus, necessaria, ut non raro etiam illinc abducat; multi enim, acti dulcedine scrutandi *cur quidque fiat, et quomodo*, a cœlestium rerum cura et cogitatione avocantur, et a cultu virtutis, dum, illis suis studiis tamquam a Sirenis occupatis, nec regere vacat populos, nec domos, nec suos ipsorum mores componere, per quæ ad felicitatem illam contenditur, nec aliter licet, maximasque et præcipuas vitæ utilitates deserunt, dum illis suis voluptatibus immodice indulgent, non aliter quam qui ludendi, aut libidinis delectatione, subtrahunt se a negotiis seriis: atqui dicat aliquis, ut Aristoteles, naturale est hoc hominibus sciendi desiderium, et cognoscendi rerum primordia, progressus, exitus, quid ergo, inane penitus evadet? minime vero, immo quia nequit in totum frustrari, expleri autem in vita hac videmus non posse, colligendum tanto philosopho fuerat aliquid post vitam hanc restare ubi expleretur: brevis est homini hæc vita concessa, ut in ea se ad alterius felicitatem exercent per virtutem, et parer, in hoc unum intentus, non impeditus aliis curis, si hoc rite fecerit, consecuturus quæ concupiscit; nam quum illi erimus conjuncti, et quasi unum per amorem facti Divinæ sapientiæ, in qua sunt thesauri omnes scientiæ et cognitionis, dimota qua nunc occulatur caligine, ibi permittetur nobis omnia ex pleno et puro haurire, ut animus noscendi avidus facile se expleat, sitimque il-

lam

(1) Georg. lib. 2. v. 490.

(2) Georg. lib. 2. v. 491.

illam exsatiat; quod in Phædone Platonis docet Socrates, et Cicero ex Platone. Nos tamen interea dum hanc vitam degimus, sive quis eam peregrinationem, sive exilium nomet, quædam annotavimus huic itineri conducentia; earum causas inquirere et utile est in præsens, et quia nobis utile, ideo se in hoc nobis natura magis indulgentem præbet, quæ paratio-
ra semper tribuit quæ prosunt.

Regulæ uni-
versales.

Ex singulis enim aut quæ viderunt oculi, vel audierunt aures, et alii sensus in sua quisque functione cognoverunt, mens nostra præcepta effecit universalia, postquam illa inter se contulisset, nec quicquam simile observaret in contrarium; incerta quidem hæc sæpe, nam res et temporibus mutantur, et locis, et falsa deprehenduntur quæ erant inter eruditos longo tempore receprissima; sed qualiacunque, e re hominum fuit, consignari, et tradi per manus, nam satius est rara negligi, quam non annotari et tradi frequentia: multi in unum contulerunt quisque sua, et simul præsentis, ne in colligendo falleremur, ne fieret universalis non ex uno aut altero experimento, et quia tempus res mutabat, vetustatem consulimus, cui prospexerunt majores prodendis iis, quæ ipsi usu suo observassent; tum ne locorum variis naturis falleremur, quod operis quoque loco natura exerceret, et quasi miraculum ostenderet, sumus scrutati; sic emendicavimus aliquid, quo hanc egestatem sustentaremus, nam nihil est minus verum, quam quod proverbio jactatur quorundam ore trito: *Inter omnes sciri omnia; melius illud; quæ cuncti sciunt, minimam esse portionem eorum, quæ ignorant*; et quandoquidem tam multi ad sustentandam hanc inopiam contulerunt, nemo enim est qui non aliquid in suum vel alienum usum inquirat; nam, ad disciplinas nobis utiles exculpendas, vires et naturalem quandam industriam unusquisque habet, ideo diligenter sunt animadvertenda verba quibus quisque observata sua communicavit, ut intelligamus quid sit id quod perhibetur: provide Dioscorides Cilix, quum herbarum historiam scriberet, singularum nomina multis linguis expressit, ne ignoraretur, de qua herba diceret, quod tantopere conduceret cognosci.

Ad

Ad hoc vis prope omnis sciendi atque intelligendi in verbis est sita, nam verbis sensa consignantur, et quæ quisque mente ac cogitatione assequitur, verbis exprimit, iisque, quantum facere potest, conjunctis cum explicatione naturæ rei cuiusque; itaque diligenter communis verborum usus est animadvertendus, ex quo plurimæ in omnibus disciplinis et existunt quæstiones, et profligantur, quod est videre apud Aristotelem, Platonem, et alios; quanquam quid Philosopho tribuendum sit consensui loquentium, aliàs dicemus, ut spero: teneat philosophus sensum communem in verbis, sed de illo disserendo adsit modus, ne non tam in rebus videatur esse occupatus, quam in vocibus, quod alienum est ab ejus professione; tum ipse, ut quis alius, quæ dicat, ea, quoad ejus facere poterit, lingua et verbis de vulgo sumtis eloquatur, quocirca communis sermo exacte cognoscendus est ei, qui ex collatione minorum assium aliquas divitias corrogat qualescunque, id est, aquam ex stillicidiis; ideo disciplina hæc, quæ a nobis in præsentia instituitur, accommoda est principiis omnium artium, nam causas et origines rerum, quæ aliæ tamquam principia inexplorata accipiunt, principio enim nihil est prius, hæc contemplatur, et explorat; tum verba communis usus enucleat, quæ ceteræ velut tecta cortice accipiunt bona fide, nihil metuentes fraudis, hæc enim fraudem, si qua delitescerat, reteggit, quæ singula scrutatur; ita aliæ hinc mutuuntur illa prima, et quasi fundamenta sui ædificii; est etiam ad usum vitæ apta, et ad bene sentiendum judicandumque intellectis iis quæ versantur in usu communi hominum.

Ad quæ uti-
lis discipli-
na hæc.

Postremo ad universales statuendas regulas animadverso, quantum fieri possit, naturæ artificio, et ad experimenta adjuncto pro norma; quæ omnia de natura rerum volo intelligi; ingredimur ad cognitionem rerum januis sensuum, nec alias habemus clausi hoc corpore; ut qui in cubiculo tantum habent speculari unum, qua lux admittitur, et qua foras prospiciunt, nihil cernunt, nisi quantum speculari illud sinit, ita nec nos videmus, nisi quantum licet per sensus, tametsi foras promicamus, et aliquid ulterius colligit mens, quam sensus os-

Prima rerum
divisio.

Tom. III.

Bb

ten-

tenderunt, sed quatenus per eos conceditur; assurgit quidem supra illos, verum illis innixa; illi ei aperiunt viam, nec alia egreditur; alia quidem esse iudicat, non tamen alia intueretur: ergo nos quæ dicimus, esse aut non esse, hæc aut illa, talia non talia, ex sententia animi nostri censemus, non ex rebus ipsis, illæ enim non sunt nobis sui mensura, sed mens nostra, nam quum dicimus bona, mala, utilia, inutilia, non re dicimus, sed nobis, et sensus interdum adeo sequimur duces, ut quomodo illis videantur ita etiam pronuntiemus vulgo, quam libet mens contrarium statuatur, ut non esse dicat ea Cicero, quæ tangi aut cerni non queant, animo tamen atque intelligentia comprehendantur: quocirca censendæ sunt nobis res non sua ipsarum nota, sed nostra æstimatione, ac iudicio: nec protitus sententiæ accedimus Protagoræ Abderitæ, qui talia esse dicebat quæque, qualia a quoque iudicarentur, de quo a Platone et Aristotele iure reprehenditur, neque enim qui dicimus ex iudicio nos nostro de rebus statuere, iidem et veritatem rerum ad nostrum iudicium detorquemus: nos ergo cognitionem, seu iudicium habemus sensuum, phantasie, mentis.

Divisio rerum.

Sunt quæ visus cognoscit, ut colorata, et lucida; sunt quæ auditus, ut soni; sunt quæ tactus, ut calida, frigida, sicca, humida, aspera, levia, dura, mollia, gravia, lenia, densa, subtilia; sunt quæ gustus, saporis; sunt quæ odoratus, quod nomen ipsum adfert, odores; sunt etiam communia quibusdam sensibus, ut magnitudo, numerus, sub quibus conjunctum, et separatum, et hinc quadamtenus totum, pars; ad copulationem quidem, non ad unitatem, quies, motus, figura, sub qua status, et dispositio partium, ut sedere, jacere; et quæ sunt contraria tenebræ, silentium, et quæ assimilata, ut colores Iridis, et palumbis in collo, quæ sensibilia dici possunt: phantasia ex conjunctione sensuum aliquid colligit, quæ fere sunt hæc; ex sensibus sine alia ratiocinatione id in quo solent esse, nempe subjectum illorum, ut ex colore, forma, statu, figura, hominem, leonem, capram; ideo fallitur similitudine accidentium, ut, *aves quæ ad pictas uvæ occurrerunt, et ille, qui pictum velum dimovebat tamquam verum*; ita omnia composita naturalia hujus sunt

Sensibilia.

sunt notitiæ; tum colligit ex sensili exteriori actionem, ut ovis aut canis de forma maleficium, vel ex memoria, vel cæco stimulo naturæ necessario sibi; tum ex actione agens cognoscit, velut ex calore ignem, quod posset ad primum referri: quæ omnia vocentur sanè phantastica: hæc homo cum brutis habet communia, atque ideo toties in illis decipitur: ceterum ex iis, quæ sensus attulerunt, quæque commiscuit, et commenta est Phantasia, quædam facile adhibito iudicio deprehendit recta et brevi argumentatione, cujusmodi sunt ex causa effectus, ex effectu causa, ex actione finis, ex instrumento actio, omnia denique quæ per instrumentum inveniendi veri solent exculpi adhibita cujusque artis materia, idque in rebus quæ omnino exterioris hujus naturæ constant opere, quæ a nobis dicantur *deprehensa*.

Phantastica.

Deprehensa

Sunt quæ mens ardua quadam assurrectione supra sensus, et magna indagine investigavit, non solum recte, sed oblique, et ambagiose, non tantum quia aliquid esset, aliquid esse, sed quia aliquid esset, aliquid non esse, aut contra; hujus generis sunt Deus, Angeli, dæmones, mentes, immortalitas, virtus, vitium, scientia, prudentia, felicitas, et omnia quæ sub sensus non cadunt, quæ dicantur *indagata*, sive *inquisita*; et hæc quidem naturalia sunt, id est, quæ natura sua constant, non intelligentiis nostris, aut operibus; nam nos imitati sumus naturam aliquid etiam agendo; excogitavit mens nostra quod ageret ob finem aliquem, quæsivit apta instrumenta, operata est, et partim substitit in effectione, partim opus ex ea peperit; omnia hæc sint *excogitata*, in quibus continentur artes omnes, ac disciplinæ, prudentia tota, administratio rei privatæ, et publicæ, geometrica, et arithmetica, et musica, non quæ naturali constant effectione, sed quæ humanis ingeniis, quæ perfectius intelliguntur a nobis, quo mens magis excolitur usu rerum; sunt quidem hæc in natura, sed a nobis manarunt, et sine nobis inania sunt, nulliusque efficacæ, quatenus quidem talia; sunt quæ penitus confinximus, sed in rebus, ut honorem, calamitatem, injuriam, contumeliam, quæ cessante quadam nostra persuasionem, nulla essent; hæc nominentur *conficta*;

Indagata.
Inquisita.

Excogitata.

Conficta.

illa vero quæ commentum sumus, sed extra res, ut chimæras, et centauros, nullo sint nobis loco, nullo ordine: quæ vero hæc tenus diximus, pertinent ad ea, quæ sunt; nam et in futurum, et in præteritum quum se acies nostra tendit, et alterutra contemplatur, memoria utitur in actis, prospicientia in his quæ deinceps sequuntur; appellemus hæc *prospecta*, illa *respecta*. In præsentia ita exposuisse universalitatem rerum suffecerit, nam qui in obscuris versantur locis, non quid sint res audent definire ac affirmare, sed quid ipsis videantur; utilis est hæc annotatio ad cognoscendi exercitationem.

Prospecta dicimus *fore*, respecta dicimus *fuisse*, cetera dicuntur *esse*, quoniam, sicut posui, ad censuram nostræ intelligentiæ de essentia cuiusque rei loquimur; sed quæ, et cuiusmodi sint singula, procedenti opere subtilius explicabimus, neque enim omnia possunt simul tradi, paulatim sunt rudiora eliminanda, et ad superiora est per inferiora ascendendum, ut figura quadam tradantur prima, hinc exactius reliqua, non tam ut se habent ipsa, quàm ut intelligi a nobis possunt. Quemadmodum vera bona omnia sunt in Deo, in rebus vero ab illo genitis imagine tantum quadam ad illam veritatem efficta, ita esse verum in Deo est, ab illo communicatur rebus aliis omnibus; et hoc est primum munus, quod a Deo datur rei conditæ, et tamquam fundamentum aliorum munerum; omnia enim quæ Deus condidit, *esse* ab illo acceperunt, ut *esse* possit quodammodo sic crasse declarari, quod *Deus dat primum omnibus quæ creat*; nam ut nihil est supra esse, omnia sunt sub eo, aut certe nihil est eo ulterius, ita mens nostra facilius nomen intelligit, quàm exprimit rem, immo illi alia omnia per ipsum, vel additionem ipsius, declarantur: ab essentiæ nomine *ens* est derivatum; *rei* nomen tritius est Latinis auribus; ideo ex illa generali significatione in alias permultas distribuitur, ut significet modo statum, sicut, *res publica*, *privata*, *familiaris*, et pecuniam, ut, *facis rem*, et ut sit aliud a personis, quemadmodum in causis forensibus, et aliud a verbis, ut,

Verbaque provisam rem non invita sequentur, (1)

et

(1) Horat. de Art. Poet. v. 311.

et aliud a futuris, ut, *de re dicas*, non *de spe*, et aliud a præteritis, *de re morbi disserere*, non *de causa*, et pro commercio et negotio quocumque, ut, *res est tibi cum duro homine*, etiam pro rebus gestis, sive actis, ut, *res Apostolorum scripsit Lucas*, et pro commodo atque utilitate, ut, *in rem esse*, est et quiddam generalius, quàm ut possis verbo uno exprimere, velut, *de re uxoria*, *de re rustica*, *de re bellica et navali*, quæ Laurentius Valla observavit; nec solum in Latino sermone, verumetiam in aliis linguis, quod illi *rem* vocant, in tam multa diffundunt: sed certe *ens*, modo sit receptum, appositius exprimit vim sui significatus, quale est Græcis τὸ ὄν, quod Seneca queritur se uno Latino verbo non posse exprimere; sed potest usu tritum fieri; quam Latinorum morositatem jure Quintilianus accusat: pergamus porro *entis* formas, modosque declarare.

Id quod *sensili* est tectum et quasi convestitum, quod appellemus sane *sensatum*, ut ab armis armatum, in eo est sensile, et *moles illa exterior*, quam sensile operit, tum quiddam *intimum* esse necessum est, quod nec oculis, nec ulli sensui est pervium, a quo manant *actiones* et *opera*, ut, in homine consilia, et ratio, in arbore frondes, flores, fructus, in cane latrare, et leporem persequi; quod si intereat sensatum illud, et aliud pro eo succedat, ut quum homo perit, et existit cadaver, quum atrescit arbor, et remanet lignum emortuum, tum ex ligno fiunt cineres, restant quidem multa ex sensilibus, manet moles, aut conjuncta, ut prius, atque ejusdem tenoris, ut in cadavere, aut sparsa, ut in cinere, et fumo, *actiones* tamen amplius non sunt eadem, idcirco nec *fons* et quasi *caput* actionum est idem, nempe *vis illa intus latens*, nam in cadavere eadem est moles, et tota exterior facies, non tamen sensus, nec mens, nec actiones, quæ prius. *Vis* omnis ex actionibus deprehenditur, ut *facultas artificis*, et *civilis potentia*, neque enim vim, aut facultatem, aut potentiam ipsam cernimus, nec sensu ullo usurpamus, quæ in *penetralibus* sita est cuiusque rei quod non penetrant sensus nostri hebetes; et quàm est generosa, et actiosa vis hæc, tam moles illa, in qua residet, abjecta et torpida, ideo nec actione ulla, vel opere, potest cognosci, quam

Sensatum.

Vis.

Moles.

NON

Species.
Forma.
Facies.

Materies.

non habet iners, et perpetuum segnis; tegitur quidem sensilibus, quæ illam utcunque spectandam præbent, sicut dicimus intueri nos hominem, cujus vestimenta solum intuemur, idcirco *species* illius jure dici possunt, et *forma*, quòd informem forment; et *facies*, quòd quasi faciant esse, sine quibus infecta esse videatur ac rudis; ceterum torpens illa, et qualiscunque ejus natura, melius capitur, quum res priores cadunt, posteriores surgunt, ut quum bos perit, aut ligna comburuntur, nam quod, viribus aliis discedentibus, aliis subeuntibus quasi hospitium illud temporarium præstat, moles hæc est, quæ *materies* nominatur; ea est velut ingens quædam *massa*, et sicut Græci dicunt, *ὕλη*, quasi *silva*, per totum mundum diffusa, ex qua portiunculas assumens auctor omnium, addit *vim* illam, et existit unumquodque ex iis, quæ tam pulchra et varia in mundo disponuntur, *homines, animantes, stirpes, lapides, metalla*; vires illas præstantiores Deus condidit, quarum unicuique aliquid de sua potentia et sapientia est impartitus, aliis plus, aliis minus, prout quodque fecit suorum munerum capax.

Nos autem in tanta re *imago aliqua* ad intelligentiam diriget: quemadmodum pinsuri panem, massæ addunt fermentum, et coacturi caseum, lacti indunt coagulum, et ut volunt, vel panem vel caseum conficere, ita multum aut parum fermenti et coaguli admiscent, in pastillis quoque odoriferis stymmati, quod est corpus et materia, succus infunditur, quod est ex olei generibus quæ nominantur hedesmata, unde varia fiunt pastillorum genera pro ratione succi, et sicut multa habemus sigilla, quæ eidem ceræ imprimimus, ita Deus massa hac utitur, ut lacte, ut corpore stymmatum, ut massa farinæ, fermenta autem, coagula, succos habet varios, quasi in pixides distributos, sumit partem massæ, adjungit particulam fermenti, vel coaguli; quibus massæ partibus ex eadem fermenti pixide applicat, hæc sunt earundem virium; ut, *duo homines, duo equi, duæ arbores*; quibus ex diversis, diversarum, sicut, *homo et canis*; illa dicuntur ejusdem naturæ et rationis, hæc variarum: ergo diversitas hæc ex fermentis nascitur, non ex massa, fermenta enim sunt multa, massa uniusmodi, nec est *ulla* quæ non

Materia
cælorum.

non quamlibet *vim* possit recipere, *subacta* certe, et *parata*, recipit; omnes sunt æque torpidæ, et segnes, sedes tantum virium, quarum quidem experimur quotidie casus, interitus, ortus novos, materies quantumcunque dissipetur, manet tamen, et facilem se his mutationibus præbet, ut de eodem appareat esse fonte quæ ejusdem sunt ingenii: in sublunari mundo facile id potest intelligi; de cœlesti materia dubitarit quis, ut quæ non videtur esse ejusdem naturæ ac nationis, cujus hæc nostra, nec enim fluida est, sed firma et constans; an id ex forma ei venit, non suo apte ingenio ac nutu? Sed hoc certe nullus mortalium definierit, qui in cœlis nunquam est versatus; adducor tamen verbis *divini philosophi*, et quem illa *sapientia* edocuerit *opifex rerum*, ut existimem diversæ esse naturæ, *Moses* enim librum originum mundi, sic exorditur: *In principio creavit Deus cælum et terram*: ut hoc dicto, duæ materiæ rationes ac notæ videantur designatæ, non duæ corporum essentia; addit terram fuisse vastam, atque incompositam, et opertam tenebris; quid potuit significantius dici de hac nostra *materia* eorum quæ generationes ac interitus accipiunt? ea est fluctuans, inculta, et tenebris obsita, cerni ut non queat, additur ei *facies*, formatur, et excolitur sigillo impresso, vel fermento adjecto; hæc sunt *duo frustra* ex quibus sensata omnia conglutinat, seu verius commiscet Deus.

Idcirco primordia dicuntur sensorum neque vero necessariam esse video privationem illam Aristotelicam, utique non magis, quàm noctem ad diem, sed Aristoteles, ne in totum dissentiret ab opinione veterum, quæ pugnantia fecerant principia mistorum naturæ, *privationem*, id est, *vim* discedentem, pro principio addidit *materia*, ac *vi* sequenti: atqui non timide solet a priscorum sententiis discedere: sed profecto non potest esse principium rei cui adversatur, et quam impedit; nec aliter ex privatione fit sequens vis, quàm ex ludis Olympiis Gymnici, dies ex nocte, et omne posterius ex priore, quòd ipse diem fatetur generationem non esse; jam, cur potius composita naturæ ex contrariis sunt conflanda, quàm ex consentientibus? quòd si contraria exiguntur, hoc est, diversa, tam sunt

sunt diversa materia et vis, quàm duæ vires. Ceterum quando materies una est omnium, non potest rerum discrimen ex illa sumi ut sint hæc, vel talia; ex viribus varietates existunt in rebus, et inde in nomina; porro in nominibus rerum, aliæ essentiam rei significant, aliæ affectionem, modum quendam, quo res se habet qui modi adferunt enti nomen aliud, quàm quod ex essentia sua sortitum est; ut, materiæ huic si vis nutriendi et emittendi frondes, flores, fructus indatur, fit *arbor*, quod nomen est essentia illius; si humilis sit, aut ruffa, aut viridis, lenis, aspera, hæc nomina modum quendam rei dicent, et proceritas, et color aliud ei nomen quàm pro essentia suæ ratione dabunt; hi essentiarum modi, atque affectiones, a Græcis apto nomine *συμβεβηκότα* nominantur, quod essentia contingant, a nobis vulgo *accidentia*; possunt etiam vocari *accedentia, adjuncta, addita, adherentia, seu inherentia*.

Sed hæc *essentiam* non mutant rei, cui adhærent, et cui hæc adjuncta innituntur tamquam fundamento primo, *substantia* nuncupatur; ea et recipit adherentia, et mutat illa, aut certe liceret sine casu suo, nec ipsa cuiquam adhæret; addita vero cui substantiæ semel affiguntur in ea manent perpetuo, nec migrare possunt, sed in vestigio interfere; quin ipsa inter se alia aliis præbent fundamentum, ut *olor candori, candor extensioni, et densitati*, fundamentum tamen primum, et omnium, est substantia, ideo sic appellata, quod aliis *subsistat*, Græce *ὑπάρχει*, ut videatur aliud respicere, nempe accidens, sicut et hoc substantiam; duo enim hæc ita sunt inter se complexa, ut nec accidens inveniri possit sejunctum a substantia, utique in hac naturæ institutione, nec substantia nuda adherentibus, id est, sine modo aliquo, et ratione qua se habeat; quocirca a plerisque omnibus quæsitum est; *essent ne substantia et accidens distincta, si non loco, certe essentiis, ut in panno madido aliud pannum dicimus, aliud humorem?* Quidam negarunt duo esse; alii omnia distinxerunt, et interminabili adherentium numero obruerunt non naturam, in quam illis nullum erat jus, sed ingenia discentium; alii quædam separarunt, ut colores, sapes; quædam unierunt, ut motum et figuram, difficili profecto dis-

cre-

cretionem, in qua ægre dixeris quid sequantur; ita res in varias sectas est discissa, et agitata affectibus, non scientia quæ in ea re nulla esse potest, nam substantia et adhærens adeo sunt complicata, ut non modo sensu explicari non queant, sed nec cogitatione, ut imago utriusque capi separata possit ab animo nostro, tanto artifice imaginum; quippe mens nostra, clausa hoc corpore, subsistentiæ imaginem non assequitur nudam adjectis.

Nobis tamen omnia ea sunt, quæcunque judicamus esse, vel res naturæ, vel earum modos, et adjuncta, sive in substantia aliud ab ea, sive rationem quandam, et affectionem illius hoc modo habentis: quanquam, ut solus Deus vere est, et omnia ab eo condita, si cum illo comparentur, non sunt, ita subsistentia, inter res conditas, sola est, et recte *sola* nominatur; adherentia tenuem quandam habent essentia participationem, quam debent substantiæ; sive aliud sint a substantia, sive non, nam quomodocunque res censeantur, nostri instituti nihil interest; neque aliter substantiæ, et inherenti, ens attribuitur, quàm hominis nuncupatio tibi, et tuæ imagini in tabella pictæ. Ex substantiis, materia *proxima est nihilo*, quemadmodum Augustinus inquit, quod alieno prorsus munere faciem et cognitionem accipiat, nempe beneficio illius vis, de qua diximus, talem esse congruebat, quæ posset quascunque vires receptare, viles, medias, præstantes, non aliter quàm oculus omni colore liber est, ut omnes recipiat, et auris omni sono externo, ne quem excludat; nam si potestates infectæ sint *energia aliqua*, illa se et circa minorem præbebit ferocem, et circa majorem contumacem: *nihil* ergo oportebat esse quod erat futurum potestate *omnia* per vires quæ ex actionibus sunt induendæ: idcirco materies nuncupatur, nam materia est in quam unaquæque operatio exercetur, quicquid agit, circa aliquid versatur, et in eo vult efficere quod destinavit; sic fabro ferrario ferrum est materia, et lignario lignum, et medico humanum corpus, dicenti res et verba, laudis materia est fortitudo, vituperationis ignavia, vel sordes, et materia libri dicitur in qua scriptor elaboravit, Clodius materia gloriæ Miloni, Videntes Romanis.

Materia.

Varietas rerum ex viribus.

Accidentia.

Substantia.

Substantia et accidens distincta.

Ex materia omni, addita congruenti actione ad aliquid, nascitur illud cujus materia est pars una, et id quod ex actione accedit altera, nam illa Clodius materia gloriæ Milonis, et fortitudo laudis, sic habent, quippe ex Clodio et actione hominum, scilicet iis quæ homines de illo sentiunt, ac loquuntur, existit Miloni gloria, ex virtute, et hominum de ea existimatione, laus; atqui nec Clodius illuc intrat, nec virtus; intrant utique, non aliter quàm sunt materia; neque enim ipsæ res sunt materia vel laudis, vel gloriæ, sed in hominum mentibus, metaphora tamen illæ res dicuntur, ut imagines nomina eorum accipiunt quæ referunt, veluti dicimus: *Scipio semper erat in ore*: ceterum quæ sine metaphora rem conficiunt, proprie sunt materiæ hujus propositi, nempe naturales, ex quibus aliquid constat adveniente eo quod per actionem accersitur, et in eas est operatio agentis, ut in ferrum et ligna; alteræ illæ potius sunt objecta quædam in quæ actio dirigitur, usus tamen quæ essent similia, eadem fecit, ut in aliis multis, eaque diligenter sunt discendi animadvertenda, ne iudicium perturbetur; idem usus, unde aliquid proficisceretur materiam vocavit, sic *divitias materiam dixit ruinæ, Helenam belli*. Quod ex actione Dei accrescit materiæ, geminum est, internum et externum; exterius facies est, ut dixi, interius vis et facultas ad agendum, sed ea non simplex, nam quædam est præcipua et velut *artifex*, altera artificis *instrumentum*, omnia enim, quæ agunt, instrumentis egent, præter Deum; ut in animante *anima* artifex est omnium functionum vitæ, quas tamen obit per *calorem*, per *humorem*, in organis corporis, nempe *stomacho* et *jecinore*; hæc instrumenta adfert secum artifex in corpus, ut pictor *penicillum*, faber *servam*, et *scalprum*; præcipuum illam *vim*, et *opificem*, recte Cicero *effectiorem* nuncupavit, Aristoteles *actum*, id est, *energiam*; non quod per eam quod erat *potestate hoc*, fiat *actu hoc*, neque enim fit unquam *actu homo* quod prius erat *potestate homo*, nempe, materia concinnata, et apta, quamvis de tali minus forsitan esset absurdum, sed certe quod erat *potestate ad hoc*, fit *re ipsa in hoc*; Philosophorum recentium schola et *effectiorem*, et *faciem*, et *instrumenta*, et omnia prope *adhærentia*, *formas*

Effectio.
Actus.
Energia.

Forma.

VO-

vocat recepto illis vocabulo: sed de verbis in disciplina hac non convenit nos litigare intelligantur modo quæ usurpentur: illi enim formam definiunt, quæ adferat esse rei, et eam in illo conservet.

Jam omnia pæne accidentia aliquam rationem essentiæ adferunt rei, sive substantiæ, sive accidenti, nam quemadmodum per effectiorem rationalem homo est homo, ita per virorem pannus est viridis, per calorem aqua est calida, per paternitatem homo est pater, et quemadmodum sunt fermenta essentialium rerum, ita etiam adjunctorum, ut quæ ex eodem habent *viroris* aut *caloris* fermento, ejusdem sint eatenus ingenii, naturæ, rationis, et (uti Philosophi loqui consueverunt) *speciei*, ac *formæ*, quanquam *effectio*, et *actus essentialis*, magis est similis *fermento*, *coagulo*, *succo*, *adhærens* vero *sigillo impresso*; habet quidem effectio ad materiam imaginem quandam eorum, quæ de adjunctis diximus, nam videtur illi hæere, nec separari, quæ enim separetur postmodum ostendemus, adde quod materia mutat effectiones, verum substantia est effectio magis et verius, quàm materia, nam si per quod accidentalia sunt, est accidens, per quod substantialia sunt, nonne erit substantia? per virorem res est viridis, per animam rationabilem res est homo, si calor, exempli gratia, aut frigus, est hæc effectio, non dicetur homo homo, sed calidus, aut frigidus; et peribunt appellationes substantiæ, quæ ex effectione nascuntur, non ex materia per quam nihil est hoc aut illud, vel hujus aut illius modi; jam materia bruta nunquam tantos effectus ederet, uti neque inhærens essentiæ tenuissimæ, et proximæ nihilo, restat ut quod operatur sit aliquid a materia distinctum, et ab inhærentibus, quæ non habent vires ad tanta edenda opera, substantia igitur; adhærentia enim res sunt leves, opera hæc magna, solida, majora multo quàm ipsa accidentia; at quod efficitur, majus non est aut præstantius suâ præcipuâ causâ; nec accidentia ipsa artifices sunt, sed artificibus se præbent; quibus porro artificibus? non materiæ, quæ iners et ad actiones non solum inepta est, sed obturbans, et impediens torpore suo, ac segnitie, nec si quis adamantis inhærentia in ligno

Effectio est
substantia.

Cc 2

col-

collocet, protinus lignum fiet adamas, et easdem habebit vires.

Quotidie experimur diversa entia eisdem adjunctis diversos effectus edere, et multo dissimillimos, non solum quæ inhærentia habent eadem torpida, et quasi emortua, sed illa etiam vivida, quæ prima nuncupantur, humiditatem, dico, ariditatem, calorem, frigus, unde tamquam ex parentibus oriuntur reliqua; quid quod entia naturalia subinde mutant adjuncta, et quidem in intimis, non modo in externis, non ideo tamen essentia variatur, ut animantes omnes ætatibus, regionibus, victu, morbis, vehementer mutantur, in eadem tamen ipsa effectione; quid, aqua quum ferverit, desinit ne esse aqua? Neque vero si quis equi simulacro cereo caloris, atque humoris, et reliquorum adjunctorum tantum addat, quantum est in vero equo, continuo equus existet; velim dicant mihi, quantum caloris et humoris sufficit conficiendo asino? quantum equo, vulpi, cani, leoni? quæ sunt omnia ejusmodi ut ab ipsis repudientur sensibus; nec aliter faciunt quam qui instrumentis attribuant totum opus, si artificem non videant: scite ab Empedocle Aristoteles quærit, quid illud sit quod in materia, tam varia, et dissidentia inter se, adjuncta contineat, et coerceat, nisi sit vis illa effectionis? alioqui ipsa per se non consisterent, quoniam conatu suo unumquodque ab alio separaretur, et dissiliret, præsertim quum invita videantur coherere: ergo mixtum naturale aliquid est, non per materiam pæne nihil, nec per accidens quod etiam minus est, sed per effectionem, quæ inter inferiora hæc maxime est, et reliqua omnia perficit quibus adjungitur: quapropter et substantia est effectio, et per eam solam sunt nomina substantiæ; per quæcunque alia sunt accidentalia, etiam per partes, ut frondosus, lacertosus, pinguis, materiatus, et per actiones quamlibet intimas effectioni, ut vivens et intelligens, siquidem actionem dicunt, non paratam ad id facultatem.

Quas ob res haud recte illud dicunt vulgo, plantam non sentire propter densitatem materiæ, nam effectionem essentia non nascuntur ex affectione materiæ, immo nulla est herba, quæ non sit rarior quovis humano corpore; in materia est ef-

fec-

fectio eo connexionis modo ut nullum habeamus similem, quo recte possit exprimi, sed quadantenus est simile succo in pastillo, et aquæ in massa farinæ; neque hæret actus in materia, ut accidens, nam hoc magis dicitur adhærere, effectio inhærere, seu verius *inse*, quæ in intimis ejus est, quamcunque partem spectes, adhærentia superficiæ applicantur, etiam illa quæ in occultissimis videntur affixa, si enim retergeretur quod est rectum, ut calor in visceribus, in extima superficie deprehenderetur adjunctum, haud aliter quam litteræ in libro clauso, vel aqua in spongia, seu panno: et quemadmodum effectiones per se carent materiæ, ita sunt a Deo essentia quædam condita, etiam minus sensus nostros ferentes, et propinquiores divinæ naturæ, nam effectiones fere extendi videntur per corpus, quod declarant stirpes, et quædam repentia in modum annulorum compacta, quæ si partiaris, frustra per se vivent, porro illæ alteræ essentia extendi non queunt, nec in materia ulla possunt diffundi, refugiunt enim molem omnem; quæ *spiritus* a nobis nominantur, quoniam inter ea corpora, quæ nos sensibus usurpamus, nullum est *spiritu* tenuius, ideo illuc quoque id nomen transtulimus, ad ea notanda, quæ nihil haberent crassum, nihil expansum, hac parte similes Deo, qui omni prorsus caret corpore, ac commistione, nam si sancta illa et immortalis natura corpus aliquod haberet, ut homo, jam non per se viveret, sed per aliud, videlicet per animum, et aliquid in eo esset imperfectum, quod virtutem atque absolutectionem aliunde mutuaretur, nempe corpus ex animo; et sicut homo non ex materia hoc est, sed ex animo, ita et Deus nomen suum ab animo acciperet, aliquidque in eo inveniretur non Deus; immo conflaretur ex iis, quæ non sunt dii, quemadmodum homo ex iis, quæ non sunt homines: si aliud haberet genus concretionis et corporis, ex minutis diis constitueretur ille maximus Deus, non aliter ac tota aqua ex aquis particularibus; at vero humanum ingenium, paullum modo si se conetur erigere, ducente naturæ luce, facile assequetur esse spiritus a Deo conditos, diversæ multo conditionis, quam sunt hæc corpora quæ sub sensus veniunt.

De spiritibus, seu mentibus.

Deus corpus non habet.

Omit-

Mixtum naturale.

Accidentalia.

Omitto quod ad mundi magnificum ornatum pertinet esse substantias aliquas molis, quas sensus capiant, aliquas omnino molis expertes, quas sola mens: sed quemadmodum sunt aliqua res conditæ multum Deo dissimiles, ut quas videmus, et tangimus, ita par est aliquas esse naturæ simplicitate similes; et sicut Deus, quum sit uniusmodi, atque impermixtus, tamen quadantenus videtur conjunctus mundo, quum illum moderatur, quadantenus disjunctus, quum consideramus per se sine mundo, tum etiam contemplari est illum et mundum temperantem, salutemque illi præsentia sua conferentem, æqualem mundo, et sine mundi administratione priorem mundo, ita convenit duo esse genera spirituum, alterum corpori admistum, quod regat corpus, et vitam illi ac salutem præstet, æquale corpori, alterum corpori non admistum, prius omni corpore; et sicut Deus in illa simplicitate res universas mente atque intelligentia continet, sic esse convenit res ab eo creatas, quæ omnia certe, quadam ratione, captu intelligentiæ suæ possint complecti; jam in hoc ordine operum Dei, quum ea quæ intuemur tam sint auctori dissimilia, par est non deesse similia aliqua; unde etiam mens, ut plena sint omnia, eam quoque similitudinem requirit, quæ unum faciat, quod jam opus dici non possit, sed idem ipse; videmus tam remota ab illo, necesse est esse proxima, necesse est esse conjunctissimum aliquid; nec fas est locum aliquem esse in hoc spatio, et quasi ordine rerum a Deo progenitarum, vacuum, quo natura abhorret, nec patitur auctoris sapientia et potentia, vacuum dico, non rebus, sed rerum cum parente suo similitudine, ac conformitate; atqui mens, a Deo ad meram et nudam materiam progrediens, in maximum locum inanem sibi incideret rerum spiritualium: quid quod cognitioni, et iudicio sensuum, esset factum abunde, iudicio mentis non satis? Sensus haberent sua propria quæ caperent, mens non haberet quo sine sensibus se attolleret.

Volo autem post hæc dici mihi, quæ quantum quidem humanum ingenium potest assequi, quæ tandem condendi mundi causa? quæ qui finis tantæ molitionis? sive conditus fuit aliquo
tem.

temporis initio, sive æternus est, nam de hoc mox videro; Pythagorici, et Plato, bonitatem Dei dicunt esse causam; quod quum bonus esset, boni autem natura sit nulli invidere, voluit beatitudine sua non se solum frui, sed alia procreavit; quibus se communicaret; communicare se omnibus principem naturæ, aliis magis atque evidentius, aliis minus et obscurius, etiam Aristoteles sentit; videmus enim res omnes, quantum ipsis per vires naturæ suæ conceditur, assurgere ad imitationem, ad similitudinem, et participatum quendam æternæ illius atque infinitæ perfectionis auctoris sui; aliæ quidem magis aliis, prout nactæ sunt gradum sui erigendi; ut omnia videantur illum pro modo suo suspicere, admirari, amare, et cupiditatem se illi conjungendi, quibus possint signis, attestari: quod si se ille, ac suam indicibilem beatitudinem, communicare aliquibus voluit serio, ac bona fide, profecto aliqua necesse est procreavit, quibus se amplius ac perfectius communicaret, quam istis quæ sub sensus veniunt; ut enim tenuis est, ac prope nulla, communicatio rerum torpentium, et perpetuo manentium in vestigio naturæ suæ, sine mente ac sensu, quænam est etiam brutorum communicatio? quæ hominum, quandiu hic corpore hoc clauduntur? Hicine est finis tantæ constructionis? converti certa lege astra et cælos, inde inferius nasci omnia, tum ali, crescere aliquousque, paulisper vigere, sensim relabi, ac interire? Stati isti maximorum corporum motus, surgentium, et cadentium vices, hæc, quam Paulus jure vanitatem appellavit, cui creatura omnis in hoc seculorum cursu subdita est, quem fructum aut delectationem adferre potest sapientiæ ac gravitati Dei? quum nec prudenti inter nos viro ullam adferat, nec velit homo sapiens ea gratia quicquam agere, nedum Deus illa sapientia et altitudine mentis infinitæ: ergo ad veram et justam sui communicationem progenuit indubie aliqua, quæ possent illum primum, qui, et quantus esset, intelligere, ex intelligentia amare, ex amore velle illi conjungi, et ex conjunctione atque unione consortes fieri ingentium bonorum illius, et in communionem venire immortalis felicitatis.

Quos ergo ad hæc condidit, tales utique condidit, quales
esse

esse conveniret qui hæc possent assequi, ad intelligentiam immaterialis, immateriales, et mente celeres, atque actuosos, neque enim bruta hebetudo rem adeo subtilem penetrabit; ad unionem cum simplicissimo, simplices, cum optimo bonos; quomodo enim aliter poterunt uniri sibi multo dissimillimæ? præsertim amoris copula, quæ dissimiles nunquam connectit: Quoniam similitudo amoris est sedes, dissimilitudo aversionis et odii; ad hæc, si gustata semel hujuscemodi felicitate, mortales se esse recordarentur, et aliquando devolutum iri tantis bonis, amarissimum beatitudini admisceretur condimentum, adeo ut beatitudinem esse non sineret; ideo quos amor ac unioni suæ condidit, et capaces suæ felicitatis, immortalitatem quoque est impertitus, tum quod tales esse congruebat, qui immortalem intelligerent, quique immortalis connecterentur tamquam recepti in amicitiam, tum ne interitus memoria tanta illis gaudia, etiam quando perciperentur, eriperet: quibus de causis, et rationibus, mentes esse aliquas necesse est intellectio- nis participes, simplices, atque in sui natura omni corpore liberæ, quæ per amorem auctoris sui fiant bonæ, illique in beatitudine uniantur ad æternitatem victuræ: certe mens nostra quemadmodum fieri aliter potuerit, ne comminisci quidem potest: hos, sicut dixi, spiritus nominamus, inter quos primo loco sunt illi, qui de officii nomine vocantur Angeli, quibus Deus utitur ad ministerium mundi, simplicissimis, et ideo agil- limis, sapientissimis, optimis, fortissimis; tales esse decet ad- ministratos Dei ad res maximas; pares istis sunt origine naturæ, impares conditione, quidam qui a Deo desciverunt; ideo de- fectores nominantur et transfugæ, nec cessant homines sollicita- re ut etiam a Deo deficiant, quanquam indubie peccatum re- tudit eis vires, et aciem naturæ, ut in hominibus.

Secundo loco sunt animi nostri, impares excellentia natu- ræ Angelis, de homine enim dicitur in Psalmis, *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*; spiritus hos esse *ovias* non minus quàm nostra sensata, certum est, nam quum sint conditione ac na- tura sua præstantiora, certe non erunt minus aliquid quàm illa; sed an etiam substantiæ sint accidentium, quæri potest: ha- bent

Angeli.

Dæmones.

bent illa entia affectiones quasdam suo illo modo, quibus in- telligunt, judicant, volunt, nolunt, nec aliter illis hærent pro ratione suæ naturæ, quàm sensatis sensilia, nempe foris, ut si anima nostra, vel Angelus, fieri posset corpus, ita existerent in eo illa ejus adhærentia, ut in nobis quæ cadunt sub sensus; sed quod de sensatis nescitur an eorum sensilia, et reliqua ad- juncta, re ab ipsis distinguantur, multo minus de spiritibus: nos autem, de his eadem figura pergamus loqui, qua cœpi- mus. Quæsitum; quot sint mentes illæ, quos nos Angelos nun- cupamus? Aristoteles quinque et quinquaginta posuit, vano Eudoxi commento adductus de orbium numero; sed multo plu- res esse congruit, sive administratio spectetur tanti et tam mul- tiformis regni, sive tanti principis majestas, sive communica- tio felicitatis divinæ, ac sempiternæ, quæ fuit condendi mun- di causa; quanto ille verius numerum accepit Daniel, qui vi- dit Deum in solio sedentem regni sui? *Millia*, inquit, *millium ministrabant ei, et myriades myriadam assistebant ei*: Christus, ho- minum atque Angelorum dominus, decem Angelorum legio- nes paratas sibi esse dicit a Patre, si poscat, ut pudeat homu- lum ei resistere, cujus imperata obedienter faciunt tanti exer- citus, quorum cuilibet militi vel sapientia, vel robore non va- let quicquid est hominum comparari.

Quot sint Angeli.

Entia omnia, sive subsistentiæ, sive adjuncta, alia veniunt paullatim ad essentiam, alia statim totam simul essentiam nan- ciscuntur; homo, et animantia omnia, et stirpes, et lapides, et metalla, denique quæcunque molem aliquam habent, paul- latim fiunt, atque adolescent, ea itidem hærentia, quæ sensi- bus intelliguntur, et alia ad eundem modum, ut artes, et pru- dentia, et virtutes, et vitia; accipiunt simul totum esse suum quæ mole carent, ut Angeli, mentes nostræ, et quæ inhæren- tia partes non habent, nec crescere dicuntur, nec minui: et eorum quæ sunt, alia simul eodem momento habent partes sui omnes, ut saxum, homo, viriditas, alia fluxu quodam ferun- tur, ut motus, et tempus, quæ nec unquam sunt tota, et in quacunque sui parte dicuntur esse, ut hora, et annus: *in his* vero quæ paullatim velut in lucem hanc naturæ emergunt, sunt

Quomodo res veniunt ad essentiam

Terminus
naturæ et
noster.

quæ habent naturæ terminum, sunt quæ nostrum; homini enim, et rebus quæ natura constant, natura ipsa terminum statuit, ad quem quum pervenerint, recipiant essentiæ illius nomen, nempe hominis, quod prius erat embryo, aut cadaveris, quod prius homo, aut cineris, quod prius lignum, et fructus, quod prius flos; atque *in his* sunt certi termini, et tamquam puncta, ante quæ nondum est hoc, sed simul primum attingit metam illam, jam est hoc omni loco, omni tempore, quæ a nobis ignorantur, nos vero limites iis posuimus, quæ sunt, multa, pauca, magna, parva, longa, brevia, lata, angusta, denique quæ numero et magnitudine constant; hæc enim nostris judiciis metimur, sicut illa per nos conficta, clarus, obscurus, dives, pauper, quæ etiam ad priora referuntur, mensuræ, molis, aut numeri: omnis porro mensura non rei est, sed metientis animi, quocirca hæc certum nullum habent terminum, quandoquidem nos crassius res determinavimus, quàm natura; alia aliis videntur, nec quicquam statuere potuimus quod omnes reciperent propter varietatem sententiarum in humano genere.

Itaque difficile dictu est quo termino indivisibili aliquid dicatur magnum, quo pauper, quo dives, quo acervus, quo populus, exercitus, seges, fluvius, ita ut vel supra illum jam non amplius, vel infra illum nondum sit hoc, denique in omnibus quæ illis constant quæ dixi, multo, pauco, magno, parvo, et hujusce rationis, quæ in nostra æstimatione sunt posita; qua de re non una est velut meta insectilis in nobis figenda, quod est naturæ, sed latus est limes, in quo illud sit hoc, et vel supra vel subter non sit, velut in *acervo* tritici non per grana procedendum, quod faciebant Stoicorum et Academicorum cavilla spinosa, nec in *populo* per hominum singulos, sed in illo per mensuras aliquas, in hoc per quinquagenos, aut centenos: ita enim crasso judicio crassa sunt objicienda, quæ censeat, tum in latitudine illa tanta varietas judiciorum et sententiarum comprehendatur. Quæcunque res semel est ad terminum illum essentiæ suæ progressa, sive naturæ, sive nostrum, est illud quod nanciscitur ex essentia nomen, ut homo, saxum,

pru-

prudens, bonus, dives, acervus, populus, albor, viriditas; et esse hoc, nec in ipso recipit magis, aut minus, ut uno tempore magis sit hoc, quàm alio, nec ad aliud relatum simile; neque enim duorum hominum, aut duorum virorum, alter magis est homo, vel viror, aut minus: in accidentibus vero, quæ recipiunt majus et minus, id est, quæ crescere et minui diximus, ad substantiam comparatis, magis est ac minus, ut in albo, et viridi: apposita substantiæ ad accidentia pertinent, sicut humanus, quasi mansuetus, marmoreus, quasi habens in se marmor, uti album, habens alborem, unum est magis altero; si quis tamen spectet essentiæ rationem in albo, aut justo, magis quàm inhærentiam subjecto, nullum justum magis est alio justum, aut minus, sed ex subjecto eui hæret justitia, huic plus, illi minus; quum vero magis et minus sumuntur pro *potius*, aut *similius*, aut *propinquius*, vel nomina *substantiæ* pro *accidentalibus*, possunt tum quidem illa adverbia essentiæ adjungi.

Græci magis sunt homines, quàm Scythæ: non pro essentia humanitatis, sed pro actionibus illius, ceu quis dicat: *humaniores sunt, plus valent ingenio et ratione, et iis quibus censentur homines*: sic viror hic magis est viror quàm ille, id est, plus habet præstantiæ, nitoris, et actionis, nempe exhilarandi oculorum intuitum, et alia hujus notæ; Amazones magis sunt viri, quàm Phryges, magis exhibent actiones et opera virorum; magis civis qui natus, quàm qui ascitus, quasi præstantior, et plus existimatur agere ea, quæ sunt civis; crocodilus magis est serpens, quàm piscis, id est, similior; et laterculus bene coccus magis petra, quàm crudus: hæc omnia ad accidens referuntur, nempe ad actionem quæ se profert, aut inhærens aliquid occultum, quanquam vicinitate primi ac veri entis sunt quæ dici possint magis aut minus entia, sicuti postea demonstrabitur. *Quas vires et facultates* Deus vel spiritibus, vel effectioibus attribuit, vel adhærentibus, vel sensatis, denique omnibus, ad agendum in alia, vel ut aliorum in se actiones recipiant, *naturæ* nominantur; ita nihil est aliud *natura*, quàm

Esse non recipit magis aut minus.

Natura.

natura ignis est calefacere, et stupæ accendi facile, ferri non tam celeriter; et quoniam a Deo hæ sunt vires ingenitæ, voluntatis illius sunt, cujus causæ a nobis nesciuntur, quum sint tamen maximæ, sapientissimæ, æquissimæ.

Sunt naturæ quædam minores, seu privatæ, aliæ majores, et publicæ; in unoquoque est sua natura in effectione posita; est vis quædam in cœlis, est vis sparsa per orbem totum, leges videlicet in origine a Deo sancitæ; hæc est communis, quæ proprias connectit, et complectitur, ut unum tamquam corpus ex illis ceu membris coalescat mirifica connexionem, easque majoribus suis viribus fovet, adjuvat, ut bonus princeps subditos, aut ut filios pater quantum ei licet, et quatenus se minores illi accommodant, et præbent faciles, unde incredibilis nascitur cuique caritas erga illam, tantopere, ut se ipsas deserant, si ita naturæ publicæ expediat; neque enim ascendet aer, nec descendet aqua, ne sit vacuum quod abhorret generalis natura; et membra nostrorum corporum, modo integra, pro toto corpore naturaliter se se periculo offerunt, non levi hominum documento unicuique salutem publicam privatam debere esse antiquiorem, quandoquidem et in communi propria continetur, sicut in iis qui eadem vehuntur navi: nam hoc etiam indidit omnibus natura, *nihil privatum salvum fore, si male sit reipublica*: sed imagine quadam cujusmodi sit natura commodius exponatur: non aliter considerandum est naturam omnem esse a Deo paratam, ac instructam, quam videmus machinam aliquam automatam, horologium puta, aut similes, ab artifice componi, ac per momenta sic intendi, ut illa deinceps ultro moveatur, et aliquid efficiat: tale quiddam est in prima constitutione naturæ: hoc modo est discrimen; quod artifex homo a machina sua abscedit, et sinit eam per se opus exequi, Deus adest semper suæ naturæ, instructionem illam præsentis suæ ope continens, quam opem semper ei infundit, non secus quam ab anima corporis harmonia conservatur; itaque aptior fuerit et propior imago, si velut neurospastam quendam consideremus Deum.

Ceterum de conditione mundi ingens fuit inter Philosophos

phos controversia, quos vel affectus agitabant standi pro receptis inter se atque adjuratis opinionibus, vel ignorantia potiorum; quorum sententias alienum videri posset huc adferri: ego vero facile confido me ostensurum, tum *esse a Deo conditum*, tum *aliquo temporis principio, non ab æternitate*: herbam exempli causâ aliquam sumo, quæro, quis eam procreavit? dicunt terram vi sua: quis hanc vim terræ indidit? cœli: quis cœlis, et sideribus eam potentiam? ex se sunt nacti, inquit: at vero qui id dixerit, rem adferet quam nec intelligere quidem possunt hominum ingenia, quod Philosopho, quum de natura disserit, faciendum non est; et profecto nihil se ipsum fecisse, maximo est argumento ab aliquo uno esse facta omnia; ad quem ego rem facile advocabo generis humani testimonium, omnes enim eum, qui præsit mundo, auctorem universorum nuncupant, nec aliud possunt sibi cogitatione comminisci: quod si cœli conditores sunt hujus orbis, quæro certa ne ac necessaria lege, an ne libertate voluntaria? Si certa, quis imposuit? Quæ enim res astringit se ad aliquid quæ possit esse libera? tum, quo consilio in æternitatem dispositi sunt tot et tam varii effectus? certe consilii fuit primum, et sapientiæ, tam multa, tam varia in tantam temporis longinquitatem perpetua serie ordinare, consilium autem et sapientia necessitatem excludit actionum.

Nam quod dicunt, agunt ita, nec aliter possunt, quoniam sic mundo expedit; quàm innumera sunt, quæ non minus mundo conduceret aliter fieri! an etiam tot habere me pilos, nec pauciores, nec plures, tot esse herbarum genera, ad salutem mundi, pertinet, accepturi maxima detrimenta, si diversum accideret? At vero si libertate quadam, cur in tanta æternitate nullæ extiterunt aut paucissimæ rerum species? immo vero cur non alius orbis? quum vis eadem sit nunc, quæ prius; jam interrogo istos, utrum cœli tamquam machinæ quædam per se agitentur, nec ullum habeant consilium, an habeant? Quid dici posset insanius, quàm sine mente, sine consilio, agitari res ordinis et pulchritudinis admirandæ? sin habent a quibus agantur et regantur, velim scire, quæ sit causa

Mundus aliquando conditus.

tot,

tot, et tam variorum affectuum, quot se nobis ostendunt per anni vices? respondent, motum cœlorum: ergo illæ primæ et potissimæ erunt causæ quæ cœlos movent; nam si libratio halterum efficit, ut ad certas dimensiones pulsantur horæ, nimirum magis erit horum pulsuum causa, qui halteres composuit, et libravit; et si torni conversio effecit toreuma, verius id effecit toreutes; de his vero qui regunt cœlestes illos globos, ille erit summus, ac præstantissimus, qui reliquos torquet, ac regit, quem sane Deum appellent licet: video quibusdam *aquam herere*, quod ajunt, in materia, ut eam existiment non esse a Deo conditam, sed in ea versari, atque exerceri Dei opificium, ideo illum opificem, atque artificem, et instructorem, et dispensatorem, et fabricatorem mundi nominant, magis quam auctorem, quod est oppido quàm stultum; placet illis effectiones omnes a Deo condi, an non plus est effectiones tantæ excellentiæ condere, quàm materiam brutam et torpentem? omnes creati et finiti artifices in materia operantur, et se exercent, si ille inconditus, atque infinitus, ad eundem modum in materie versatur, quid plus præstat, quàm alii, aut ubi est immensa illa ad efficiendum potentia?

Mundum vero æternum non fuisse demonstrant rerum nova inventa, quotidie enim aliquid prodit veteribus inauditum, incognitum, tamquam proficiente mundo; quot genera morborum, artium, regionum vidit nostra ætas, majoribus prorsus ne de nomine quidem nota? tum vetera inventa non longe a suis initiis progressa, ut appareat nova esse omnia? Dicunt mutari vices rerum, et easdem infinities reverti; cur ergo illarum non meminerunt priora secula? Nam nec eluvies, nec exustio terrarum ulla universum orbem semel corripit; certe quæ alicui regioni perierint, vel ipsa, vel earum reliquiæ, vel mentio saltem aliqua apud integras remanserit, si non hominum recordatione, at beneficio litterarum, siquidem æternus est ejus usus, qualem esse in æterno mundo necessarium est; quod si eluvioni, vel incendio, ullus est reliquus, is ad posteros de clade suorum velut per manus tradiderit; sin nemo, sed novi illuc migrant aquis exiccatis, aut conflagratione

res-

restringata, at isti saltem aliquid de origine, antiquaque sua patria posteriorum memoriæ commendarint; quid causæ est, quod nemo unquam hujus novæ Indiæ, alterius hujus orbis, meminuit? Historia Gentilium nulla de iis quæ ante tria annorum millia contigerunt, ac ne litteræ quidem ullæ, ut ante hoc seculum nulli ænei typi; nam quamvis Ægyptia et Chaldæa vanitas annos pro libito suo sibi fingat, non tamen posset dicere aliquid gestum: adde huc, quod illorum quæ habentur antiquissima de Iside, et Phoronæo, recentia sunt apud Græcos, qui minus sibi permiserunt in annorum computatione mentiri; pertinet vero ad Dei magnitudinem mundum esse ab eo factum, ut sciremus quid, et quantum esset, quod posset facere, nemo enim potentiam illius intelligeret in æternitate mundi, quantumcunque diceretur auctor illius, ex nihilo vero procreasse omnia, hoc demum est immensæ facultatis; nam in æternitate virtus auctoris absconditur, quid, quantum, quatenus, quomodo fecerit, latent illic omnia vastissima altitudine demersa, nec quantus ipse per se esset solus, satis judicari posset in æternitate operis; pertinet ad Dei bonitatem existimari conditum, ut intelligamus quemadmodum voluerit se communicare, nam sub æternitate necessitas quædam occultatur, quæ pretium bonitati detrahit; quis enim bonum esse censeat, aut ei habeat gratiam, quem quæ agat, aliter non posse agere arbitretur? Tum, ut nos sciremus, qua nobis esset cum illo beatitudine perfruendum, nempe non ea, quæ est in conversione cœlestium sphærarum, aut rebus condendis, sed quam in se habebat solus, sibi sufficiens, ante mundum procreatum.

PRIMI LIBRI FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE INTIMO NATURÆ OPIFICIO,

SIVE DE PRIMA PHILOSOPHIA,

LIBER SECUNDUS.

DE natura et materia pergamus dicere; de quibus ita est sentiendum, ut sit velut artifex quidam Natura, sed conditus, edoctus, atque instructus a Deo, cui Deus materiam assignavit, ut in ea vires et facultates illas exerceret, quas ab ipso accepisset; quocirca, non est quidem æterna materia, semel tamen cuncta est producta, nam quantumcunque, inter hæc, naturæ actiones cadant, vel oriuntur effectiones, et adhærentia, nihil materiæ perit; discinditur quidem, et dissipatur, et aliunde transfertur aliò, nec usquam subsistit; nunquam tamen consumitur, neque partem ullam amittit sui, alioqui in tanta continuatidne, ac serie, eorum quæ generantur, et intereunt, jam esset tota pæne consumpta, et constringi oporteret cælum, ac terræ admoveri. *Agens vero est natura, et in hanc materiam;* porro agentis non est conficere sibi materiam, sed in aliunde acceptam operari, ita qui materiam opificio naturæ suppeditavit, prior est natura, ut prior qui cædit silvam, quam qui navem fabricatur; quòd si crearet materiam natura, certe creando aliquid ageret, atqui actio naturæ omnis est *in aliquo*, et *in aliquid*, cedo; quid substitueretur actioni parandæ novæ materiæ? Quæ porro essent actionis instrumenta? utique ex illis aliquid hæreret materiæ, quod esset illi congenitum, et proinde naturale: ergo parens et effector materiæ ille est, qui nec instrumentis eget ad agendum, nec *in aliquo* aut *in aliquid* operatur, sed per se *in nihilo*, cujusmodi *nulla est natura condita*, sed *solus Deus*.

Materia hæc nullam omnino habet vim, idcirco nec natu-

turam, præter hanc, *nullam habere vim, nullam naturam*, ut omnium sit capax, nisi quis forte hanc vocet ad patiendum facultatem et naturam: ergo quum vis illa sit velut artifex, sive ad actionem, sive ad passionem (nam passio quodammodo est actio, et artificio est opus ad commode ferendum, ne momento temporis actio passum absumat) indiget vis illa ad utrumque instrumentis, nam per se solus divinus artifex operatur, ceteræ res omnes instrumenta adhibent; nec quælibet instrumenta sufficiunt, sed certa, et ei quod efficiendum est consentanea, sicut non quocunque lignulo pictor pro penicillo utitur, pingendo, nec scriba pro calamo, scribendo; at quum omnia quæ sunt in actione, serviant fini, artifex suo opere intentus tota actione nihil conatur aliud, nisi parare viam et facultatem fini, ut his ille, si sit vis aliqua, utatur, quæ parata invenit ad actionem suam exercendam, vel ferendam passionem, aut si nihil sit aliud quàm forma, ut in artificialibus, habeat promptam materiem sibi idoneam in qua quiescat, ut quodam modo videatur *pater filio thesaurizans naturæ instinctu*, sicut Paulus inquit; sic natura in bulga matris organa fabricatur venturæ animæ congrua; tum effectio illa ingressa, ea instrumenta, quæ ipsi prior elaboravit facultas, elimat, aptat, et reddit sibi, quoad ejus præstare valet, appositissima, velut anima membra corporis calore fovet, auget, corroborat, nisi forte hæc quoque aptatio beneficii est prioris naturæ.

Et non secus quàm artifex diversis instrumentis diversa, ac sæpe contraria, operatur, ejusque opus commoditate instrumenti adjuvatur, incommoditate impeditur aut fit deterius, ita in natura eadem facultas, diversis instrumentis, tum varia, et pugnancia efficit, videlicet, eadem anima in oculo intuetur, in aure audit, in appetitu, quem ducit Phantasie judicium, vult, in voluntate, quam ducit ratio, non vult, tum expeditius fit opus, vel impeditius, ut visio per oculum, operatio per manum quinque digitorum, aut trium, nam effectrix utique eadem est, sicut idem scriba, vel faber; quocirca, bene paratà materià a natura priore, inducitur natura posterior, tamquam hospes in hospitium, eadem instrumenta, et paratio, quum de-

teritur ac minuitur, et ad agendum facultas fit tardior, et ad patiendum imbecillior; unde sequitur facile a contrario corruptio: non ergo generationes et corruptiones sunt a materiæ pronitate et natura, quæ nulla est, nec magis ad effectiorem aut faciem hanc vergit quàm ad illam, neque mutationes desiderat, neutra est enim ad quamcunque effectiorem, et formam, sed ab hac materiæ adoratione, et quasi instrumentis facultatum ac naturarum, ortus ac interitus existunt, quoniam effectiões, quæ sunt actuosæ ex se ac vividæ, quum destituuntur agendi facultate, contabescunt, et extinguuntur: accedit huc quòd perpetuæ sunt aliarum naturarum in alias actiones, et quasi pugnæ, quum nihil sit quod contrarium non habeat, vel ex ipso natum, quando aliunde deest: per instrumenta alia fortius agunt, alia infirmius resistunt, quæ natura infirmius resistit, et quasi despondit animum, facultatem inimicæ præbet validius agendi in se, at quæ agit fortius, facultatem resistendi constringit in altera: ita una generat quod vult, altera discedit victa, et perit, ut corruptioni adjuncta sit semper generatio, et huic illa.

Prima præparatio materiæ.

Prima præparatio materiæ est velut pinsio quædam confiendi panibus, ut jam temperata sit, quasi que mollita, et subacta usibus naturæ, corporibus generandis, inducendis effectiões, et viribus exercendis; simul peculiaribus sensatis prospexit Deus, simul universitati orbis; ut materia non informis jaceret, atque indigesta, sed concinnata recipiendis viribus, et conducens ornatui, atque usibus mundi hujus; non est indurata, multa subactione, et effectiões inductis, quæ multis et fortibus instrumentis armata, negotium facessent naturæ operanti, nec facile concederent, sed leviter adjunctæ sunt effectiões, paucis instrumentis, et tamquam infirmis satellitibus munitæ; quæ non solum loco cederent naturæ manum operosiori actioni admoventi, sed illi etiam, instrumentis suis quæ in materia relinquunt, auxilio essent. Principio, quòd non est visum auctori universorum res omnes jacere torpidas, et quasi emortuas, nec in invicem expediebat agi et concitari omnia, idcirco ignem actuosum, vigentem, celerem condidit, quod vel as

Quatuor elementa.

pec-

pectu ipso intelligitur vi et agilitate perpetua, terram vero firmam, atque stabilem, quod indicat densitas, et frigus pigrum, et quies sempiterna, et mundi locus medius, unde nihil necesse haberet aliis cedere, quo feruntur omnia quæ stabilitatem habent, et unde levia discedunt; itaque alter irrequietus semper sursum contendit, altera continuo sidit, nec se postmodum ultro commovet: erant etiam hæc idonea humanis sensibus, quod tamen est posterius, nempe ignis aspectui, terra tactui: verum duo hæc, quum tantum inter se natura sua distent, jungi non poterant sine medio.

Atqui est apud Timæum Pythagoricum, et Platonem, vinculum id est aptissimum, atque pulcherrimum, quod ex se, atque iis que adstringit, quàm maxime unum efficit; id optime assequitur ea, quæ Græce dicitur analogia, Latine comparatio, proportiove, dici potest, quod apte visum est posse fieri non tam uno vinculo, quàm duobus, nempe, aëre et aqua, ut aër vicinus esset igni, aqua terræ; aqua densitate et frigore conciliaretur terræ, aër igni, raritate, et liquore, et lubricitate sua, morigerum se illi præbens; aqua humore suo friabilem terram, ne disgregetur, contineret, cohiberetque, simul humido rigore velut frenos igni injicit, ne omnia prærapidus absumat, aër igni suppeditat leve alimentum, se ipsum, et quæ; sublata ex aqua, ipse agitationibus suis extenuat, et prope in naturam suam convertit, ne ignis, spissum ac solidum nactus alimentum, ita in eo invalesceret ut periclitaretur orbis iste; adde, quòd ab igne superne concitatus, non sinit aquam, et terram, et media corpora torpescere; ad hæc, insinuatus per loca omnia tenuitate et lubricitate sua, facile sine incommodo scindentis dissipatur, simul etiam auget corpora hac insinuatione, dum aperit præcedens, et nutrimenti receptacula aperta continet, donec solidiori nutrimento cedat unde viventia sustentantur, et crescunt; denique quascunque impressiones aliunde invectas facile in se admittit, quoniam sic est usu naturæ, ut qui sit medius, et per inferiora hæc omnia diffusus: junguntur ergo et tamquam commiscuntur subtilissimum inferius cum superiore crassissimo, et ita aqua aëri applicatur ut sensim videatur in

Ee 2

aërem

aërem rarescere, ita aër aquæ ut sensim in aquam incrassari, non aliter quàm videmus in anno fieri, vel in hominum ætatibus, aut in habitu partium diei, fallente atque indeprehensibili transitu, nisi postquam transierunt.

Corpora hæc, ignis, terra, aqua, et aër, primum his inhærentibus, et quasi vinculis, sunt inter se connexa, et temperata, *calore, frigore, humore, sicco*, ut humor adstringat ariditatem ne dissolvatur, ariditas frenum sit humori ne universa inundet, frigus calore moderetur, calor frigus temperet, calor humore fiat tardior, ariditate acrior; hæc est prima illius rudis materiæ pinsio, speciosa mundo, et naturæ, sive in præsens, sive si quid majus molitur, utilis; sunt enim quatuor hæc, ad agendum, et ad patiendum, conducibilia naturæ, et proinde generandis ac corrumpendis rebus; quæ ita a nobis sumantur, non ut sint corpora sic affecta, sed ut affectiones corporum, et adjuncta, unde statim alia ex horum actionibus nascuntur, videlicet, calor, ut est actuosus, et subtilis, inferiorem locum refugit, qui est quietis, et torporis, superiora appetit, in quo diffundat se, et dilatet, et agat, et vigeat proximus illis cœlestibus motionibus, quibus nullum est otium; ideo multi locum assignant igni naturalem *concaævum globi lune*, sicut terræ *medium mundi*, de quo est alibi disputandum, sed certe locus ille est calidissimus omnium, et ignitus; calor humido pascitur, idcirco omnia in quæ invadit, quantum est virium suarum, exiccat, quo fit ut in humido segnior sit calor, frenum est illi humor, non minus quàm pastus, et calor occupatus intus in humore consumendo foras exit lentior, in sicco acerrimus est, quum omnia sint intus victa, foras erumpit seu famelicus, et rapax, et vorax, ut stomachus in esurie; qua de causa difficile videri posset multis temperationem qualitatum naturalium aëris, aut ullius omnino elementi, ex calido et humido misceri, quippe quæ violente cohabitant; quod si naturaliter et pacate possent in eodem considerare, ea sola commistura vitam animantis efficeret, atque ad immortalitatem fulciret animam in corpore, alimento semoto.

Seneca vero, et alii Stoici, aërem opinati sunt non calidum

dum esse, sed frigidum; argumento esse illius medium, ubi maxime purus et naturalis est, nam utrinque ex vicinia inficitur; Pythagorici quoque *æthera frigidum* vocant aërem; sed profecto magis videtur aër alienarum qualitatum capax, quàm suam ullam propriam sortitus, ut a superiore corpore accendatur, atque exiccetur, ab inferiore autem humectetur, in medio vero quod sit frigidus, non naturam ipsius demonstrat, sed quod ex cœlo, et terrarum vapore solis tepefacto radiis, utrinque ad medium rigor pellitur, ubi cogit se ac corroborat actione cohibitionis, quam Aristoteles *ἀντιπεριστάσιον* vocat; ita ut existimari possit inter ignem et terram unicum esse medium, aquam scilicet, eamque, ex naturæ commodo subtilissime extenuatam, superne aërem nuncupari, principibus qualitibus, in tanta materiæ tenuitate, aut elisis prorsus, aut leviter admodum hærentibus: sed redeo ad qualitatum opera: frigus tardum est, et pigrum, ideo subsidit, et is putatur locus frigidorum, nempe, imus; indicio est levius esse ferrum ignitum rigenti, et hominem vivum quàm cadaver, reliqua ita fiunt gravia, et levia, prout hoc aut illud participant: glutinum rerum est humor, qui si abesset, omnia friarentur in pulverem, sicut fit in aridissimis arenis; et quoniam caloris est pastus, eum calor quum invadit, distarat, ut in aëreum liquorem convertat, quo facilius et in se ipsum, sicuti cibus conficitur in corpore, ut paulatim quàm simillimus reddatur corpori, et a similitudine fiat idem; itaque calor humida resolvit, extenuat, rariora facit; hoc est, ut minus sit materiæ in æquali loco, aut tantundem in majore, nam rarum et densum, sicut parvum et magnum, relatione dicuntur inter se; extenuato humore, et absorto in vaporem et auras, quod siccius superest abscedente calore contrahitur.

Quòd si omnino glutinum sit absortum, fit multo minus quàm antea, ut cernere est in cineribus, qui tanto minores sunt quàm lignum, et in corio, et aliis, quæ postquam affectæ sunt vi caloris, integra manent, minora restant, instat enim, et extenuat humidum excalfactum; ita membra animantium tument in exercitio, et in æstate, frige facta vero, longe sunt

Quatuor prima inhærentia.

Temperatio aëris.

Qualitates secundæ.

sunt minora quàm prius, nam resolutus est humor, quem calor exurit; neque vero ita calor depascitur humorem ut corrumpat penitus, nihil enim materiæ perit in natura, sed igne extincto, ilico in auras abit; quod humore est velut illitum, fit leve, ut corium, cutis juvenum; is humor si absit, et ariditas extremas partes occupet, fit asperum, inæquale, et rugosum, quod videmus contingere in corio igni admoto, in quo primum omnium humor ille absumitur superne fusus, neque enim ex inæqualitate sola est asperitas, nisi accedat siccitati, quid enim aqua levius etiam in tempestate, et altissimis fluctibus? Et quum frigus ad centrum se cogat, calor vero ad extrema provolet, fit, ut humori additus calor, ampla reddat extrema, humori additum frigus minora, densiora tamen, velut in glacie, et in hominum manibus, ac pedibus, quæ membra ampliora sunt in viris, quàm in feminis; si quod est glutinum in corpore vel densum disraratur, vel abstrusum foras elicitur, fit molle, ut in cera igni admota, in hastis, in cornu, in ferro; quod vero densius habet glutinum, et plus sicci, durius est; durum est enim cujus partes tactui non cedunt, molle contra, ita secundum comparisonem hæc dicuntur ad actionem tangentis; neque vero idem esse quis putet densum, et durum nec idem grave, et durum, quippe plumbum mollius est ligno, quum sit densius, ac gravius, sed in eo liquor est major; quod humorem habet glutinosum ut partes densæ tenacius inter se compingantur, est lentum, tamquam corium, radices aliquæ, ut raphani multi, et napi; quod vero humorem habet aqueum, hujus partes leviter compinguntur, fit tenerum, quandoquidem partes infirmè connectuntur, facile separantur; sed hæc jam *secunda* sunt *philosophiæ*, sicut illa de coagulo, fractione, comminutione, scissione, impressione, et ejusmodi, quæ Aristoteles pro solita sua diligentia persequitur in libro *μετεωρολογικῶν* postremo.

Hæc ergo, terra, ignis, aqua, aër, elementa sunt mundi hujus inferioris, et tamquam materia naturæ ad agendum apta; non ipsa sunt materia, sed ne illa rudis atque incondita jaceret, hæc qualitatibus est ornata, quæ naturæ operanti facile

sub

subservirent; idcirco elementa hæc fusa sunt per hoc totum quod cernimus, ut prompta sit huic artifici materies, et ad manum, in qua se exerceat, et unde opera sua proferat, ut si quis, domum alicujus opificis ingressus, aliquam conspiciat materiam passim jacentem, nihil dubitet quin ea sit materia illius opificii: sed de eo inter sapientes disputatur, an illa quatuor insint in unoquoque composito constante ex massa illa (de qua diximus) et specie substantiali? Verus quæstio, ex explicatu difficilis: in hac tamen nostrarum mentium cæcitate utendum est sensibus manuductoribus, ut mens judicet ex iis quæ illi nuntiant, quæque ipsi percipiunt vel in rebus ipsis, vel in earum actionibus, vel in iis quæ similitudinem habent cum natura, nempe artibus; sed de artibus, nihil nobis in præsentia illæ adferunt, quæ compositionibus non utuntur, sed solitariis rebus, ac simplicibus, detrahendo, aut formando; compositionum vero, quædam iis rebus constant quæ inter se non pugnant, cujus naturæ sunt, *gemma cum auro, lana cum serico, stannum cum plumbo*, aliæ ex iis quidem quæ possunt, sed non commiscentur, tantum applicantur, ut quum fiunt *imaguncule ex saccharo, zinzibere, cynamomo, pipere*, integris, aliæ ex comminutis et commistis fiunt, non tamen copula additur qua uniantur ut quum eadem illa contrita permiscentur, deest enim humor, quod est glutinum, aliæ compositiones habent omnia, sed proportione actionis, et passionis, tam inæquali, ut celerima sit actio, ac prope momentanea, sicuti quum *paucæ guttæ aque in amphoram vini sunt infusæ*.

Quærendus est ergo opifex aliquis proposito nostro conformior, qui partes non solum applicet, sed commisceat, et mutuo insinuet, confundatque, et inter se pugnantia committat, quæ vires ad diurnitatem pugnæ adferant, et glutino compingantur ac coadunentur: tales mistiones apud coquos, et pharmacopolas, est videre, qui in hoc quoque student, ut quemadmodum natura animantium corpora suis compositionibus finxit, ita ipsi suis conservent ac reparent, naturalibus, quantum efficere possunt, similibus; sed de pharmacopolis dicamus, quorum temperationes velut imagines quædam sunt na-

An quatuor
elementa
sint in uno
quoque mis-
to.

tu-

turalium. Itaque de pharmacis, quæ illi conficiunt, in aliis simplicia manent integra, ut in cataplasmatibus quæ vulneribus adhiberi consueverunt, sic elementa integra videmus in pruna ignis; in aliis sunt penitus extrita, vires solæ, et agendi, aut patiendi facultates, quæ in illis prius erant, existunt apertæ, et promptæ, ut in theriaca veteri, quod cernimus in corporibus animantium omnium; in aliis vires quidem sunt reliquæ, sed consopitæ excitantur calore, nempe agitato, vel igne admoto, ut in theriaca nova, sic animadvertere est in vino, aceto, herbis multis, interdum resolutione, ut si in aquam immittatur saccarum, manifesto cernentur partes quædam sidere, nempe terræ, aliæ superiora petere, nempe aëreæ, vel igneæ, hoc deprehendunt quotidie qui resolvunt mista, et substantias segregant; in aliis unum aliquid existit, vires aliorum in eo sunt absortæ, ut nusquam compareant, sicut in uno diluto, ita in coagmentatis naturæ.

Sunt in quibus ex manifestis qualitatibus omnia dicas terram, minimum reliquorum, quæ torpida sunt et stabilia, ut metalla et saxa, sunt quæ plurimum habent aquæ, torpida, fluida, mollia, tenera, non solum illa composita, quæ inchoata nominantur, nix, grando, ros, pruina, sed caro ostreorum, et marinæ stellæ, ubicunque vero manifestus est ignis in composito, manifesta sunt reliqua elementa, nam ignis nunquam descendet ad terram sine primis illis naturæ mediis; etiam in pruna quæ ardet, in flamma ipsa, aliquid est humidiusculi, quod simul primum absumentum est, ignis extinguitur, tum etiam terreni, et aërei; contra, ascensus a terra ad ignem non est adeo evidens, et fortassis saxum nihil ignis habet, aut certe si quid habet, exiguum est admodum, quodque sensum effugiat; an quia pauculum ignis, ut actuosus, et præstantissimus, sufficit magnæ portioni terræ, in qua occultetur vix ut deprehendi queat, sicut coagulum in caseo, fermentum in massa? Nec visum est auctori naturæ effectiones cum materia conjungere sine illis principibus elementorum in hærentibus, quæ ut obscura sunt in his quæ sensu et vita carent, sic in viventibus sunt notabiles; quæcunque enim aluntur, necesse est habeant vim igneam, nihil enim

enim vivit sine calore, ut intelligatur nec victuros nos vitam alteram æternam sine caritate; vis ignis in vivente rapit, retinet, conficit, convertit, expellit; hæc omnia animadvertimus in culinis nostris ab igne fieri; porro si ignem habent viventia, ergo et humorem alimentum ignis, et humorem prius aqueum, hinc aëreum; tum solidum aliquid, in quod alimentum et recipiatur, et convertatur ad incrementa, ad conservationemque illius igneæ rapacitatis, tamquam injectis claustris, alioqui brevissimæ omnes essent vitæ, ac prærapidæ, nec ulla sufficerent alimenta.

Quocirca effectiones has igneas dicamus, quoniam sine igne non tuentur se se; et ignis quodam modo est quiddam vivens, alitur enim et absumit; idque in viventibus promptum est, quæ quo plus habent caloris naturalis, hoc plus cibi et appetunt, et conficiunt: animales effectiones, quoniam præter vivendi munus sentiunt quoque, declarant et aliquid habere se supra stirpes; his ergo inest quiddam naturas horum elementorum excedens, quas sane dicamus animas cœlestes, nam et eas animadvertimus mirifice ad habitus cœli suos variare; humanæ animæ mente ac ratione sunt præditæ, quod est plus quàm cœleste, nempe divinum, quo Deum et noverunt et diligunt, ideo in descensu omnia secum trahunt: ergo prima et simplicissima initia, atque elementa rerum conditarum, sunt potestas, et actus, sive materies, et vis; in sensatis prima illa rudis atque ignobilis materia et effectio, quæ opificio naturæ inditur; ubi vero est adhærens, substantia est ei pro materia, adhærens illi pro vi et natura quadam; in spiritalibus ipsi spiritus modo quodam materiæ sunt suis adjunctis; accedunt primæ materiæ quæ vulgo nominantur elementa, tamquam initia rerum, sed secunda, ut panis primum est farina et aqua, hinc massa jam pista; elementa vero sunt simplicia ex quibus constant composita, ut verbum ex litteris, civitas ex hominibus; partes etiam sensati initia sunt, non tam substantiæ, quàm mollis, aut numeri: et entium singula vires habent vel ex se, vel ex alio.

Ex se dico habere ea, quibus munere Dei contigerunt per
Tom. III. FF illa

Effectiones
igneæ.

Affectiones
cœlestes.

Vires.

illa quæ intus possident, utpote per effectiōnem substantiæ, aut formas inhærentes; unicuique massulæ fermenti, ut in priore similitudine persistamus, certas aliquas vires tribuit Deus, quas secum in massam illam materiæ inducunt, ut animabus asinorum, animabus leonum, effectiōnibus adamantium, vitium, olivarum; has vires omnes participant res, quæ fermentatæ sunt illo velut fermento, quas esse ejusdem speciei seu formæ superius est positum; similiter etiam inhærentibus, nam ex calore, frigore, virore, denso, gravi, certæ quædam vires nascuntur; item in spiritalibus; hæc quidem entibus ex unoquoque: aliæ vires extrinsecus accedunt ex aliqua ratione soli, cœli, seminis, insitionis, medicationis, nutrimenti, et ejusmodi, quæ applicantur, vel inseruntur, ut Persica poma in Persia lethalia, hic salubria; in his sunt vires effectiōnum non per species, sed per rerum singula, quæ individua nominantur, quæ ex priore vi et adjunctiōne hujus peculiaris constantur, ut illa speciei simplex sit et elementum hujus compositæ; quanquam et compositio hujus peculiaris fit ex duarum, aut plurium effectiōnum compositiōne, nempe alimenti, aut soli hujus additi effectiōni vitis, aut Persici pomi, aut hominis; ut ex specierum viribus conspirantibus fiat singulare quiddam; qua ex temperatione prior vis vel adjuvatur, vel impeditur, vel tollitur, vel alio flectitur, vel novi aliquid accepit manens integra: itaque munera Dei sunt hæc omnia, et voluntatis ejus; nec secus quam si quis alteram libram in æquilibrio tangat, ea continuo verget deorsum, ita omnia parata sunt ad eas propensiones quas Deus in eis faciet: ea illis erit natura. Sed interiora illa per externas actiones aut passiones proferunt se ac ostendunt, nam ad agendum vel patiendum datæ sunt vires et facultas, quod hunc in modum facile erit cognoscere; lapis semper est idem, ac sui similis; intus ergo nihil habet, nisi uniusmodi essentiam: planta suis temporibus edit folia, flores, fructum, crescit, decrescit; aliquid obtinet supra essentiam: animans non solum crescit, et minuitur, sed sentit, et cognoscit; aliquid affert supra plantam: homo præstat omnia, et præterea intelligit, ratiocinatur,

ju-

judicat; aliquid inest huic supra brutum: hæc sunt Dei opera, quæ ille per voluntatem destinat, per sapientiam constituit, per potentiam exequitur; quas agendi ac perficiendi facultates impartitus est iis mentibus quas sui similes condidit: loquamur de homine, de quo quum dictum fuerit, facile de Angelo etiam intelligetur.

Habet ergo homo, ad Dei quandam imaginem, voluntatem, consilium, sive rationem, et vires, ut consilium suadeat, aut dissuadeat voluntati quæ est imperatura, voluntas imperet viribus ut se exerant ad opus, vires capessant jussa; voluntas ergo domina est, ratio consultrix, vires mancipium: facultates hæc quidem naturales sunt, a Deo inditæ homini quum naturam statueret, et hæc naturale habent aliquid, quo nutu ferantur suo, vel a quo abhorreant, ac discedant; dico voluntatem, et consilium; nam vires ut mancipium, nec ad jubendum admittuntur, nec ad consulendum, sed tamquam corpus sunt brutum, parens semper imperio, nunquam imperans: vetigit ergo ratio in verum, aversatur falsum; fertur voluntas in bonum, malum devitat; utique quod tale censuerit ratio; an fallatur, nihil interest; bonum certe, aut verum existimari sufficit: ratio hæc, et iudicium, quum se ad aliquid vel in se vel extra se vult applicare, habet sæpe, et finem quem perat sibi propositum, et viam et rationem provisam qua ad illum perveniat; hæc ratio vocatur industria, et ars, quæque ab arte dicitur solertia, quæ est ratio seu facultas aliquid agendi, aut patiendi, in se vel in aliis, ingenio, aut studio quæsita, ut loqui naturæ est, Romane, aut Græce, artis, Deum colere humanis est mentibus informatum, sed hoc aut illo modo, ex humanis persuasionibus; non enim nos solum arte aliquid agimus, sed bestię quoque a nobis edoctæ, ut per funem elephantum ingredi, et canem sic venari, et equum gyros complicare, et explicare; quæ ipsi sua sponte faciunt, naturalia sunt; at quum vel finis non est præstitutus, vel ratio et via hæc non est provisam sed temere aggredimur, quod exit casus est, ut fodiendo thesaurum reperiri, hoc enim propositum non erat, aut regulam de tecto lapsam occisum esse hominem, quum-

Ars.

Casus.

que nostras extruções imitari volunt pueri, congerunt temere lapides et ligna, et exit sæpenumero id in quo doctum ingenium elaborasset, priusquam exprimeret; temeritas hæc est, vel quum nullus finis est præpositus, vel quum ad eum nihil omnino prospectum, aut minus, aut aliter quàm oportet; ideo in actiones hominum, qui tarditate cordis vel ad iudicandum impediuntur, vel rapida animi perturbatione impelluntur, multum valet casus; sapientes minimum casui relinquunt in iis, in quibus casus solet intervenire, velut in rebus et negotiis vitæ, nam in illis quæ non sunt in manu nostra, nempe naturalibus effectis, aut incertis eventibus, plurimum Deo committunt, seu verius omnia; quo fit ut casus interdum in artem vertatur, quum observatum est quomodo illud exitit; sic multa sunt in artibus inventa.

In artificialibus, quæ sola ars facit dicuntur talia, nam alia naturæ sunt quæ potestatem sequuntur, ut homini persuaderi indignitatem, artis est, ex persuasione indignitatis inflammari ad iram, iratum diruere ædes, naturæ; in lyra sonus naturalis est, concentus, artis, qui, si fiat sine arte, naturalis erit, ut si cadat testudo, aut quum casu spongiæ fit pictura; compositio horologii, artis, hinc cursus ille per definita quædam momenta, naturæ est; hæc vel illa compositio pharmaci, artis est, operatio in animante naturalis: ars est naturæ æmulatione, eaque, quantum facere potest, conatur naturam exprimere, quod nunquam assequitur, natura enim intima rerum penetrat, ars circa exteriora, et supremas facies, versatur, id quoque videtur naturale ut imitatio omnis circa exemplar subsistat, cum qua bene agitur, si quamproxime accesserit: et quemadmodum natura a rudissimis exorditur, postea paulatim educit ad perfectum, ita et ars sensim expolit, natura inditionibus, et ingignendo in intimis, ars vero addendo exterioribus, detrahendo, mutando, ut in cursoriis, nempe mutatione exterioris figuræ, veluti quum æs funditur, et ex statua fit lebes, tum applicatione, et quasi contactu, ut quum pannus inficitur; quæ non solum in iis animadvertuntur, quæ manu constant, et *χειρουργικά* nominantur, verum in illis etiam quæ penitus sunt in ani-

animo, disciplinæ, prudentia, virtutes, addendis quæ videntur necessaria, resecandis superfluis, corrigendis, et castigandis inversis, nascuntur, et incrementa sumunt; tum sicut naturæ proposito, illi tacito a Deo indito, primum omnium occurrit opus perfectum, in actione vero simplicia primum quærentur ad compositionem perfecti, ita humano artificio opus ipsum est primum cogitatione, primordia autem operis, et elementa, prius exequitur.

Quocirca animus in intelligendo iter sequitur, non actionis naturæ, sed propositi illius, prius enim mista intelligit, et sensui objecta, hinc magis simplicia, et recondita; et quemadmodum se habet homo ad artificium naturæ, ita iners homo ad artificium hominis periti, nam homini prius notum est opus absolutum naturæ quàm ejus elementa, et imperito notius compositum artificiale quàm ejus partes, nec aliter miratur homo ex illis initiis tanta opera posse a natura edi, quàm imperitus hoc præstare artificem ex tam rudi materia, tamquam aliena ab eo quod per artem videt editum; et sicut informi, et rudi materiæ accedens forma naturalis, fit res naturalis, ferum puta, homo, arbor, ita naturali accedens ars, fit artificialis, nempe gladius, scamnum, grammaticus; natura conatur ad optimum provehere effectum suum, quantum cuique speciei concessum est, videlicet, ad imaginem, et participatum proximum virtutis Dei, ars ad absolutionem naturæ; sed nec natura potest Deum contingere, nec ars naturam, quòd utraque imitatio est vis in unoquoque inclusa, sive naturæ, sive artis, quum se exerit, atque explicat, fit actio, vel passio, modo ne quid obstet; *actio* est explicatio potentiæ in aliud minus, *passio* explicatio potentiæ ad aliud majus, minus voce infirmius et invalidius; itaque in actionibus naturalibus actio et passio terminis differunt, non re, ut via inter Lovanium et Lutetiam, actio enim est ab *a* in *b*: passio a *b* et *a*: ex actione hac sequitur effectus, sed hac lege, ut aliquid sit quod agat, et non temere, verum propter finem, neque enim temere suscipitur ulla actio; etiam pueri fines aliquos statuunt suis actionibus, non refert an assequantur, sed neque viri, nec natura semper

Actio.
Passio.

asse-

assequitur; certe quidem fines habent, sed ad finem spectare, ac tendere, quum sit in his quoque quæ omni intelligendi facultate videmus orba, apparet ab eo regi qui ea facultate non caret, quæ enim non intelligentia tamquam intelligentia operantur, ab intelligente necesse est moveri, quomodo cæcus ea quæ oculis cognoscuntur, censebit, nisi a vidente admonitus?

Causæ. Et hæ duæ veræ ac propriæ sunt causæ, agens, et finis, nempe, a qua, vel, propter quam, aliquid fit, ut in motu principium, et meta; nam materiam et formam, quia partes sunt, causas nominari inusitatum est, magis initia et elementa nominaveris, sicut causas, principia et origines; si quis tamen et has quoque in causis velit recipere, in verbo erit sita controversia. Efficiens causa actionem præcedit, finalis et actionem et effectum suum sequitur, hoc est, id quod propter illam fit, ut ædificans, domus, habitatio; in eo qui agit necessaria est facultas ad agendum, quæ est, vel interior, vel exterior, ut demonstravimus; et aliæ res, celeres ad agendum vires ostendunt, ac proinde motus incitatos, ut calor, aliæ, tardas, ut frigus; contrà in patiando calor exiguas habet vires, quum est inimico invalidior, frigus vero ad ferendum multas; idcirco citissime ignis penetrat, tarde rigor, expellitur vero calor levissime, frigus lente, ut febres acutæ celerius vel extinguuntur ipsæ, vel extinguunt corpus, morbi frigidi pertinaciores sunt, opium in theriace tardissime omnium cedit; ex naturalibus facultatibus, hæ sunt necessariæ ut mutari non queant, sicut igni exurere, illæ voluntariæ ut quæ ab hominis voluntate proficiscuntur, tamquam comedere, bibere, currere; ventriculum concoquere, naturale est, et alia quæ in hominis manu sita non sunt; naturale est in unoquoque, ad quod agendum, vel patiendum, potentiam a natura accepit, istud vero non uno modo, nec similiter in omnibus dicitur; nam vel ea vis est effectioni indita ut semper agat quoties in quod agat admovetur, ut igni comburere, iracundo irasci; vel ut semper agat quoties libeat, ut homini ratiocinari; vel est vis toti indita, ut homini ambulare; vel vis inhærenti indita, ut aquam fer-

ve-

vefactam calfacere; hoc vero inhærens vel ex ingenio compositi est attributum, ut lapidi gravitas, et durities, vel vi intrusum, velut in aquam fervor, vel casu contigit, ut venenum fungo, quod ex terra venenata adhæsit, vel arte partum, ut pennæ scribendi commoditas, et gladio scindendi.

Dicitur etiam naturale ad quod accepimus potentiam, et ad ejus omnino contrarium non habemus, ut homini errare, falli, mori, non enim potest nunquam errare, aut permanere immortalis; quicquid enim origine inditum est, aut circa originem naturale nuncupatur, sicut cæcitas, et surditas in quibusdam, et sermo in unoquoque, quem primum didicit; naturale etiam est quicquid non est contra naturam, ita et artificialia omnia, et voluntaria, naturalia dici possunt, nam etsi ad omnia, quæ ingenio atque usu exculpimus, potentiam a natura accepimus nobis innatam, tamen quod exercitatione, studio, industria paramus, artis dicuntur, non naturæ, quum industriam nostram spectamus, at quum potentiam, naturæ sunt, ut homini naturale est posse pingere, non equo; et artificialia vel tota sunt artis, ut scriptio, vel ratio quædam, et modus, ut sic ambulare, sedere, comedere, loqui; voluntarium, quod a voluntate libera proficiscitur, ut hominis, vel Angeli; hoc, aut est elicitedum a voluntate, ut velle, aut jussum, ut ingredi; naturale in specie, fit voluntarium in particulari, ut ambulare nunc; sunt quædam præter naturam, ad quæ illa non dedit potentiam, sicut arborem in bruma flores fundere, ac fructus, saxum ab aqua excavari; supra naturam, quum plus præstatur quàm illa concesserit, ut puerum movere grandem molarem; alia contra naturam, quum contrarium fit quàm illa dederit potentiam, ut glaciem ardere, ignem frigefacere, lapidem per se sursum ferri, nam jactum violentum quidem est, sed non contra naturam, immo secundum eam; extra illam sunt hæc omnia; verum hæ distinctiones a vulgari sermone confunduntur, utile tamen videtur in philosophia observari ad percipiendam disciplinam.

His accedunt postremo divina opera, ut omnia quæ egrediuntur naturæ limites, cujusmodi Christi miracula, et quæ ille

Voluntarium.

Præter naturam.

Supra naturam.

Contra naturam.

Extra naturam.

Divina.

nos

Habitus.

nos edocuit de arcanis suis; sunt multa in natura quæ ad eventum referuntur, ut species naturæ sit, singularè autem eventus, sicut aquam defluere, naturæ est, hac vero aut illac eventus; usus, et assuefactio, etiam si artium sit, et rerum industria quæsitarum, efficiunt, hoc est, habitum, qui in partem naturæ concedit, nam maximas, et pæne naturales profert vires, utique in iis quæ recipiunt, neque enim omnibus de assuefactione vestigium relinquitur; habitus est pronitas ad eadem, cui res assuevit, sive sit agere, ut in digitis ad pulsandum, sive pati, ut incendi febre, vel iracundia, sive negatio, seu privatio potius alterutrius, ut tacere, non ridere, non latrare; nec aliud considerandum est esse habitum, quàm sigillum in materia impressum, et quemadmodum in rebus, quas contrectamus, usu venit ut signum non imprimatur nisi in re molli, ita in tota natura ex assuefactione vestigium dumtaxat adhæret rei molli; possumus etiam ad explicationem figurare nobis res molles fluere in morem amnis, quòd si qua decursus detur, et quasi aperiatur alveus, illac defluunt, ut in fluviis, in humoribus animantium; ergo consuefactionem recipiunt corpora animantium, et stirpium, animi etiam non ex se, verum ex corpore cui sunt velut alligati, et quo tamquam instrumento utuntur, quamdiu eo sunt inclusi; at in quibus multum est humoris, citius adhæret impressio, quàm quibus parum, ut pueris celerius quàm senibus, sanguineis quàm cholericis; sicis non hæret signum, ut saxo, vel ferro, nec in admodum fluidis conservatur, ut in aqua, aut aëre, cujusmodi sunt hominum quidam leves et mutabiles; quòd si mollia admissio habitu indurent, tenacius eum retinent, ut in cera quum durescit, in ferro, et argento, quod emollitum recepit notam aliquam; similiter quæ a teneris animis imbibuntur, diutissime perseverant quòd corpus solidius fit quotidie ac firmiter; quæ sunt ex natura totius speciei, aut contra eam, habitum non recipiunt, velut igni ardere, saxo ferri sursum.

Est et in habitu delectatio in iis, quæ alioqui dura sunt factu, et difficilia, nam in facilibus mutatio reficit, sed habitus delectatio est in illis, quia minus sentitur molestia actionis,

nis, promptius enim, ac ideo facilius; fit quod sæpe est factum, quippe itur adverso flumine in novis, prono vero in solitis, nec leve adfert momentum delectatio ad id quod agendum, aut patiendum est, quodve aut non agendum, aut non patiendum; et quoniam habitus naturam respicit, fit ut quantumcunque artis habeat actio, si ei diu et perpetuo assuevimus, naturalis videatur, sicut accuratus et elegans sermo in Euripide, cavilla et sales in Plauto, et bonis benefacere ex usu in naturam vertit, ars enim in usum, et proinde in naturam videtur cessisse, nam quicquid artem non præ se fert, naturale nominatur, quemadmodum et simplex, ut in omnibus actionibus quum nihil est simulatum, ac fictum, et naturale a ficto distinguitur, ut flores naturales ac ficti, et quemadmodum fluvius per datum alveum decurrit, qui illi crebro agendo aperitur, ita si cesses, obliumatur, et primum maligne aqua defluit, hinc omnino avertit alio iter, sic habitus, qui agendo altius imprimuntur, ac confirmantur, desidia exolescunt. Naturali proximum est necessarium, ac possibile, ei vero, quod contra naturam est, impossibile; necessarium est, quod aliter non potest esse, quàm quomodo est, idque vel simpliciter, ut Deum esse, vel collatum alicui, ut hominem respirare si sit victurus, et studere si sit futurus sapiens, et anima necessaria est corpori ad vitam; hoc necessarium varie spectatur, Deo, naturæ, homini, huic homini, illi, hoc tempore, hoc loco, hoc statu rerum, et aliud magis alio, ut magis necessaria respiratio ad hominis vitam, quàm epulæ, magis necessaria anima, quàm respiratio, quòd diutius liceat vitam prorogare sine alimento, quàm sine respiratione, et sine respiratione, quàm sine anima: verum necessitas hæc non certi est momenti, sed alicujus latitudo temporis.

Necessarium.

In appellatione venit necessarii, quod est conducibile, sicut homini vestis, et tectum, quæ etiam a Græcis ἀναγκαῖα: similiter quæ oportet fieri, ut posita in æquitate, lege, more, officio, instituto, et hoc necessarium est in re, ex re vero in pronuntiatis, ut, Deus est omnipotens, et, quod vivit habet animam: impossibile contrarium est necessario in pronuntia-

Impossibile.

tionem, non re, nam in re nihil est possibile, sed in dicto quum esse non potest quemadmodum asseritur, aut negatur, ut, hominem sine respiratione diu vivere; sed in re tamen impossibile contrarium est utili, et commodo, ut, sine tecto et vestitu vitam degere impossibile: *possibile*, seu quod tritius est Græcis δυνατόν, nam nos Latino hoc rarius utimur, ac fere nunquam, et si non video cur sit rejiciendum. in philosophia, præsertim quum veteres non dubitarint aliquando *impossibile* dicere, sed certe ejus significatio ad necessarium se habet, ut *aliquando* ad *semper*, ad impossibile vero, ut ad *nunquam*; interdum possibile, iis quidem qui usurpant, pro facili sumitur, sicut impossibile pro arduo, et difficili, et in hoc aliud magis est alio, prout est facilitati vicinius, sicut expeditum, et promptum, ut tres, et quatuor, et quot quisque voluerit gradus possit statuere. Ex iis quæ aliunde veniunt, quædam sunt contra naturam formæ violentia quadam externa invecta, ut calor in aquam; sunt quæ cogi et verti non possunt, ut ignem hoc naturæ cursu frigefacere.

Quæ contra naturam.

Quæ contra naturam fiunt, sic cognoscuntur; effectus velut invitum extorquetur, et ipsa quum primum licet, sensim se in conditionem suam restituunt; idcirco ejusmodi actiones, postquam impetum cogentis evaserunt, debiliores sunt quam antea, est enim aliquis in violentia terminus, quo transacto lentescit, et flaccidit actio; verum nec universa vis cogentis repente se explicat, sed paullatim incalescit donec consumatur amplitudo potentiæ; quocirca lapis sursum jactus minimum habet virium uno digito a manu, ad medium fere plurimum, in fine perquam parum; contra in descensu, plus habet virium juxta terram quam in medio aëre; hic est naturalis motus; unde apertum fit ex nihilo omnia hæc, inter quæ versamur, esse a Deo condita, et tamquam ab ipso vi quadam jacta aliquo usque ferri, tum sensim eadem reduci ad nihilum etiam majore impetu ac nisu, quam ascenderant, nempe ad naturam suam; quod si hæc est conditio singulorum, etiam mundi ipsius esse credi convenit, quantum quidem ad vires istas motuum ortus et occasus pertinet. Efficiens, sicut priusquam agat finem

nem aliquem sibi destinat, ita fine proposito instrumenta, seu media, providet ad finem pertingendum; instrumentum est, quo quis, vel extra se, vel certe alio a se, ad aliquid vel agendum, vel patiendum, utitur; ferrum instrumentum est hominis, itidem manus, ratio vero instrumentum animi, quæ facultas quædam intelligitur esse animi, et tamquam ejus pars, quæ quamvis essentia non differat, differt vel facultate sua, ac potentia, vel certe nostra intelligentia, quod ad sic definiendum nobis sufficit: et quoniam instrumenta omnia ad aptationem materiæ applicantur, aptatio materiæ opus est *instrumentorum*, quod vero ex apta jam materia existit opus, *artificis* dicitur, ut, serræ findere, ascie dolare, arca vero hujus operarii, quatenus talis, nam hominis per se non est, neque Socratis.

Instrumentum.

In hunc locum venit etiam exemplar, quod quis in agendo contemplatur ut simile effingat, quod genus sunt apud pictores plurima, Platonis ideæ, quæ nullæ sunt apud Deum, extra illum quidem, aut aliud ab illo, nam major et pollentior est illa sapientia, quam ut externis adjumentis indigeat, nimisque Divina illa magnitudo ad angustias nostræ mentis a sapientissimo philosopho contrahitur: instrumentorum, alia sunt animata, alia inanimata, ex animatis, hoc rationis compos, illud impos, tum alia libera, alia serva, quorum exempla sunt amici, clientes, asseclæ, servi, filii, opes, arma, auctoritas, potentia; instrumentum, si se contra naturæ suæ rationem accommodat agenti, invitum est et coactum, ut lapidem ferri sursum et avem occidere, aut moveri asciam et fieri mensam, sin secus, naturale est, ut lapidem demissum ab aliquo ferire eum qui est subtus; quæ secundum naturam uniuscujusque instrumenti facimus, nullis egent viribus, ut lapidem demitti, quæ contra naturam, egent; naturalia sunt, ut in medicina. Iis, quæ manibus exercentur, adhibetur vis, unde difficultas, et ex hac labor, et ex labore lassitudo; spectantur in difficultate instrumentum, et qua agendum, et in quid, ut scribere penna plumbea, et per chartam asperam, aut gravem gladium per adversum flumen trahere ad scindendum nodum ligni, vires enim requirit instrumentum, tum alias per se medium, et alias id

Exemplar.

in quod operatur, prout actioni ipsi repugnat, vel actioni quæ hoc instrumento exercetur, velut securi rubiginosa lignum scindi; quare quum vires naturales uniuscujusque rei nihil sint aliud, quàm quas Deus in eo ingenuit, neque enim quicquam sibi fecit vires, necesse est ut omnia se præbeant Deo ad agendum naturaliter, et tam ignem frigefacere sit Deo secundum naturam quum vult, quàm nunc contra naturam quum non vult, id est, contra ipsum eundem; neque est aliud in unoquoque natura, quàm quod ipse vult, quodque ipse dat.

Ergo quemadmodum lunæ lumen solis est lumen, quia ab ipso venit, et conservatur, aut quod ex chalybe soli opposito in parietem reflectitur, ita vires naturales, Dei vires sunt, et adhuc propius ac verius, quàm hæc ipsa, et eis ille utitur ad agendum minime necessariis; non enim qui per alium facit, continuo per se ipsum non posset, ut magister quum jubet discipulum a condiscipulo cædi; quumque ille omnia condiderit e nihilo, egit certe aliquando solus, quæ nunc per causas naturæ, ut hominem gigni, vel herbam ex semine; quòd si fit hujus agentis naturalis opere ac vi, eam vero vim totam largitus est ille, profecto eundem ipse effectum potuit solus edere qui præbet quicquid agens facultatis possidet et potentiæ ad agendum illud; immo vero si quis naturales causas consideret, quæ se Deo ad aliquid efficiendum administras exhibent, inveniet nihil in eis ex se esse virium ad id vel perficiendum, vel quadantenus adjuvandum, sed esse omnia voluntatis Dei: quod ipse idem satis ostendit, quum luto aperuit oculos cæci; quid lutum ad aperiendos oculos conferebat? immo potius ad obturandos videbatur valiturum, ceterum demonstrare voluit se ad hunc istum modum uti secundis causis ex voluntate sua, non ex necessitate; quocirca, quum omnia Deo utenti naturalia sint, agit Deus sine labore, sine molestia, sine resistentia; nam si quid resistentiæ esset, contra naturam operaretur, siquidem est resistentia ex appetitu sui conservandi, ideo resistet ei, qui corruptionem intentat, aliquid contra nutum naturæ suæ agendo; nec convenit potentiæ Dei quicquam illi posse resistere, nam quæ tandem posset esse proportio inter vires Dei condentis,

et

et rei conditæ, ut vel momentum temporis valeat subsistere invito illo? Quare quum voluntas ejus sit natura cujusque, voluntate sola operatur, nempe inditâ naturâ, nam si velit lapidem ascendere, eam faciet esse ejus naturam, nec aliter tum ascendat, quàm nunc in hac ejus voluntate descendit.

Ex causis, si actio spectetur, aliæ sunt certæ, quæ semper ita agunt, ut, ignem calfacere, aliæ incertæ, quæ non semper ad eundem modum, ut, lapidem jactum avem ferire; sunt *sine quibus* non fit aliquid, etsi efficiendi hoc quidem naturam nullam habent, ut, lucem non illustrare cubiculum nisi aperiat fenestra; quæ latissime patent; nam ex eis nonnullæ sunt quietæ penitus, ac torpidæ, et ut Cicero vocat, stolidæ, quæ nihil prorsus in eo, quod subjectum est, ipsæ exequantur; ut pecunia jurgii, et latrocinii, aliæ quædam per se adferunt adjumenta, ut aspectus, et collocutio, benevolentia, sunt qui in genere hoc ferramenta et instrumenta omnia concludant; ad idem genus pertinent quæ remotione sua inducunt effectum ei contrarium quod admotione sua solent, ut abscessu solis terram frigeferi, quæ calfit accessu; sin effectus spectetur et in eo locus, vel tempus, sunt in loco et tempore proximæ, ut ignis calor in manu admota, sunt remotæ, ut ignis calor in manu quæ incaluit tactu aquæ fervefactæ, et in his alias licet aliis remotiores dicere, est enim ordo in causis, ut hæc sint primæ, secundæ illæ, tum tertiæ, et quartæ; sed neque in infinitum tamen recta disceditur, nec in causis re ipsa existentibus eodem tempore, nec in iis quarum aliæ aliis tempore succedunt, quippe infinitæ non sunt res, nec tempus fuit infinitum; sed quæ numero distant, vel ordine, non protinus loco distant, aut tempore, aut actione; sol lunam illuminat, luna speculum, speculum cubile; simul existunt hæc omnia eodem puncto temporis; referuntur quoque causæ ad cognitionem nostram, ut aliæ sint cognitæ, aliæ incognitæ; in adventu pleræque omnes sunt ignotæ, in recessu multæ cognoscuntur. Finis est cujus causa aliquid fit; is movet vim et potentiam ad agendum, quare ea est potissimum causa, nam et causa ponitur in ejus diffinitione; et principium omnis actionis ab eo exordimur; et in eo

to-

Omnia sunt
Deo natura-
lia.

Causarum
divisio.

Finis.

tota conquiescit actio; inque illo est ratio quædam etiam efficientis; itaque dicimus: *sanitas deambulationes has facit, et potentiam laborum qui suscipiuntur propter eam.*

Finis omnis a cupiditate nascitur, vel ut adsit aliquid quod abest, vel ut maneat quod adest; sic in negativis, ut absit quod adest, vel avertatur quod aderit; in præteritum non est finis, neque in præsens, semper in futurum; illuc enim actiones, et destinata diriguntur quo spes et cupiditates; jam vero finis est semper cuique quod ipsi videtur profuturum, ideo quicquid obtinet locum finis, semper est specie quadam boni contactum; etiam si bonum revera non sit, certe tale esse existimatur; nec potest pro fine proponi de quo quis desperat, nam alioqui nunquam destinaret sibi quod assequi se non posse haberet compertum: media sunt ceu instrumenta quædam quibus finem licebit consequi; finem oportet esse omnium pretiosissimum, media viliora sunt, quippe finis, quod ultimus est quo appetitus tendit, per se amatur, amoris hujus nulla est mensura, ipse alia omnia metitur, ut unumquodque ex mediis tanti a nobis fiat, quantum est ad nanciscendum finem idoneum; nemo quod pluri æstimat pretium vilioris facit, nam etiam qui *aureo hamo piscatur*, (1) ut est in proverbio, cariorum habet vel oblectationem suam, vel ostentationem, quam aurum ipsum, non quidem piscem quam aurum, sed aliud quod ipse facit finem piscationis, nec qui tonsor novacula argentea radit barbam, numulum, quem mercedis loco accipit, finem statum argenti, sed aliud, nempe ditescere, quum a pluribus, et plus quam alii collecturus sit; et sicut universus nutus voluntatis ad potiendum fine propendet, ita vehementius fertur in ea media, sine quibus consequi illum nullo modo posset, quam cum quibus posset quidem, sed non perinde ex sententia ut cum illis; quapropter ea sola res finem sibi præstituit, quæ voluntatis et cupiditatis est compos, cetera quæ sunt harum expertia, ex eo pendent, quod habet velle, quodque cum voluntate illis præest, atque eo vergunt, quo ille jubet, ut res
bru-

(1) Pescar con anzuelo de oro.

brutæ a Deo, et ii nutus sunt illis naturales quædam cupiditates.

Nec aliquid est quod agat sine fine; nam is semper excitat vires ad agendum, uti modo dicebamus, non quod omnis ex actione effectus destinatus sit illi, sed quod nihil agit, nisi quod sibi destinavit; neque enim aliter eligerentur ad certas actiones certa instrumenta, sed ad quascunque sine discretionem arriperentur quælibet, essentque actiones omnes vagæ, et incertæ; atqui contra experimur in omnibus venire usu, et hominem parata habere instrumenta varia, et Deum rebus dedisse diversa ingenia ac facultates, ut si his utantur, fiat hæc, sin illis, illa, et alienis instrumentis nunquam ad exitus veniri proprios, et eisdem instrumentis eosdem eventus sequi; magnum hoc argumentum est aliquid esse in agendo præstitutum ac præfixum, pro ratione cujus deligantur instrumenta; quod si instrumenta finem arguunt, quid causæ est, quin intelligentia hominis, et vis mutuæ caritatis, et religio, ac Dei cultus, ob oculos nobis ponant, cui fini sumus conditi? neque enim tantis, et talibus instrumentis, erat opus ad edendum, bibendum, vestiendum, habitandum: præter hæc, multum abest temeritas a ratione, quæ temeritas in Deo profecto esset, et in homine, si in sua actione nullum scopum prospicerent, sed expectarent casum; nam quid dicitur fieri temere, nisi quod sine consilio, sine iudicio, sine ratione (quæ omnia scopum semper prospiciunt) eventui creditur incerto? Quapropter homini non sola tributa est voluntas, ut *quid velit agere*, sed mens, et ratio, quæ consultant, *agendum ne sit, et quomodo quod cupit consequatur?* Similiter Deo attribuimus sapientem, et providam voluntatem; quæ sunt propter finem; quippe providentia finem spectat, adeo ut quam quisque sit providentissimus, tam intuatur fines longiores: jam in homine, et rebus omnibus conditis dumtaxat quæ inter nos versantur, non est actio sine difficultate, et labore, nempe conatu perveniendi ad finem, atqui nemo laborem suscipit nullo fine proposito, quum dulcius et pretiosius sit quiescere, et molestia vacare.

Medium vero nunquam est eo pretiosius, propter quod

sus-

suscipitur; nec solum hoc comperimus in voluntate hominis et ratione, sed in voluntatibus naturalibus; nec homo persisteret in actione, sed simul primum esset defessus, ad aliud transiret, quod pueri et leves homines facitant, quos non multum tenet desiderium finis, et quanto teneret minus, si nullum omnino defixissent? Jam voluntas semel quiescens nunquam moveretur, nam a se non moveretur, nunquam enim desineret moveri, et si quid eam impelleret, ac moveret ut ad se ferretur, is ejus esset finis; nec videremus eam conquiescere finem assecutam, nempe ubi pervenit quo volebat, cessat enim motus sublata causa; nec semel mota unquam quiesceret, quum eadem semper esset motus causa quæ prius, nempe semper nulla, sed casus, et temeritas; quod si omnia instrumenta sunt illi Principi opifici, et ab ipso reguntur, ac moventur omnia, nihil movetur sine causa et fine, quum casus et temeritas longissime absint ab illa infinita providentia; neque enim fas est de Deo dicere, quod de sapiente viro esset nefas, *ipsum quidem agere, cur vero agat nescire*; et si in regno mundi majora sunt ordinata, finem habent aliquem; etsi nullum minus agitur nisi per majora, et hæc minora fine utique non carent; nec est sapientiæ ejus non videre quid post actionem sequetur, nec consilii, si videt, non magis in aliquem certum scopum dirigere, quàm temere jacere; et si omnia condit quia vult, erit temeraria voluntas ejus quæ sine causa impelletur, quod est furiosum atque impium cogitare; et fines illius ad nos referuntur, non ad illum, id est, ad nostra bona, non ad bona ipsius; ille enim omni bono, quod expeti potest, cumulatus est, nam ni ita esset, pejore esset conditione quam nos, quibus si qua desint bona, ab ipso possunt desumi, illi quæ deforent, a nullo: ita semper quo careret, requireret, nec posset adipisci: nam quid tandem majus aut melius esset illo, quod ei de bono suo impartiretur, quum bona omnia a Deo et alia quæcunque tamquam ex perenni quodam fonte continentur dimanent, nec aliunde possint? Quod si sufficiens est sibi Deus, non creavit res sibi, sed rebus, si bonus, non creavit malo, sed bono.

Ita-

Itaque videmus in his naturis, quæ, quantum possunt, parentem omnium imitantur, ut priores ac generantes non laborent agendo sibi, sed operi suo, ac sequenti naturæ: at quod in mysticis litteris scribitur: *Omnia propter semetipsum creavit Dominus, impium quoque ad diem malam*: ostendit cui fini omnia sint parata, nempe, quæ rationem sortita non sunt, propter hominem ratione præditum, hic vero ad Deum refertur ut cum eo sit beatus; sed ex hominibus, qui a Deo abscesserint, his calamitosus manet dies: non est autem homo propter Angelum conditus, sicut est equus propter hominem, scilicet, homine Angelus non indiget, utique nec ulla re corporea, homo est qui illis indiget, ac utitur, etiam Angelo ad ductum cæcitatæ suæ, et custodiam infirmitatis, nisi illi unus Deus velit esse pro omnibus; quocirca melior est homo cunctis rebus corporis, videlicet, finis quàm media potior; propterea etiam ad efficientem causam nonnunquam pertinet, ut Dominus mundum hunc non produxerit propter aliquem quod aliquis hoc meruerit, sed propter se quod sit ipse optimus: at vero finis, ut dixi, proposito primus est, executione postremus. Sunt alii fines propter alios, ut scribere propter opes, hæc propter jucundam vitam; ideo finis in hoc medius, est in illo extremus, ut navem perficere, finis est fabro, nautæ medium; huic in portum deducere post navigationem, negotiatori medium, finis quæstus; sæpe etiam in eodem; ut finis hujus hominis fabri mensam efficere, patrisfamiliæ uti, egeni pecunia mutare; proprius cujusque operantis finis est is, quem ubi assequutus est, desinit sic operari, aut quatenus talis: quum navigat nauta, hoc agit ut nauta; quum bibit, aut comedit, ut animal; quum pecuniam recipit, ut avarus, vel usurus; quum Apelles pingit tabulam, agit ut pictor, et picta tabula quiescit pictor; quum de pretio, agit ut negotiator, ubi convenit de pretio quiescit negotiator, redit ad alia; hæc sunt propria et per se; quum aliis applicantur, per aliud dicuntur, ut, *pictor negotiatur*, et *finis hujus hominis tabulam perficere*: ergo quo finis posterior est, hoc magis resipit naturam finis, et tanto est prior, et antiquior proposito, adde etiam, major, et potior: tum, quo quisque

Tom. III.

Hh

pru-

prudenter, hoc magis postremos fines cogitatione spectat, nam in ultimum illud intendit aciem mentis, et eo dirigit sua omnia.

Contrà, pecora id solum intuentur, quod adest, quodque præsens est, et huc modo tendunt. Sed in finibus ab uno ad alium in infinitum non tenditur in rectum, neque in reflexum, ut alii sint aliorum fines numero interminabili; nam si essent innumerabiles, quomodo finis gratia quicquam fieret, quod ab agente infinitis abesset gradibus? Neque vero finem hujusmodi vel incitatione mentis possemus consequi, media enim distinctione infinita non est in tempore finito definita celeritate petransire; nec aliquid esset finis extremus, quoniam in innumeris nihil est ultimum; at quum de fine extremo censeantur reliqua, nulla restaret interjectorum finium censura, neque pretium; ideo nec optimum quicquam, siquidem optimum est, *cujus gratia reliqua omnia facimus*: hanc ergo inutilitatem et confusionem finium merito natura abhorruit, quæ quum ordinatissima est, tum semper ad utilitatem aliquam relata; itaque singula rerum naturalium metam aliquam habere certam videmus, quam cuique fixit conditor providentissimus, in qua sisteret, inque ea videmus sistere; nec mens nostra infinita separata simul capit, idcirco ad innumerabilia se non extendit, quamvis fertur nonnunquam in unum aliquid, quod est infinitum continuum, ut est appetitus infiniti qualis fuit in iis qui æqualitatem Dei expetiverunt; sed fortassis in hominibus non est ille unus appetitus cuncti immensi, sed per partes, ut hoc assecutus, ad illud transeat, inde in aliud, ex quo rursus in aliud, nec usquam sistat: at vero in reflexum aut circulare infinitorum est noster appetitus, non unus, verum, ut dicebam modo, multi, quemadmodum si velit quis opes ob honorem, hunc propter famam, at famam rursus propter opes, ut non singularia videantur sumi, sed formæ, et rationes; nec tamen miserius est quicquam quàm aliud ex alio fieri finem, nec unquam sistere, semper pendere.

Idcirco nihil miserius hac vita, in qua nulla quies est, sed vana omnia; vanum enim est quod intus nihil habet utile quod proferat, *sicut vanæ bullæ, et vanis elusit avenis*, et homines vani,

ni, vel de inani mente, vel de verbis, quæ quum videantur plena, vacua sunt; sic actio rerum contemptibilium vana, velut in puerili lusu; vanum est etiam quod finem nunquam assequitur, vel quod assequitur quidem, sed minor est, et re ipsa vilior navata opera, aut ex eo est genere in quo non acquiescimus, sed alium experimus ex alio, quod arguit levitatem et vilitatem exitus, ut in se non detineat, sed tamquam nihil sit actum ad alia excitat protinus, tamquam priorum semper pœniteat; quo sensu Paulus dicit: *Vanitati creaturam omnem esse subditam*, quandoquidem nulla videtur esse postrema actionum meta in qua acquiescant, sed ex aliis in alios irrequiete transitur, aut utique vilis est ac despicibilis, ut operæ in eo cursu positæ nos pigeat, cujus generis sunt curæ omnes in vita, demta virtute. In causis tam efficientibus, quàm finalibus cognoscendis, vehementer aberramus ignorantia, et tenebris, et infirmitate nostri ingenii; jam auctor omnium plurimarum notitiam sibi reservavit uni, ut ne Angelis quidem, et beatis illis mentibus communicarit; sunt omnia quidem exposita, sed mentes non tantum adferunt lucis ut pervideant, nec tantum capacitatis ut possint complecti; nos vero quoniam experimentis sensuum omnia collegimus, experimenta vero sunt effectus et actionis, fit ut hinc ad causas pervenerimus, tum vicissim retro a causis ad effectus commeamus.

Ex calore intelleximus ignem calcacere, jam ubi ignem videmus, calfacturum eum scimus; quod hominem aliquem leo devoravit, animadvertimus eam esse in eo naturam, itaque quum leonem conspeximus, devoraturum, si quem sit nactus, non ambagimus, atque ea de causa metuimus, ac fugimus; pluvie sæpenuero a meridie comperimus quum in ortu solis rubicundum sumus cælum intuiti, jam ubi rubet cælum, pluviam prænantiamus; in quo tamen frequenter fallimur, putamus enim aliquam esse causam quia solet evenire; ut si quis decies aut duodecies ineat viam plenilunio, putet forsitan aliquis plenilunium esse illius itineris causam? Jam quum duo sint pariter oculis exposita, multi utram alterius dicant esse causam ambigunt, ut cum Romuli excessu sol defecit, alii defectum si-

Causarum
cognitio.

deris causam dicunt fuisse mortis regis, alii contra, quum non raro neutra sit alterius causa ut in hoc exemplo; fines quoque ignoratissimi sunt propterea quod nec nos eadem ingredimur in cognoscendo, qua natura in operando, nec tam procul progredimur, idcirco eodem non pertingimus, itaque vel citra consistimus, vel abimus in diversum; quicquid causa est prioris, existimatur etiam esse causa posterioris, ut persuasio voluntatis, voluntas operis, ergo et persuasio operis, sic auctor, et consultor, causa operis, et principium ejus, et caput: ergo Deus causa est prima, origo, fons, principium, caput omnium causarum: et ut nihil gignit se, sed sæpe simile, ita nihil est causa sui ipsius, sed similis, ut calor motus, et motus caloris, non ejusdem tamen caloris, sed alterius, nempe aucti, aut diminuti, ut edacitas morbi, et morbus edacitatis, non idem verò morbus, aut ejusdem edacitatis, consulatum expeto propter honorem, et honorem propter consulatum, non eundem tamen consulatum, sed in speciem.

Jam ergo et efficientem causam habemus instructam facultate, et finem qui ad se movet, sequitur ut sit *quando et ubi* fiat actio, neque enim sine *loco et tempore* exercentur nostræ actiones, nec earum rerum omnium quæ mole constant; nam quicquid sub aliquem sensum venit, extensum est, et in quocunque est ea sive extensio, sive quantitas, est moles, quæ materiam illam primam et effectum complectitur, eaque si secetur, prodit numerus; ita numerus potestate in extensione includitur: extensio vel spectatur per exteriora molis, vel per intima, in exterioribus sunt longum, et latum, in intimis altum, quod idem profundum; geometra extensiones has separat a mole, id est, a corporibus materiæ, ad tradenda artis suæ præcepta; ut, quod nulla expansione consideratur, sit *punctum*, velut sol in cælo, terra in mundo; quod una tantum *alicunde aliquo*, longum vocat, non latum, neque imum, *lineam* scilicet, ut quas sol suo cursu describit lineas imaginantur duci lapsu notæ ut, sole conficiente ambitus illos suos; quod vero duas habet extensiones in eodem plano, nempe in rectum, et transversum, *superficiem* volunt esse, quasi *superiorem faciem*,

eamque diffundi imaginantur ex transverso fluxu lineæ; quod vero in profundum descendit, *corpus* est, quod considerant fieri si sidat superficies; quod una tantum productione spectatur, id longum est, sive in rectum ante nos jaceat, sive in obliquum, ut linea, quod duabus, ex iis altera, nempe major, longitudo est, minor, latitudo, sin æquales sint, quod in rectum, est longum, quod in transversum, latum; quare longum et latum ex spectantibus censebitur, ut in quadrato, aut circulo, idque in iis quæ similes habent partes, nam quibus sunt dissimiles, aliquid naturaliter est longum, aliud latum, sicut aliud inferius, aliud superius, initium, medium, finis; quorum omnium in nobis sunt exempla, et in quocunque animante; in homine a capite ad pedes longum protenditur, inter brachia seu latera est latum; in stirpibus initium a principio vitæ sumitur, nempe a radice, sicut libri exordium est initium sive apud nos, sive apud Hebræos, quamvis diversa sribendi ratione.

Molis, atque extensionis, nulla est adeo exigua, quæ ex partibus non concrecat, etsi sensum frustrentur; neque enim ex impartilibus coagmentatur, quod Aristoteles acute colligit in *sexto libro de physico auditu*, ut magis miret Epicurum post illius argumenta opinionem esse complexum de atomis, sed forsitan Aristotelica non legerat, ut contemnebat omnia præ suis: itaque dividendæ magnitudinis nullus est modus in re, tametsi aliquis est in nostra facultate; nam tenuissimæ quædam minuties non solum manus et instrumenta nostra effugiunt, sed aciem quoque sensuum frustrantur: quæsitum est tamen, sint ne insecabilia in mole aliqua, etiam si non sit partes ejus, punctum, dico, lineam illatabilem, et superficiem sine denso? explicatu quidem haud facile, sed certe non videtur: nam qui adducti Geometrarum auctoritate id censuerunt, falsi sunt ignorantia principiorum illius artis, non enim ulla dicunt illi esse talia, cogitatione solum a materia sejungunt; ideo Aristoteles ait eos non mentiri, quoniam non sic ponunt *esse*, sed sic se *imaginari*, in quod mendacium non potest incurrere. Puncta lineam finiunt, non constituunt, lineæ superficiem, hæ-

De indivisibilibus.

cor-

Quantitas.

Punctum.

Linea.

Superficies.

eam-

corpus: ergo quisquis secat lineam, quum ex duobus finibus quatuor faciat, etiam duo nova addit puncta, id est, profert terminos duarum linearum, quæ prius erat una, qui termini antea latebant, non quòd nascantur, sed quòd exeant, et se ostendant; quisquis superficiem partitur, quatuor edit lineas; quisquis corpus, superficies plures; et sicut nihil est insectile in extensione, ita nihil immensum, sive infinitum, ut finem omnino nullum habeat.

Infinitum.

Infinitum duobus modis intelligitur, aut quod nullum penitus habet exitum, aut quod nullum certum, ut linea in circum reflexa, quomodo infinitum imperium in magistratibus dicimus; nullum omnino habet terminum corpus partiendo, quod est infinitum non re ipsa, sed potestate, quæ nunquam sisteret, nec perfici actione ulla posset, particulatim tantum carpitur; neque enim infinitum est re ipsa in natura, non extensione, non numero, sed neque in aliis dici potest infinitum, nisi in quanto molis, vel numeri, aut in iis quæ habent se ut talia; mundum ipsum videmus finitum, quotcunque libeat astrologis cælos convolvi, unumquodque enim eorum proportionem habet ad terram aliquam, quod vero proportionem habet ad finitum, esse infinitum nequit; solus Deus est infinitus illa velut magnitudine virium, ac durationis, tum etiam aliarum rerum, quas ex operibus illi attribuimus: de quo post disputabimus. Sunt quædam, quæ sine materia, et mole expansionis, habent quandam similitudinem, et proportionem magnitudinis, extensionisque, nempe *tempus*, et *motus*; tempus quid sit, magnis visum est auctoribus difficillimum dicere, ut Ciceroni, et Augustino, nec Aristoteles satis explicavit, *mensura motus et quietis*, quamvis congruenter satis; nos vero imagine quadam exprimamus: *mensuram esse durationis et perseverantia essentia cujusque rei*: quod magis figura quadam adumbratum sit nobis, quam declaratione essentia temporis: æternitas est, quæ tota simul et semper ei adest, qui in illa est, tamquam *mensura sui*; cujusmodi solus est Deus, unde æternus nominatur, reliqua enim quæ æterna non sunt, in tempore dicuntur esse, non in æternitate, quæ tametsi comprehendit omnia, non tamen

Tempus.

Æternitas.

men-

mensura est, cui accommodari quicquam possit non æternum; in tempore est quidem momentum *nunc* præsens, sed quod fluit continenter, et tamquam labitur; est præteritum, quod jam effluxit, et abiit in nihilum; est futurum, quod appropinquat, quod appetit, quod instat, atque urget præsens, ut sibi cedat; hæ sunt tres partes temporis.

Partes temporis.

In æternitate est *nunc unum* quod semper sistit, fixum, atque immobile, quod *hodie* existimatur a Psalmista dici: *Ego hodie genui te*: sed nos hoc non assequimur, nostra vero tempora ex captu, et comparatione nostrarum rerum, Deo accommodamus, ut, quod *creavit*, quod *creet*, quod *creabit*, quod *fuit* hoc aut illud *agens*, quod *erit*, quod *est*, quum nullum præteritum, nec futurum illi congruat, ac ne nostrum quidem *præsens*, et *nunc*, ut Plato sapienter sensit, nam quum nec dum futurum sit, nec jam præteritum, nec nostri quidem præsentis scias statuere quid sit, alii *præsens* latius capiunt, quam alii, prout sunt mente ampla, Deus quidem totam æternitatem, inter nos autem, alii magis, alii minus, bestia exiguam admodum; sed de nostro, quum ex partibus constet quantumcunque sit minutum, quoniam certe extensum est, nemo facile dixerit, quæ pars revera *sit*, quippe illius aliqua jam *præterit*, alia nondum *est*, quocirca nec hoc quidem nostrum *nunc* satis competit Deo; nec aliud vere esse dicitur, nam nos non sumus et ex natura nostra, cui semper admista est mors, et ex tempore, in quo velut torrente quodam rapimur, quod nunquam est, cujus etiam præsentis aliud jam abierit, aliud nondum venerit; hujus est naturæ tempus omne fluxum, et caducum, quantumcunque prorogetur, etiam si in infinitum, quod in mentibus fit nunquam perituris, quæ quidem perpetuæ sunt, æternæ non sunt, quoniam illis prius est, et posterius, quod ab æternitate est alienum; sempiternæ utique dicuntur, atque etiam quadantenus æternæ, quod parte quadam fruuntur æternitatis in illa felicitate deinceps sequutura, sed intelligantur modo quæ dicimus, verbis unusquisque utetur arbitrato suo.

Nunc æternitatis.

Præsens.

Ergo tempus nostrum de æternitate expressum est, et nostrum sectile de illo insectili, sed ut fax e puro, et eam ob

cau-

causam tam dissimile, non propter id unde exprimitur, sed propter id in quod recipitur, quod statim depravat et corrumpit illud purissimum quod in se accipit; applicant se tamen insectili illi æternitati partes nostri temporis, per illam fixam transeuntis, non dissimiliter atque ad terram partes cœli circumacti, quo sensu, *fuisse*, et *fore*, accommodamus Deo: sed in nostro tempore est quiddam quod in infinitum dilatatur, ut ratio hujus mensuræ triplex sit, immensæ ante, ac post, immensæ in sequens modo, definitæ utrinque; quarta porro est nulla, nam quod exordium nunquam habuit, nec habere potest exitum, quænam enim existere potest nova interitus causa, quæ in infinito tempore nulla fuerit? Et quoniam rectum mensura est optima sui, et pravi, ordinatum inordinati, neque aliter pravam atque inordinatum deprehendetur, quàm ex collatione ordinati ac recti, idcirco nostra omnia tempora ad motus cœlorum referimus, qui ordinem admirabilem obtinent: temporis partes aliæ sunt essentielles, ut futurum, præteritum, momentum, punctum, hora, dies pro spatio quo sol circumagitur, mensis, annus, *nunc* vero et *tunc* nostræ sunt indicationis; accedentium sunt vel ex rebus quæ in tempore naturaliter, dies, nox, hiems, ætas, pueritia, juvenas, seculum; illa autem, *pluviosum*, *serenum*, non sunt jam partes temporis, sed habitus illius quidam; nostra tempora sunt quæ ad actiones atque opera hominum pertinent, festus dies, profestus, sementis, vindemia, in quo est *occasio* rerum agendarum, id est, in quo sollet, aut potest commode, aut debet, aut oportet aliquid fieri, vel non fieri, sicut loqui, tacere, movere se, aut quiescere, occasio est enim aptissimum ad aliquid agendum tempus.

Actionis cessatio sub actione sit nobis in proposito conclusa, ut tacere, et quiescere, quæ referuntur ad privationem hujus actionis magis quàm ad negationem universalem, nam in negatione non est simpliciter occasio, quippe infinite patet, et plurimarum rerum genera includit; occasio etiam tempus nominatur, ut a Græcis *καιρός*; occasio ad nos spectat, et ex ratione rerum sumitur, nam idem tempus huic est occasio, illi non est. Et quemadmodum res sunt in tempore, ita etiam in

10-

In alio esse.

loco; in alio esse dicimus quod ab eo comprehenditur, modus enim imaginationis nostræ est, ut majus et capacius videatur esse in quo quid est, quàm id ipsum quod inest in alio, tametsi revera non sit, quippe crebro vel par est, vel etiam majus; quibus modis esse dicatur aliquid in alio infinitum esset persequi, non solum in varietate linguarum, quarum cuique est sua loquendi proprietas, sed vel in una quæpiam propter tropicas dicendi formulas, sed nos ex lingua latina, et græca, quædam consignabimus ad intelligentiam philosophiæ, ac vitæ: est aliquid in alio quasi intra illud, ut vinum in dolio, cor et renes in corpore, unde reliquæ oriuntur rationes eorum quæ inesse dicuntur; sic condita omnia insunt in tempore, quod tempus imaginamur velut extensum supra mundum universum, non aliter quàm cœlum, nam quomodo revera simus in tempore nemo facile eloquetur; est aliud in aliquo quasi illi applicitum, sive adhærens, ut homines in area, in terra, in navi, in lecto, modo quodam fulcimenti; est aliquid in alio cujus maxima pars ab eo tegitur, aut potissima, ut homo in pallio, vel thorace; in quo valde indulsit sibi mos loquendi communis, ut etiam homo dicatur esse in pallio quum solum tegitur dorsum et caput, in pileolo, quo vix operitur summus vertex, in iis etiam quæ cingunt, aut redimiunt, ut corpus in zona, et caput in diademate, ac sertis.

Sunt aliqua in aliis, quum eorum essentia est in illis, velut, inhærens in substantia, anima in corpore, Deus pater in Deo filio, et hic in illo; est in alio cujus producendi potestas est in illo, sicut fruges et arbores in seminibus, in patre filius, atque etiam nepos, quemadmodum Paulus dicit in lumbis Abrahæ fuisse Levi, quum ei occurreret Melchisedec rex Salem; hoc modo in pictore est pictura nondum edita, in Deo mundus est, et omne opus in auctore priusquam proferatur; similitudo quæ reddit fere idem, etiam efficit ut similia inter se alia in aliis censeantur esse, ut pater in filio, amicus in amico; nam etiam eadem inesse mutuo censentur, ut puer in viro, et consul prior in posteriore, et civitas, quæ fuit ab hinc mille annos, in hac quæ nunc est; successione sunt hæc ea-

Tom. III.

II

dem

Triplex mensura in tempore.

Temporis divisio.

Occasio.

dem ut ostendemus; est in alio, quod ab eo tamquam generali comprehenditur, ut homo in animali, brachium in corpore; generale etiam per distributionem in iis est, quæ comprehendit, universale in singulis, totum in cunctis, ut animal in homine, homo in societate, corpus in suis membris universis; transfertur aliquid ad suas vires, tunc in eo esse dicitur in quo suæ vires, tamquam, regnum in rege; *in*, etiam pro potentia sumitur, ut hoc eodem loco, et quum sic effamur, *non esse in honorato honorem, sed in honorante*, quod ex Græcitate ducitur; transfertur animans ad animi cogitatum, atque intentionem, quo modo, dicitur esse in eo quod agit, et in quod intentus est, sicut sapiens magistratus in constitutione reipublicæ, Theologus in contemplatione pietatis.

Locus.

Finis huc pertinet in quo sita sunt cuique media, et instrumenta, ut avaro omnia sunt in pecunia, Sapienti autem in se ipso collocata. Intra quod quicquid continetur, locus est illius, ut, cubiculum hoc locus meus, et domus in qua est cubiculum, et hæc urbs, et aër, et cælum quo cuncta continentur, sed citimus cujusque rei, ac proprius locus, qui circumdat illud proxime, non aliud; quod mathematice est intelligendum consideratione corporis tamquam superficiæ, quam dense volet quis, modo sub ratione solum lati, atque ambientis, moveturque id comprehendens ad motum comprehensum, non aliter; quod a nobis additur in gratiam communis sermonis, qui mutatum non dicit locum, etiam si revera corpus circum sapiens mutetur, ut edes hæc non protinus mutantur, quod subinde circa eas novus aër succedat, qui cum vento diffatur; quocirca *locus* non tam rationem habet *corporis*, quam *comprehensionis*, quod quidem ad motum attinet, *relata ad fixum aliquod*, ut *si*, exempli causa, ea comprehensio eodem situ est ad immotum parietem, quo erat prius, locus non censeatur mutatus; potest nonnunquam considerari substantia corporis continentis ut corpus, tunc vero, non mutata comprehensionis collatione ad immobile, mutatus dicitur locus, ut quum vinum, eodem situ in apotheca, de dolio in seriam transvasatum est; in quo nec deessent qui mutatum quidem vas di-

dicerent, locum non dicerent, vas enim corporis habet rationem, locus superficiæ: assignavit natura unicuique rei locum ingenio ipsius aptum, et proinde conservationi, ut nobis aërem, aquam piscibus, aquæ superficiem terræ, aëri supra terram et aquam, gravibus mundi medium, levibus extremum; qui loci quod a natura distributi sunt, naturales nominantur; locus ille in civili sermone *pro statu rerum*, non est hujus instituti, neque *pro existimatione*, et *vice*, ut, *loco fratris*.

In loco quædam sunt partes, quædam positus, alia inhærentia; partes sunt, quæ naturæ constant ordine, sursum, deorsum, ante, et pone; positus vero, quæ relatione ad aliquid positum, ut dextrum, sinistrum, hic, istic, illic, quæ ad collationem nostram pertinent; in rotundo locus medius est semper infimus, circuitus est superior, sic in mundo cælum sub nobis superius est terra, licet nobis videatur esse inferius; fiunt sæpe ex partibus positiones, ut loci, quarundam rerum consideratione ac respectu, anteriores reddantur posteriores, inferni superni, sicut dextri, ac sinistri; inhærentium numero reponuntur nomina partium loci, quæ ex corporibus ambientibus sumuntur, *cælum, aër, aqua, terra*; hinc terræ partes, *Italia, Hispania, Gallia*, tum aquæ, *hoc fretum, pelagus, portus*; accipiunt et aër et cælum terræ nuncupationes, ut, hæc avis volat in Hispania, hesperus lucet in Italia, duo soles apparuerunt in Græcia; remotiora sunt ab loci essentia adjuncta illa, locus latus, angustus, planus, montosus, saluber, maritimus; ex nobis sunt, desertus, celebris, honestus, pudendus, sacer, prophanus, forum, templum, quæ nos facimus: ergo in quibus *ante* et *retro* in eisdem *prius* ac *posterius*, nempe in *tempore*, et *loco*; in *tempore*, alia ordine ipso temporis, ut, vetustiora sunt priora; alia nostro ordine, nam interdum propinquiora nobis dicimus priora, et vetustiora propinquiora, quemadmodum antiquiora vocantur ultima; naturæ sunt priora tempore, quæ illius cursu alia antecedunt, ut, *Deus primus*, et simplicia priora compositis, et partes toto, et cor ceteris membris, et genitis gignentia, et causæ effectis, denique unde quid nascitur, et sine quo aliud non possit esse, quum illud esse possit sine eo: in

Loco attri-
buta,

loco, prius positionis ordine, ut, omne principium prius medio, et caput prius pedibus; prius nostro ordine, ut, honoratius in honorato est prius, et locus medius apud alios primus, apud alios non item; ad hunc modum dignissima sunt ceteris priora, ut, prior consul quàm prætor, et hic quàm quæstor, prior homo quàm bellua, effectio quàm materies; ideo etiam antiquiora nominantur meliora, translatione a loco ad tempus, et quos habemus carissimos, vel conjunctos sanguine, aut aliqua necessitudine, priores sunt aliis, ut patri filius prior quàm frater, loco scilicet, et ordinatione affectus.

Est etiam prius loco naturæ ordine, ut quod illa posuit principium in quaque re, velut, in homine caput, radix in arbore, et quod est ei carius, ut, quisquis sibi, et propria quàm aliena, ejusdem rationis ac modi quod illi præstantius, ut Deus quàm res conditæ, et finis quàm instrumenta, et res vera quàm simulata, et totum parte, et cœlestia terrestribus, et ut verbo uno concludam, ea quæ sunt mundo potiora. Sed res spirituales in quo sint loco, et quemadmodum, non est explanare promptum; illæ vero nec nusquam sunt, quare necesse est esse alicubi, sed non ita sunt in loco quemadmodum corpora, ut superficies aut corpus essentiam earum circumsepiat, quodque intra hujusmodi corpus relinquatur illæ impleant, futurum alioqui vacuum; nec possum aptius declarare qua ratione spiritus sint in loco, quàm si eos ita esse *in eo* dixerim, ut nos *in tempore*: est ergo spiritus essentia in loco, nam non ubique, limites vero loci illius operatio ejus exterior determinabit, quæ quam lata se porrigat, tam præsens esse Angeli essentia judicetur; quocirca quum mens nostra, corpore quanto inclusa, *quanta* solum possit imagine animi concipere, de loco *operationis* spirituum utcumque possumus dicere, de loco *presentie* nullo modo: sed quid dicemus de immensitate Dei, quæ capit et quod est, et quod non est? pauca utique, magis ut testemur nos non capere, quàm ut confidamus posse definire; sicut ex æternitate defluit tempus impurum ex impuro, divisibile ex indivisibili, ita ex immensitate locus, immensitas enim est *præsentia tota ubique simul*; et non aliter quàm ex infirmi-

ta-

tate nostri judicii Deus dicitur esse in tempore, ita etiam in loco, similiter enim se habent ad Deum locus, et tempus; quocirca quæ de æternitate sunt nobis ad tempus dicta, immensitati ad locum possunt aptari: æternitas mensura est immensurabilis, infinita infiniti; immensitas locus est immensis; et illud *hic* unum est atque idem per quicquid est in mundo, et extra mundum, quod nos non capimus, nempe, mundani, Deus tamen non minus *illic* est extra mundum, quàm extra nostrum tempus; et applicat se hic noster locus per partes immenso illi sine partibus; quomodo Deum dicimus esse in hoc aut illo loco haud multum aliter quàm humanam animam in toto corpore, et in quacunque ejus parte: sed assensus iste arduus admodum est humanis ingeniis, quare ad alia transeundum.

In disputatione de loco percommode quæsitum est a philosophis, sit ne vacuum alicubi in mundo? De vacuo varie homines loquuntur; vulgus vacuum appellat in quo nihil est solidi, ut, medium hoc, quod idcirco *inane* nominant; ex qua loquendi ratione Epicurei sunt falsi; alio modo quum non inest quo debet, aut solet impleri, ut, vacuum caput, in quo nihil prudentiæ; et vacuum pectus, in quo non est cor; crumena sine numis, vacua; urbs vacua, in qua non sunt homines, etsi crebræ pecudes; vacuus folliculus, quum non tumet vento: est *vacuum*, locus in quo nihil est omnino; qua intelligentia loquuntur philosophi, ut nullum sit in hac rerum natura vacuum; quid sit extra cœlum, norunt cœlites; in hac certe cuncta finxit Deus conferta corporibus, nihil inane, aut vacans, ut hic mundus similis esset auctori suo, in quo plena sunt omnia, nihil otiosum, aut vacuum; nam quod maxime videri posset vacuum, medium hoc, expletum cernimus aëre, aërem vero substantiæ lubricæ esse voluit, et subtilem, ut facile quævis penetraret, ac repleret, aliisque discedentibus corporibus ipse succederet: et universitatis naturam vacuum abhorere, argumento sunt peculiare naturæ quæ illi communi serviunt, atqui in contrarium feruntur hæ sui ipsarum, contra nutus suos agunt, atque ingenia, ne vel temporis momentum aliquid existat vacuum; sic aquam videre licet calamo, aut fis-

tu-

Hic immensitatis.

Vacuum.

Locus spiritualium.

Immensitas.

tula, attractam sursum ascendere, et cucurbitam irroratoriam, quæ subtus est multiforatis, continere aquam superiore foramine obstruso, nec dolium, quum perterebratur, vinum effundere, nisi aperiatur prius aliquod aëris spiraculum; magno documento hominum ut privata commoda publicis postponant; plana etiam se contingentia vi divelluntur, donec aër subeat, ne sit vacuum.

Lucretius Epicureus argumenta quædam colligit, quibus concludere se autumat esse vacuum, scilicet; quòd nisi id esset, nihil vel moveri posset in pleno, vel ali, atque augeri, refertis et constipatis meatibus; immo ob ea ipsa nihil est vacuum, nam nec ullus esset motus in vacuo, sed subita, et momentanea, a loco in locum migratio, nec alimentum reciperetur sensim in venas, sed puncto temporis cuncta pervaderet, quod nutrimento et auctibus esset inimicissimum; omitto alia ejusdem, magis, quam hæc sunt, ridicula; quid, quòd omnis naturæ mutatio per occultos fit, et fallentes transitus, ab hieme in ver, ab hoc in æstatem, tum in autumnum, rursus in hiemem, a die in vesperum, a vespero in noctem, ab hac in aurotam, et diem? idem est cursus in hominum ætatibus, ut nihil lacunosum, vel hians relinquatur; quæ aperte plena esse omnia loquuntur. Priusquam de motu dissero, addam quæ de quantitate restant dicenda, quæ etiam ad actionis cognitionem faciunt: ea in quibus est quantitas, habent partem et totum; pars est, quæ cum alio vel aliis facit aliud; pars omnis in iis est, in quibus sunt multa et pauca; et quamvis in mole continua sint partes, nihilo secius tamen partis nomen magis ad quantitatem numeri vergit; nam quum partes in corpore signentur, congregatio efficitur, id est, numerus; sed partes necesse est congruenti quodam spatio esse conjunctas; conjunctæ non possunt nimis esse, nam quid tandem excogitari potest materia et effectione conjunctius? disjungi vero usque eo possunt ut amplius non dicantur partes, velut si populus civitatis sit valde dispersus; *prima conjunctio* est materiæ et effectione, *proxima* inhærentis, nam effectio insinuata est per materiæ intima, inhærens autem extima potius materiæ videtur

at-

attingere, quàm penitiora, quemadmodum est a nobis paullo ante declaratum, sed certe ejus est secunda conjunctio; hæc dicuntur partes essentiæ hujus, vel talis, quæ sequuntur, etsi essentiæ rei construunt, tamen partes vocantur quantitatis, nam magis ex congregatione rerum jam absolutarum inter se, aut extensione uniuscujusque rei, sumuntur, quàm ex illa complicatione materiæ, ac speciei, unde rei essentia conflat.

Itaque *tertia conjunctio* est eorum, quæ jam quidem ex materia constant, et effectione, vel forma, ita sunt tamen vel apta inter se, vel connexa, ut non conjuncta videantur, sed res unius tenoris, et tamquam alia videatur ex alia nasci, quæ vulgo *continua* nominantur, nos *unita* nominemus; hæc non est simplex, nam alia non est connexa omnino, sed aptata, ut quæ nullo penitus medio, sed per se ipsas congruentia unius ad alterum ita committuntur, ut unus sit tenor non solum rei, verum et nominum quoque; sic aqua, aër, os, nervus, et cetera hujusmodi, habent partes, quæ a Græcis *ὁμογενεῖς* nuncupantur, quasi ejusdem naturæ, cognatæ, germanæ, nam unaquæque pars extensionis aquæ est aqua, non autem essentiæ, neque enim materia est aqua; aliæ distant inter se, et formis inhærentium, et facie, ac figura, ideo nominibus quoque, ut, caput, brachium, manus, tum inter se caro, os, nervi, cortex, rami, folia, flores, fructus, idcirco indigent copula, quæ talis est in eis qualis in mundo, quæ ex iis, quæ compingit, et se ipsa, unum faciat, naturam utriusque retinens, non formæ appellatione, sed ingenio rei; ut, cartilago quæ a carne est caro, et fit sensim os usque ad os; ab hoc incipiens est os, et paulatim in carnem desinit: omnia viventia et artificialia pæne habent hujus generis partes, quas Græci vocant *ἑτερογενεῖς*, quasi dissimilares, quæ vocentur a nobis membra; ipsa vero quæ priores partes habent, dicantur *ὁμοιομερῆ*, quæ posteriores, *ἑτερομερῆ*, quasi *unipartia* et *varipartia*: in iis inhærentibus, quæ crescunt, quæque minuuntur, auctus illi et diminutiones tamquam eorum partes a nobis considerantur, ita enim parva est ita, quæ quasi paucas et exiguas partes habet, magna quæ contra; et sunt *ὁμοιομερῆ* ad hunc modum nigritia, prudentia; sunt quæ-

quædam artificialia, quæ habent partes dissimilares, ut grammatica, non enim unaquæque grammaticæ pars est grammatica.

Quarta conjunctio eorum quæ attingunt se tantum, quæ sunt, vel applicita, ut, cum tabulæ compinguntur, quæ commissa nominantur, vel connexa, ut, in fune, in textura, in nodatione; in hoc reponuntur genere quæ junguntur quidem, sed glutino quod non resipit utriusque naturam; quæ omnia vocantur *contigua*; sic domus habet partes contiguas, et liber folia; fit tamen ut illud glutinum procedente tempore in naturam eorum, quæ convincit, vertatur, sicut calx in lapidem, tum ex *contiguis* fit corpus *unitatis*; hujus sunt generis quæ miscentur, aqua et vinum, tum pharmaca quousque fiant unum: *Quinta conjunctio* est eorum, quæ, certis quibusdam intervallis congregata, quiddam efficiunt, ut, grana acervum, ligna struem, homines populum, et civitatem; nisi quis civitatem censeat non tam conventu intra eadem mœnia, quàm eodem jure, officio, magistratu, ut in bello civili Pompejano, de quo non laboro; verba et sermo in hoc genus cadit; neque enim quantumcunque separata grana facient acervum, nec homines populum, nec litteræ verbum, nec verba orationem, nec domus civitatem, nec milites exercitum; hoc modo omnia quæ sunt in mundo efficiunt mundum; sed numerus interdum est naturæ ac rei, interdum nostræ cogitationis; sic quatuor reges, quantumcunque separati, junguntur a nobis mente quum reges computamus, et numerum reddunt: est et alia *conjunctio* spirituum, major multo quàm quævis corporum etiam eorum quæ unita sunt, quum scilicet spiritus nexu suo devinciuntur, qui est amor, sicut duorum amicorum animi coherent, et unum fiunt.

Totum.

Quod constat ex partibus *totum* est, sed nec simpliciter totum dicitur, nam totum, vel refertur ad minora, vel ad se, vel ad majus; ad minora, nempe ad partes, totum est quicquid conficit pars cum alio, id est, quicquid partem illam capit, ut, ad manum, et homo est totum, et brachium; sin ad se, totum est quod constat ex omnibus suis partibus, ex quibus pro natura speciei solet constare; et hoc vocatur *integrum*,

Integrum.

grum, cui opponitur diminutum, seu truncatum, quum aliquid deest formæ illi a natura tributum; quæ mutilatio non est sita in parvo, et magno, sed in congregatione partium quas illa species naturæ munere accepit; quare in membris est mutilatio, non in partibus germanis, non enim diminuta est manus, si sit parva, aut brachium exiguum, ceterum si desit unus ex quinque digitis; nec civitas est imminuta, si unus aliquis privatus moriatur, neque singuli homines partes sunt civitati a natura tributæ, id est, rationi et essentiæ civitatis, sed si non sint magistratus, aut publicum concilium, aut plebes; et quanquam omnis detruncatio singulorum est, quandoquidem detruncari, ac diminui formæ non solent, tamen est alia diminutio hujus in nomine speciei, et alia in re singulari; manus hæc, si pars minusculi digiti decidatur, non est manus diminuta, est tamen hæc manus diminuta, ut non sit jam quæ prius; et quum totum refertur ad majus, ita totum est quod alterius pars non est; difficile inventu quod non sit pars alicujus, nam ad summum unaquæque res est pars mundi, sed ut consideramus, ita exprimimus; velut, si quis de civitate nihil cogitet, unum hominem dicet *totum*, sin cogitet, hujus erit *pars*: ergo totum quod de partibus sumitur, aut est ex complexu, aut ex unitate, aut commissione, aut connexione, aut innodatione, aut copula, aut mistione, aut congregatione; omnes fere ejusmodi habet corpus animantis, nempe, materiam simplicissimam, effectorem, inhærentiam, caput, et truncum, nodos in spina, et annulos in collo, connexionem intestinorum, colligationem nervorum atque ossium, sanguinem, mistionem humorum, et quasi congeriem partium.

Diminutum.

Ex partibus, sunt quædam ad solam quantitatem spectantia omni seclusa mole, ut, quæ sunt mathematica, angulus, palmus, ulna, hæc enim extra materiam omnem intelligimus; alia inter se collationem dicunt quantitatis, ut, quæ sub comparationem eunt majoris ac minoris, simplum, duplum, dimidium, sesquialterum; quarum hæc ad numerum magis se applicant, illæ ad extensionem: et quædam rei partes eam habent in toto dignitatem, ut sine illis totum non queat conservari, quale est in homine caput, et in omni animante cor, aut quod est cordis

dis vice; aliæ sunt inferioris dignitatis, quibus remotis, etsi id totum, quod erat antea, non maneret, quod restaret tamen nomen obtineret prioris essentiæ ac formæ, ut, si homini absunderetur digitus, homo remaneret, et civitas unoquolibet privato moriente: ventilata est quæstio inter captiones disputantium, an partes aliquæ animati eodem censeantur nomine quorum? ut brachium hominis animal sit, et homo, nam in quo dicunt inesse animam, et quidem rationabilem, id vero jus esse ajunt et animal et hominem vocari; sed enimvero, quæ partes animalis, si essent ab aliis resectæ, animal conficerent, eis liceat nomen idem competere, ut reliquum corpus digito aut manu demta, in ceteras appellatio totius non competat, sicut in brachium, vel crus; neque vero corpora sunt animata, id est, animam habentia ceu effectioem, etsi vim animæ sentiant, nam animatum id demum placet esse, in quo anima est effectio; sit sane in hominis brachio rationalis anima, ut præsens, non tamen, ut forma, seu effectio, et tamquam artifex; videlicet, quod alicubi apta instrumenta non habet, id in eo artifex esse et effectio non potest; quocirca corpus necessariis instrumentis ornatum, quod organicum dicitur, id solum est corpus animæ, id est, in quo animæ licet actionibus suis fungi, nec aliud vere animari dicitur, non magis quàm si in saxo poneretur hominis anima, neque enim præsentia est animatio, sed exercitium operationum: revertamur jam ad compositum quod ex partibus diximus coagmentari.

Simplex. *Simplex* et unicum est ens, quod partes habet omnino nullas, tamquam Angelus; et quo quicque pauciores habet partes, minusque inter se dissimiles, hoc est simplicius, et magis uniusmodi, velut aqua, vel charta, quàm homo, et arbor; *simplex* etiam est, cui nihil est additum aliud a ratione suæ essentiæ, quomodo *solus Deus est simplex*, nam quicquid in eo consideratur esse, de natura est ac ratione divinitatis; qua mente ne Angeli quidem sunt simplices, nam eis bonitatem et intellectus plurimarum rerum addimus, quæ de natura ipsorum non sunt; accedunt, recedunt, minuuntur, crescunt; sed nos Deum vocemus *simplicissimum* et *uniusmodi*, Angelos, et mentes

nos-

nostras, *simplices ac immistas*: verum unaquæque res, sicut similitudine quadam Dei, *est*, ita similitudine illius, *intra se est reducta*, ut substantiam suam, et essentiam in se complectatur, ac contineat, ab aliis seclusa, nec alienas essentias in suam admittat; alienas voco, quæcunque ad illius absolutionem non pertinent ut ea sit vel hoc, vel tale; idcirco unaquæque, quamlibet misceatur ex variis, unum est ens, quemadmodum Deus unum est; nam etsi unum non sit simplicitate essentiæ, ut Angelus, nec complexu partium essentialium, ut corpus et anima, nec unione, ut charta, vel stirps, nec connexionione, ut pannus, nec conglutinatione, ut paries, inveniet nihilominus formam unius aliquam, qua se unitati vendicet, nempe, in modum vel acervi, vel struis, vel cœtus; et quæ sunt rationes *partium*, ac *totius*, eadem sunt *unius* etiam; quocirca sicut unaquæque res est *una*, et auctor rerum *unus*, ita opus illius quod capit universa *unum* est, *unus* mundus, et *unum* in eo humanum genus, et *unus Dei filius Christus*, *unius humani generis collapsi magister*, *instaurator*, *servator*.

Sequitur ut dicamus de motu, quem Aristoteles facit quadruplicem; a loco in locum oppositum; ab ortu ad interitum, vel contra; ab adjuncto ad adjunctum majus, minus, adversum, vel a remotione adjuncti ad adjunctum, aut vice versa a magnitudine majore ad minorem, aut ab hac ad illam: primus est translatio; secundus generatio si ad hanc tendit, vel corruptio si ad eam; tertius variatio, quam ille ἐτεπέωσιϋ nominat, vulgo alterationem verunt; quartus incrementum si ad majus itur, diminutio si ad minus; ut motum in genere definiri liceat transitum, sive mutationem ab hoc in illud: ita omnis actio atque operatio erit motus, tamquam transitus ab eo, unde proficiscitur actio, ad id quo intendit; sic Angeli dicantur moveri, quum quid agunt; et animi nostri non solum in illis tumultibus et tempestatibus affectionum, sed in cognitione etiam et placida intelligentia, sicut Platoni visum est, de quo a nobis alibi disputabitur; ita motus est, transitus entis ad id consequendum re, quod habet potestate; quocirca Deus non movetur, quando nihil ei novum potest accedere: quies ab-

Kk 2

sen-

An pars hominis homo.

Unum.

Unus mundus.

Motus.

Deus immobilis. Quies.

sentia est seu privatio motus, quemadmodum tenebræ lucis, silentium soni, ita quot modis dicitur motus, totidem quies: jam quæ moventur, alia moventur per se, alia ad motum alterius, alia utroque motu; per se movetur homo, quum ingreditur; ad motum alterius, quum gestatur; ambobus modis, quum in navi satagit per tempestatem: motus in rebus spiritalibus qua fiat, nemo facile dixerit; in molibus vero per medium est ab extremo ad extremum, id est, a principio ad finem illius; nec unquam simul est in toto, alioqui momento temporis idem esset in duobus locis, nempe in exordio et termino; ad hoc, si in medio nactum esset finem, ibi sisteret; itaque foret finis motus in medio, nec jam id esset medium, sed extremum; quod in infinitum restringeretur, ut quæcunque essent media, fierent metæ.

Neque actiones mentium nostrarum, aut Angelorum, expertes sunt temporis; omnes enim rerum conditarum actiones tempus metitur, sicut divinas æternitas, quare tantum intelligitur esse de motu et actione in præsens, quantum de tempore; et quando tempus mensura est motus, ideo celeritatem quoque motus tempus definit, ut quod plus spatii confecerit in pari tempore, et sic proportione temporis ad spatium peractum, celerius existimetur motum; et in spiritalibus, quod parem actionem, vel opus actionis, mincre tempore absolverit, citius dicatur moveri; quapropter admirabiles sunt rerum spiritalium concitationes, ac celeritates; conferuntur inter se ut alia ingenia aliis dicantur magis cita, et actuosa, nempe quæ idem velocius assequuntur, aut majora pari tempore; in Angelis magis dixerimus rapidissimos esse imperus, quam motus, expeditissime enim quicquid instituerunt, perficiunt: motus ad eundem consideratur modum, quo lineæ, quarum aliæ sunt directæ a puncto in punctum brevissimæ; aliæ ambagiosæ vel incurvæ, quæ quum ita se in ipsas reflectunt ut punctum extremum attingat primum, fiunt circuli; et sicut linea curva una est, linea fracta non est una, ita curvus, aut orbicularis motus, unus est, sin rumpatur, fiunt multi; rumpitur motus morula, atque interstitio, quod si progrediatur ulterius semper ad oram

ei

ei contrariam unde primum exivit, motus sunt recti, sin versus eandem revertatur unde venerat, reflexi, seu reciproci, sive id per eandem lineam directam fiat, aut per aliam curvam ad idem punctum, sive per aliam omnino lineam ad aliud punctum in eandem regionem vergens, altius, depressius, par, ut ab *A* ad *B*, a *B* in *A*, vel in *C*, in his figuris quinque; quæ non solum contingunt in translatione molis, quum ea locum mutat, sed in omni actione spiritus, ac corporis.



Porro quod inter eos transitus intercedat cessatio aliqua, quum docet ratio, tum sensu in plerisque percipimus; nam res omnis vel movetur naturaliter, vel vi; si naturaliter, nacta igitur finem suum quiescet; sin vi, ergo inter finem violentiæ et initium pronitatis naturæ aliquam ponet intercapedinem, dum violentia flaccescat, et natura se exerat, quemadmodum in lapide sursum jacto; neque ex motu violento et naturali unus motus fiet eodem tenore unitus; etiam in quibus vis altera subito excipit, ac retorquet, aliquid est interstitii, etsi minus ad deprehendendum expositi, quo prior vis delassata, posteriori novæ, ac vigenti concedit; in quo est pugna, et contentio, quæ in momento temporis individuo non transigitur, tempore aliquo est opus, brevissimo quidem ad actionem celerrimam, sed dividuo tamen; sunt in quibus sensu ipso quietem annotamus, ut in sagitta sursum jacta, quæ se in momento quo deorsum retroagit, cessat paulisper, ac novum motum exorditur; idem in actionibus, et passionibus principum qualitatuum corporis; idem in omni incremento ac decremento naturæ licet deprehendere; ut in tempore, in æstu Oceani, in animantibus; idem in ipsis naturis spiritalibus, videlicet, in cogitatibus nostri animi. Motus rectus non potest esse infinitus, unus continuus, quoniam infinito esset opus spatio in quo se extenderet, quale nullum est usquam; circularis infinitus esse potest, quoniam

in

in eodem spatio posset continuari quamlibet angusto, modo a vi aliqua, et potentia indefatigabili sustineretur; idcirco motus ejusmodi attributus est cælo, ut diurnus esse possit, nec pausam ullam interponit unquam, quoniam ita est ex usu naturæ: et sicut magnitudinibus quosdam affingimus limites, in corpore superficies, in his lineamenta, in lineamentis notas, seu puncta, et hos omnes ratione quadam insectili quatenus sunt termini, sic in tempore quædam consideramus puncta, quæ ab Aristotele vocantur *τὰ ὄρια*, eaque velut initia sunt et fines, non partes temporis, ejus dico quod nos partimur, nam ipsum in natura unum est perpetuum, nec intersistit.

In motu etiam quædam intervalla et quasi puncta imaginamur, quibus non aliter motum dissecamus quam tempus, eaque Aristoteles appellat *κινήματα*, *mutata* vulgo nominantur: et quum actio omnis motus sit ab aliquo in aliud, opus est ad eam movente ad initium, et movente ad exitum; ad initium movet finis destinatus, ab initio vero ad calcem ducit efficiens; finis est in voluntate, efficiens in viribus; hac temperatione, atque harmonia, connexuit Deus omnia; nam et utrunque tam finis, quam efficiens, in exordio, et medio operantur, efficiens explicatione virium, finis incitatione atque stimulatione, desiderium enim finis detinet agens in ope: scite Horatius: (1)

::: *Animum spe finis dura ferentem.*

nam in quibus delectatio detinet, ea ipsa delectatio est finis. Quocirca duo sunt in actionem necessaria, velle et posse; hoc est virium, illud finis; voluntas in iis, quæ mente, iudicio, consilio sunt prædita, libera est, namque hac gratia attributi sunt ei illi velut consultores, ut quid factu videatur optimum cum eis consultet, ac deliberet, reliqua tantum habent instigationem quandam, et tacitum naturæ calcar, quo sine deliberatione agitantur, atque impelluntur, nec possunt retrovertere, nisi cum vi majore repelluntur, ut, quum ignis fervor circumfuso frigore impeditur, et aviditas cibi in cane metu fustis retardatur; in quo naturæ

vi-

(1) Epistolar. lib. 2. epist. 1. vers. 141.

vires diversæ inter se pugnant, tam enim fertur brutum naturæ impulsu, quam res inanima; itaque consilio non est opus ubi non consultatur, stimulo est opus intimo, et salutari illi, in quo est.

In potentia, seu facultate, sunt agentis vires, quæ considerantur aliæ *ex dantis munere*; hæ sunt, effectioni, aut cui-cunque formæ, ingenitæ, vel aliunde inditæ; pars sunt *acquisitæ*, ut, artes hominum; sunt *violente obtrusæ*, atque *impressæ*, sicut calor in aqua fervere facta; in partem virium venit instrumentum quod vires adjuvat, ut manus, vel gladius; quod si instrumentum accommodum non sit, *impedimentum* est, non *instrumentum*, ut, invalidum puerum gravi et inhabili ense armari; censentur vires vel *ex loco*, et tamquam *sede*, vel *ex opere*; *ex loco*, nam aliæ sunt spirituales in spiritibus, ut in animis nostris vis ingenii ac memoriæ; aliæ corporales in corporibus, ex quibus nonnullæ sunt in insensibilibus, aliæ in animantibus quædam in nobis, vel extra nos, vel intra nos; accedit his *ex loco et tempore* commoditas, quæ duo viribus modo prosunt, modo obsunt; plura et majora facimus illo, aut illo, parvo, magno, loco, et tempore; adde his *adjuncta* tempori et loco, ut, comedere, concoquere, studere, laborare, salubri loco, die sudo, et suffrigido: *ex opere* autem: nam sunt quibus utimur *ultroneis*, hoc est, ex pronitate naturæ, et tamquam libentibus, ut, igne ad urendum, ventriculi calore ad coquendum; sunt quibus *repugnantibus*, et coactis, ut, gladio ad scindendum, servo qui ad officium pertrahitur; aliis *precario*, ut, principe ad favorem; alia tamquam *ex officio* præsto sunt, ut, leges, et boni magistratus; quorundam est *eblandienda* opera, sicut vulgi amicorum, ingenia etiam nostra plerumque sunt *allicefacienda*; sunt quibus *autoritate* ac *jubendo* utimur: quibus rebus adjuvamur pro nobis, eisdem lædimur atque impedimur contra nos.

Quanto facultas agentis est major, hoc minore ac minus apposito tum instrumento indiget, tum commoditate loci, ac temporis; validius enim minus eget ope externa, alioqui non esset validius in se, nec quicquam a potentiore distaret infirmius;

Instrumen-
tum.

mius; quocirca magni artifices incommodioribus instrumentis exactiora perficiunt opera, quàm mediocres idonea instrumenta nacti, ut Apelles carbone de foco raptò melius expressit a quo esset ad Ptolemæum invitatus, quàm alius fecisset apto penicillo; quod si præstantissima est Dei virtus ac potestas, utique instrumento nullo indiget, quippe instrumentum imbecillitatis est, ut quod per se non potest, assequatur per aliud; condita omnis vis ac potentia certis limitibus clauditur, non modo ad continuationem actionis, sed ad impressionem et magnitudinem effectus; hinc nascitur agendi, et patiendi inæqualis quædam libratio, quæ proportio seu comparatio nominatur, nihilque est adeo facile, quod a creato agente non agatur cum difficultate propter finitam ejus vim, et repugnantiam patientis; Angelos vero sicut in essentiæ incorruptibilitate, ita in expedita actione adjuvari arbitror a Deo ne quid subeant molestiæ; quocirca in quibus virium agentis et patientis libratio, et quasi contentio, conatu opus est quo virium suarum tantum colligat agens, quantum sufficere judicet, idque effundat desiderio finis; opus est item tempore in quo exerceat conatum perveniendi ad finem: nulla est ergo inter Deum et ejus opus comparatio: alioqui tempore indigeret ad perfectionem operis instituti, nec in minore posset efficere; indigeret etiam conatu, in quo a nemine posset adjuvari, ut ipse juvat alia; istud vero, nullam rem illi, quæ habeat, contulisse, infinitam ejus potentiam aperte loquitur, nam si finitus est ac limitatus, velim scire: quis ei limites præfixit? In conditis rebus facile hoc quivis expedierit, in illo: quis dicat? quis possit vel cogitando fingere quum nec eo quicquam fuerit prius, nec in eo aliud sit quàm Deus unus, merus, purus, simplicissimus?

Quod si nemo vires illi est largitus, sed ipse sibi sumsit, nec aliunde, sed ex se se, dubitari profecto non potest, quin sumserit infinitas: quis sibi bonum sumit, nisi plurimum, certe quantum potest? Quid ergo secundum finitam aliquam mensuram acceperit, nec accipere plus poterat? Quis illius manus constrinxit? Quæ res modum ei potuit imponere? Cedo autem, num non id constat Deum esse, quo nihil majus cogi-

ta-

tari potest? immo majus esse omni quod cogitari potest, et ut sapienter addit Joannes Picus, infinite majus; at si infinitus non est, minus certe est quàm concipere possit nostra mens, nullum est enim finitum supra quod illa non valeat se erigere: adde quod non potest ea supra primum sui auctorem cogitatione se attollere, sicut nec est aliquid quod ultra suam originem queat regredi; atqui quocunque limitato amplius aliquid illa concipit: major est ergo conditor omnium. Quorsum attinget impietates comminisci quas nec ingenium nostrum capiat, quum interdum id in pietate ipsa vix ferant nonnulli? constituent jam isti philosophi, utrum malint factum aliquando mundum, an æternum? si æternus est, infinita Dei virtus declaratur conservatione per tempus infinitum sine lassitudine, sin aliquo temporis principio est exortus, infinita virtus ostenditur productione de nihilo; omnis enim finita virtus, in aliquo, se, et ex aliquo, exercet; quod autem ex nihilo aliquid educit, infinitum sit necesse est, nempe quod tantam habeat proportionem virium supra opus, quantam aliquid supra nihil, quæ plane est infinita: itaque Dei opera, quantus sit opifex, testantur: quæro autem: quid egerit, sive in numero, sive in magnitudine, sive in modo, quo non possit aliter, et majus, et præstabilius efficere? Quid tandem est in operibus Dei postremum, supra quod nihil esse possit? an in singulis rerum aliquid? an in formis, et quas species nominant? an non plures potest arbores condere? plures equos? plures homines? plures cælos, ac stellas? et ut homo pomis alitur ac pane, ita lignis, et saxis? et ut cælum ab hoc Orientis puncto ad istud Occidentis convertitur, contrario motu volvi?

Aristoteles fieri aliter posse non putat, quoniam quemadmodum factum sit, bonum sit mundo; addas etiam licet optimum, sed ita ut melius fieri non possit, non autem ut hoc melius sit quàm quicquid ille potest facere, istuc enim optimum non in puncto insectili est positum; late patet; si diversum fecisset, id quoque optimum fuisset mundo; sed Aristoteles perinde facit, ac si quis quod architectum commodam ædificasse domum viderit, existimet nec aliam, nec aliter pos-

Tom. III.

LI

se

Conatus.

Deus infinitus.

se eum extruere æque aptam usibus; quod si de architecto homine cogitare dementiæ sit, & quale erit de architecto immensæ sapientiæ ac potestatis? Cœli Aristotelis seculo octo esse putabantur; apud illos contenta his erat rerum natura, immo non credebatur plures posse capere; nonus est a sequentibus astronomis adjectus, postea decimus; & stellæ quid agunt in mundo? ad ornatum vult eas esse Aristoteles sparsas; quæso te, & una addita vel dempta variaret hunc ornatum? quod si non plura esse possunt astra, neque pauciora, nec ampliore numero esse homines poterunt, nec minore, quum magis hominum genus ad mundi salutem pertineat quàm astra, quoniam semoto homine nullus est condituræ hujus usus: & quod si rerum singula, et plura, et pauciora, potest condere, quin etiam de formis idem existimamus? & præsertim quum jam adulto mundo non pauca sane extiterint novæ rerum species ex veterum commistione, non minus inter ea quæ sensus sunt expertia, quàm inter animantia, et stirpes, quædam perierint? Quid, quod multa arte nostra fiunt meliora, quàm quomodo sunt a natura ipsa initio producta, ut, triticum, et uvæ, & nos ergo Dei opera poterimus (ut sic dicam) meliora facere, id est, aptiora nobis, ipse non poterit? & immo aliquid poterit plus arte nostra adjutus, quàm solus? quæ vel cogitare furoris est.

Ad hæc, intervallum excellentiæ formarum inter se, aliquid est latitudinis, in quo nova species posset interjici; ab ultima etiam et illi proxima specie ad eum, spatium est non modo magnum, verum infinitum quoque, et esset infinitum etiam si centuplo præstantior aliqua species conderetur; ut appareat relinqui locum infinitis formis antequam expleatur quod inter Deum auctorem et quodcunque ejus opus immensa intercapedine se porrigit; meritoque est a Platonicis reprehensus Aristoteles, qui illa velut distributione publicorum munium universitatis, quum septem inferiores orbes assignasset mentibus, octavum Deo attribuit; iniqua proportione, etenim magis præstat Deus mentes omnes pariter, quàm octavus orbis septimum; itaque non habet princeps mundi peculiare opus, quoniam illius sunt cuncta, et ipse est supra omnia tanto intervallo, quanto

im-

immensus supra definita. & Quid ergo? nam id requirat aliquis, & si infinitus est Deus num omnia infinite exequetur? ad actionem quidem infinite, ad opus finite: ex nihilo procreare singula, infinita est actionis, opera tamen quæ existunt, finita sunt: non enim accommodat Deus res potentiæ suæ, sed nostris usibus, ac commoditatibus; non spectat quid ipse possit facere, sed quid mundo conducatur, ut, quum nobis loquitur, non utitur infinita sua facundia et sapientia, quæ mentes omnes obrueret, ac confunderet, sed ea quæ congruat cum nostra infirmitate: si omnia fuissent infinita, nullus constitisset ordo, essent prærapida, immoderata, actiones subita, et momento temporis, interitus atque ortus singulorum, vel certe rigor perpetuus sine motu in eodem vestigio, atque æternus torpor, nec iste ornatus, ordo, vices, distinctio, rata, et constantes; et quanquam ille in natura sua nec numerum habet, nec pondus, nec mensuram, omnia tamen perfecit his tribus consistentia, quemadmodum a nostro sapiente dictum est, quoniam ita est illi visum, non quia aliter facere nec debuit, nec potuit.

Nam si ad hunc modum necessario ageret, actio illius foret naturalis, nec esset actionum suarum compos, et dominus, et quantumcunque delectaretur opere, non tamen aliter in eo versaretur, quàm plantæ, aut bruta, aut corpus nostrum, non ut mens; sed libertas profecto nostrarum functionum, et libertas spirituum omnium, dico in agendis, extrorsus declarat quo res sunt illi viciniore, eo majore esse libertate præditas; idcirco in eo esse fontem libertatis purum, quemadmodum essentiæ, unde communicetur reliquis: & quid minus convenit quàm existimare nos esse actionum nostrarum dominos, illum non esse? Quod si naturaliter ageret, omnia secundum absolutam suam atque extremam vim produceret, ut in iis videmus quæ naturaliter quid agunt, itaque omnia ab eo exirent infinita, nempe ab infinita vi ac potentia totam se se in opus explicante; nam quæ agunt naturaliter, nullum delectum habent virium, nec partim explicant, partim reservant sibi, sed quascunque possunt, simul effundunt: id licet in nobis animadvertere in actione voluntatis, et actione mentis, quarum

Deus an operatur infinite.

Deus an agat necessario.

hæc naturalis est, illa libera: tametsi nec naturâ suâ Deus caret, et hac de causa neque naturali actione, ex qua quod nascitur, quemadmodum e potentia est infinita, sic illud sit etiam infinitum necesse est, et quia naturaliter gignitur, simillimum sit parentis sui, huc enim naturalissimæ omnes actiones intendunt. Et quando Deum nihil habere potestate docuimus, sed actum esse purum, fit ut otiosi illum aliquando sit nefas; quocirca ab actione nunquam cessavit; et verisimilius est ab actione naturali non cessare, quàm a libera, quemadmodum etiam ex nobis ipsis licet cernere, in quibus interquiescit voluntas aliquando, mens nunquam.

Colligimus ergo Deum aliquid produxisse naturaliter, infinitum, simillimum sibi, æternum, quod quia ex parte mentis venire magis intelligimus, quàm voluntatis, quoniam illuc se applicat natura, huc libertas, sapientiam nuncupari, fas jusque est: hoc philosophus quo nomine sane voluerit insigniat, *Christiana sapientia filium patris appellat*: verum hæc persequi exactius altioris est contemplationis: habes, Aristoteles, Deum actum purum, nec unquam cessantem, et aliquid naturaliter producentem; non tamen insultamus tibi, tamquam aliquid nos eruerimus quod te latuerit; nec ista nos adeo plene assequeremur, nisi ab eadem ipsa Dei sapientia edocti, cui agimus gratias de ineffabili suo dono, non ingeniis nostris, aut diligentia studiorum. Redeamus jam ad finitas vires, quæ indigent ad actiones suas *tempore*, quum infinita non indigeant; nam si finita est potentia, *aliquatenus* licebit illi; sit hoc *a b c*, illud ergo consumetur in tempore itidem *a b c*, partes igitur in partibus, nempe, *a* in *a tempore*, *b* in *b*, *c* in *c*; nec ulla pars virium est insectilis: non ergo se explicat in tempore insectili: præter hæc, si actio omnis est transitus, nec transitus est absque medio, non poterit fieri nisi in tempore, ab ea quidem potentia, quæ simul nequit esse in ambobus terminis, nempe limitata; et si in quacunque actione inest conatus perveniendi ad calcem, certe aliquid distat initium ab exitu in qua intercapedine conatus exercetur, alioqui non erit opus illo; in iis quæ contra naturam aguntur patientis, semper est lucta initio,

me-

medio, exitu, nunquam enim non pugnant agentis violentia, et patientis natura; in iis vero quæ secundum naturam, nulla est, motus initio, contentio, nam is motus a natura excitatur quæ est in unoquoque, quæ secum non pugnat, nisi forte admistum habeat impediens, ut, animum ad speculandum consurgere, deprimitur enim mole corporis.

Sed quantumcunque vis sit naturalis, ubi est actionem ingressa, configit in quod agit cum agente, propterea quod agens, nempe movens, nititur penetrare ad finem, medium vero quantumcunque molle penetrationi renititur, siquidem est penetratio omnis velut divisio, divisio autem corruptionis initium, non aliter ac conjunctio conservationis adminiculum; et quo durius est medium, hoc habet partes constipatiores, et proinde auctiores vires, itaque validius reluctatur; ideo motus in aqua difficilior est quàm in aëre, et in luto, quàm in aqua liquida: traducuntur hæc ad res spirituales, ut *aciem* dicamus ingenii, iudicii, sensum quasi penetret interius, tum *dura* sunt quæ difficilia, atque abstrusa, ceu multa contexta cortice, et densa, vel procul posita, ut per longiorem motum eo sit veniendum, et per aliorum gradus atque adminicula: in hoc actionis *medio* materia componitur, et adornatur inductioni ejus speciei quam agens instituit, sive artis, sive naturæ, essentialis, aut inhærentis; extrema sunt, a quo ad quod res transit, medium est inter hæc; transit vero res ab uno loco in diversum, transit ab adjuncto ad adjunctum, transit materies ab effectione ad effectiorem; a loco in locum res transmittitur, vel quod novum habet locum relicto priore, non mutata sua magnitudine, aut mutata si prius motus est loci; sin mutata, vel dilatata, vel contracta; si dilatata, crevit, sin contracta, diminuta est; medium in motu locali est translatio, quæ fit vel ab ipso moto, qualis est in animalibus ingredi, nare, volare, serpere, vel extrinsecus, expelli, attrahi, attolli, deprimi, vehi, volvi, seu converti; medium in incremento est additio extensionis, in decremento est detractio: ab inhærente ad inhærens variatio est, seu ut vulgo loquuntur alteratio, quæ fit quum novum inhærens quæritur, sive prius amittatur nullum, sive ali-

aliquid; sed si orbationes, et quasi spoliationes accedentium in accedentia reponamus, ut tenebræ, quies, silentium, erit ab accedente ad accedens, vel a toto accedente ad totum, qui est ceu motus quidam loci a termino ad terminum, vel a majore ad minus, vel contrà, quæ sunt incrementum et decrementum.

Inhærentium motus.

Contraria.

Privatio.

Ex inhærentibus, alia sensim subeunt, ut quæ sunt in extensione, et in quibus sunt consuetudines, quemadmodum virtus, ac vitium; alia repente, ut paternitas, filiatio, tum quædam alia; accedens habet contrarium, seu adversum, contraria enim sunt inhærentia, quæ rationem actionum, et effectum significant sub eodem genere diversissimorum, ita ut magis diversa aut remota non sint alia, ejusdem quidem generis, ut quorum colorum hic maxime cogit obtutum, ille dissipat, hic plurimum exhilarat oculos, ille contristat, ex saporibus qui gratissimus est palato, et qui ingratisissimus, ex principibus qualitibus, quæ vehementissime agit, et quæ remississime, quæ sursum attollit, et quæ deorsum deprimit; nec inconuenit sub una generis latitudine multa esse extrema, multa aduersa, ut quum genus est amplum, sicut in tactili, aut quum varie pugnarum naturæ spectantur; sunt quæ aduersum habent nullum, sed absentia illorum nomen inditur, quæ est orbitas quædam (ut dixi) seu nuditas, seu privatio; ut, si absit visus animanti, in eo est cæcitas, quo in loco non est lux, sunt tenebræ, ubi non est sonus, ibi silentium, ubi non est motus, ibi quies, quæ orbationes in variis linguis varie exprimuntur; sunt quæ pauciores habent, sunt quæ plures, prout sunt linguæ copiosæ; atque hæ certis nonnunquam, et impositis nominibus assignantur, non raro tamen ea notantur nominum compositione, qua expers significatur, aut *sine*: apud Græcos est τὸ ἀλφα: quod illis est promptissimum; ideo plurimarum habent aptiora nomina, quam Latini, apud quos est *in*, et quandoque *ex*; tametsi ex his nonnulla contraria magis sunt, quàm orbantia, ut justus, injustus; jam quæ videntur, pro iis consuevimus ducere quæ sunt: ita olivam dicimus et hominem exosse, quod in eis parum sit ossis, et ideo nihil videatur; lignum insecabile, quia difficile secatur; materiam immortalem, quia post longum tempus perit.

Sed

Sed quæ vera sunt privantia essentiam habent nullam, contraria habent; non enim sola absentia caloris est frigus, nec frigoris calor, neque sanitatis morbus, aut morbi sanitas, nam est quæ facit sanitatem harmonia illa humorum, est qui facit morbum humor aliquis excrescens, nisi forte non ex illo humore redundant morbus nascitur, sed ex perturbatione contentus: at vero quum non sola alterius absentia facit alterum, sed causæ sunt utrique certæ, non dicuntur privantia, et si hoc facilius dictu est in genere quàm explicare in singulis; quia pleræque causæ sunt incognitæ, præsertim inter quæ non invenitur medium, quippe sunt quæ, in substantia idonea, si alterutrum non insit, necesse sit inesse alterum; ut, in quocunque homine, stato quodam tempore naturæ, dentatum esse, aut edentatum, videntem aut cæcum, neque enim videns est lapis, aut cæcus, nec caniculus ante certam diem: ægrum et sanum medium non habere Aristoteles affirmat, in quo est illi controversia cum medicis: in iis quæ sensim fiunt, motus est per adjectum, vel detractum ad hærentis, usque ad terminum majoris aut minoris, vel certe usque ad aliud; ut, quum ex albo fit candidum, aut fuscum, vel ex albo ceruleum, ex cæco videns, ex vidente cæcum; in privationibus fiunt omnia per ea quæ aliquid adferunt, quæ sunt positiones, sive habitus, Græce ἔξῃς; ab illis plerumque orbationes nomina sua accipiunt, diffinitiones autem semper, atque adeo hæc est privationis præcipua nota, quod per positionem suam tamquam absentem declaratur, nec aliter potest; neque vero quisquam sit admiratus me a cæco ad videns revertisse, quandoquidem non video ubi locum habeat, quod dicitur: *A privatione in habitum non posse regressum fieri*: etenim a silentio, a quiete, a tenebris fit, a cæcitate quotidie experimur, a morte ipsa etiam gentiles produnt: in iis accedentibus quæ subito existunt, non est in ea ipsa actio, sed in illa per quæ existunt, ut, in paternitate gigni filium, in consulatu declarari consulem, in quibus tamen motibus necdum vel paternitas est, vel consulatus. Ab effectione in effectiorem migrat materies per expulsionem, et tamquam *revulsionem* prioris, nam radicata est omnis effectio in materia, et quo radicator, hoc illam evellere operosius.

A privatione in habitum regressus.

Quantum

Quanto agens est potentius, tanto celerius, et facilius, et aptius quantamcunque sumit materiam, ei operi quod destinavit, parat, ac proinde promptius opus absolvit; Deo obsequen-
tissima est quæcunque materia, nobis multæ reluctantur, aliæ pertrahi non possunt quo volumus, ut, ex aëre simulacrum a nobis fieri, quod Angelus faceret; quare ista omnia, vires, repugnantia, et ejusmodi, relatione dicuntur, non per se, ac simpliciter, ut, magnum, parvum, robustum, imbecillum; et quia in actione omni resistantia est ex eo quod patitur, agens ad eam vincendam colligit vires, tum minores, quum minus videt obsistere, et lentius, ac remissius agit, tum majores, quum validius putat patiens obniti, ac repugnare; idem vicissim patiens facit adversum agens; quæ collectio virium conatus appellatur; etiam si nihil sit opus, satis est tamen agens judicare esse opus; unde est dictum illud, *magno conatu magnas nuças agere*, in eos, qui vel ingenii vigorem, vel eloquentiam, in rebus nullius pretii consumunt; ex conatu oritur labor, tamquam actio et passio ex potentia, nam magni conatus executio est labor, nempe actio in id quod existimatur multum reluctantari, vel passio in id quod existimatur valide agere; quo potentior creditur contentio, major est labor, ideo viri magis videntur sibi laborare, quàm pueri, quoniam magis expendunt actiones, pueri autem, ut qui sine consideratione, ac reputatione, se exercent, tametsi plus agant, tamen non videntur sibi perinde laborare; laborem sequitur defatigatio, quæ est debilitatio potentiæ, ut reddatur infirmior; quocirca ii qui laborem respiciunt, ac facile metiuntur, quum se magis laborasse credant, remittunt vires, et defatigatos se esse sibi ipsi persuadent multo prius quàm ad metam virium sit perventum; qui laborem non respiciunt, nec perpendunt, ut quæ naturaliter operantur sine expansione actionis, cujusmodi sunt beluæ, et pueri, non prius defatigationem sentiunt, quàm exhaustæ omnino sint vires: *Quapropter tunc demum assuefaciendus est labori homo, quum laborem non sentit.*

Conatus.

Labor.

Defatigatio.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

DE PRIMA PHILOSOPHIA,

SEU DE INTIMO NATURÆ OPIFICIO,

LIBER TERTIUS.

UBI perventum est ad finem actionis naturalis, nulla est amplius resistantia, sed opus est perfectum, et conquiescit agens; videlicet si etiamnum superesset contentio in illo opere ac reluctatio, agens non quiesceret quoad eam sustulisset, quippe perfectum nondum esset opus, quod agens cupit, nam quum defessum otiaur, antequam opus perficiat, non consummat nec operis, nec sui finis actionem, sed suarum virium. Itaque parata materia, sequitur, ex natura ipsa parationis, effectio, vel forma adjuncti, citra omnem penitus laborem, non secus atque in operatione naturali, tamquam ornata domo inducitur dominus, vel quæsitis instrumentis artifex; neque ars nostra ulterius progreditur quàm quoad materies sit apta et concinna, ut, pingendo, aut struendo; sed nos quemadmodum perficiatur opus artis, perspicimus, quoniam ars nostra, quemadmodum opus naturæ, non perspicimus, quoniam illa est Dei; nos conjunctione, et commistione, et detractone, utimur extrorsus, natura in intimis versatur; idcirco naturales ortus, auctus, cursus, diminutiones, tacita sunt, et occulta omnia, nec prius intelliguntur, quàm sunt progressa, ut in cælorum agitatione, in mutationibus temporum, ætatum, incrementis, et damnis animantium, quæ fieri nemo potest deprehendere, facta intelligimus.

Tum inter naturam, et artem, hoc est discrimen, quod natura, perfecta actione, effectiones indit quas habet munere Dei, ac lege quam, quum orbem conderet, sanxit, ars eis caret, quas si haberet, tam naturalia essent artis opera, nec mi-

Tom. III.

Mm

nus

nus suis partibus expleta, quàm naturæ; nunc vero inchoatio nostri operis se prodit, quod illi deest effectio, id est, postrema illa absolutio, et tamquam colophon; quod perspicui potest in theriace, quam nos compositione inchoamus, natura vero perficit operatione virium suarum, quas vires commistis rebus indidit. Sed paratio materiæ non una est, et simplex, ut, quum triticum in terra occatum putrescit, hinc germinat, adolescit, inodatur geniculis, profert spicam; qui in mediis aptationibus versantur, non dicuntur principes opifices, sed qui in postrema, quum ultima manus additur, et opus relinquitur perfectum; nam qui in officina pictoris colores terunt, et tabellas levigant, et carbone imaginem delineant monogrammam, non dicuntur pictores, sed qui colores inducunt, qui adumbrant, et quendam velut morum, vigoremque ac spiritum addunt picturæ, quæ est ceu effectiois similitudo quædam et imago. Est actio quæ relinquit post se effectum aliquid, ut cuius finis non est eadem ipsa actio, sicut in extructura ædium; est alia quæ suimet est finis, ut cantus in cicada, nam in homine delectatio videtur peti, et in delectatione refectio virium corporis vel animi.

Effecta sunt, nonnulla causis similia, ut homo hominis, calor caloris, quæ paria, vel similia nominantur, vel etiam germana, et cognomina, et conformia; alia dissimilia, ut ex igne compressio in luto, colliquatio in cera, quæ vocentur disparia, dissona, absimilia, difformia; alia effecta simul nascuntur cum suis causis, ut lux cum sole, calor cum igne; alia post, ut homo post hominem; alia non diutius existunt quàm causa est præsens, ut lux solis, imago in speculo, de quorum numero sunt res omnes conditæ, quas Deus salutari sua præsentia a casu in nihilum defendit; sunt quæ remanent quidem, sed amota causa continuo flaccescunt, sicut calor quem ignis reliquit, et motus rotæ digresso vertente; alia ex causa non pendunt, ut animantia ab animantibus genita. Sed jam de operibus naturæ concretis loquamur, nempe, quæ ex materie illa rudi, et effectioe intelliguntur conflari: est inter hæc quod, ubi conditum est, sistit, ut lapides, gemmæ, quæ sunt sane

rara,

rara, nam crescunt pleraque omnia, quippe, quæ ex parvis admodum initiis videmus adolescere; quocirca elementa prona sunt ad mutuam migrationem, labuntur, transeunt, permutantur facile, quo suppetat rebus omnibus alimentorum copia, et quod relictum est ab uno, in alterius jus ac naturam concedat; quoniam nova materies mundo non accedit, ex vetere omnia pinsuntur, non tamen pari aluntur modo; alia quædam sunt aluntur, crescunt, decrescunt; quædam non semper; priora sunt plantæ, et animalia; posteriora sunt metalla, saxa, alumen, sulphur, lignum vel ab arbore decisum, vel a terra evulsum, aut os animali demtum: quæ aluntur, vel additione ad prius totum dilatantur, ut metalla, et calculi, vel subitu, atque insinuatione materiæ occulta, ut animantes, et stirpes: quocirca, hæc convenit meatus tum plures habere, tum ampliores etiam, per quos nutrimentum commet, sed nec ita apertos tamen ac directos, ut quod inditum sit, continuo transcurrat.

Alendi vis ac facultas paulatim demutat escam in similitudinem corporis naturæ suæ, quo ex gradu brevis est ad corpus ipsum transitus, nempe, inter conformia, ideo dicitur viventia ex eisdem fieri et ali, nisi enim ita convertatur cibus, non aletur vivens, ut in quibus affecta est vis illa et debilitata; hinc adolescentur viventia usque ad certam quandam metam, post quam recurrunt, et diminuntur, sed alimenta, quantum efficere possunt, per vim nutricem sarciunt, ac reparant quod detrimenti est acceptum; semper quidem viventi corpori detrahitur aliquid a calore naturaliter insito, sed minus tamen, usque ad illum crescendi limitem, quàm sit additum, si modo non desit pastus conveniens; at vero, quemadmodum rite composito, ac librato horologio automato, vis illi et potestas est ab artifice instructa certo aliquo temporis spatio horas pulsandi, aut signandi, quæ vis, stasis dimensisque intervallis se explicans, profert, atque ostendit, haud aliter unaquæque res victura, in prima constitutione originis suæ facultatem a natura accipit ad certos virium, vigoris, incrementi numeros, quos ratis temporibus per gradus suos explicat, velut quum porrigit

Mm 2

mem-

Materiæ paratio.

Effectus actionum.

Alimenta.

Adolescere.

membra, quum amplificat robur, ut in minutissimo corpore magnum illud, quod deinceps intuemur, latuisse credas, velut fruges, poma, ingentes arbores, homines, elephantos in tam exiguis seminibus præcessisse; quæ omnia non temere sunt jacta, et casui ad indefinitum atque incertum aliquid quasi commendata, sed eorum omnium dimensus in semine atque ipsa origine a natura sunt præscripti, ut quibus curæ fuit hæc animadvertere, inspecto semine, aut animante recens orto, facile prædicant quos deinceps auctus, quas vires, quam valetudinem habiturum sit.

Status.

Hoc tamen artifex et natura distant, quod ille horologium instructum relinquit, natura opus suum nunquam deserit, semper comitatur, seu verius, ducit, tantum initio fundamenta jactat operis deinceps futuri, et quasi in exiguo spatio delineat cujusmodi velit illud evadere: res omnes, ad statum naturæ suæ fastigium progressæ, insistent aliquantisper prius quàm retro abeant, meta enim inter duos contrarios motus intercedit a nihilo ad certum aliquid, et ab hoc retro in *nihilum*; in quo interstitio pugnat natura cum violentia, seu potius duæ naturæ inter se, evectorix ad *aliquid*, et deductrix ad *nihilum*; prior enim quæ ascensum promovit, laborat conservare in quo statuit loco, at quæ descensum molitur, laborat reducere ad locum unde res est desumpta; sed hæc vincit, nempe naturalior, quoniam ex origine profecta; consistentia eo est diuturnior, quo contentio est major, vincentem autem *natura nihili* res deorsum revolvuntur, partim æquis gradibus quibus ascenderant, partim lentioribus, partim plenioribus, prout valida est natura alicujus; sed quum non procul ventum est ab exitu, vehementer fracto atque extenuato fulcramento prioris naturæ, invalescit *natura nihili*, quæ est originis cujusque rei, et citatissime rapit effectiorem ad idem *nihilum* unde erat desumpta. Nec singulari modo rerum, sed species quoque, crescendi ac minuendi habent terminos ratos, definitosque a natura; neque enim in mole ac incremento eorum, quæ dilatantur, in infinitum est abire, nec cohiberi ad minimum sub quo nihil sit amplius: ergo meta est aliqua posita, et a certo ac provido opi-

opifex certa ac definita; siquidem equi effectio nec tam ingentem valet occupare molem, quàm sunt pyrenæi, aut alpes, nec tam parvâ coærceri, ac constringi, quàm pulex, nam in omni conjunctione effectiōnis cum materia adhiberi solent quædam inhærentia, quibus ceu instrumentis effectio ad exercendas suas vires utatur: ab effectiōne est astrictio, ab inhærentibus dilatatio; potest enim et asini et equi effectio in levissima poni minutie; potest et anima rationalis in puncto insectili; sed inhærentia, per quæ vitæ functiones obit, materiam exigunt extensam: contrâ vero, inhærentia prorogari ac diffundi latissime possunt, nempe adjunctione similium, effectio vero, quæ potentia est terminatâ, dilatari se tantopere, ac vires suas per tantum spatium porrigere non potest.

Ex quibus licet deprehendere quàm diversæ res sint effectio opifex, et effectiōni instrumenta adjuncta: nec solum magnitudinem aliquam materiæ inhærentium exercitatio postulat, sed densitatem quoque, et constipationem certam, in qua tantum valeat cogi virium, quod ad agendum aut patiendum sufficiat; itaque non in quantumcunque rara materie fungetur suis muneribus equi vel leonis anima, nec quantumcunque pressa et densa, quippe in extenuata parum erit virium ad agendum, in densa ad patiendum, quæ duo necessaria sunt iis, quæ aluntur, et augentur: quanto vires et facultates corporales subtiliores sunt, et magis quasi spirituales, minus indigent materie ad sui exercitationem, et efficiendum aliquid; cujus est generis vis ignis, et eorum omnium quæ resipiunt illius naturam, atque ingenium, ut venena calida, et gemmæ; non quin in majori materia et spissiore potentiores sint, sed quod in exigua et prætenui id vigoris obtineant, ut facile se ostendant, et cognoscatur illa inesse; ceterum in tam minuta ramenta gemmam contriveris, aut venenum tenuaris, vel in tam rara materia ignem accenderis, ut insensibile vestigium relinquatur efficaciam, nam vires illæ, sicut insectiles non sunt, ita detrahendo, vel tenuiter extendendo, ad eam imbecillitatem possunt redigi, ut consopiantur penitus tamquam emortuæ; quod videmus aquæ contingere, cujus humectatio non percipitur vel in

in gutta minutissima, vel in evaporatione valde rarefacta. Non sunt iidem formarum omnium limites, nec ejusdem ultro et citro certi, nobis utique, nec fortassis a natura in individuo quodam puncto collocati, sed latitudinem habent; et sicut substantiæ crescunt, ita etiam adjuncta illarum, in quibus vel extensio consideratur, vel intentio, et quædam altitudo, ac quasi infectionis saturitas; in extensione metam non habent sursum, deorsum habent, in profundo vero utrinque; quoniam in extensione augescunt applicando, quod est infinitum, in intensione viribus, quæ sunt finitæ, etenim adjungendæ materiæ nullus est modus, detrahendæ est aliquis ut illud possit hære, profundum vero per incrementum fit virium, quibus aliquid esse extremum est necesse: ita videmus candorem aliquem, quo nihil fieri posset candidius, dulcorem, quo nihil dulcius, in altero vero extremo si vehementer diluatur color, aut quodcunque aliud inhærens flaccescat, perdit formæ illius nomen, citius quidem censuræ nostræ quàm naturæ rerum, sed ipsi quoque aliquando.

Purum.

Eæ res, quibus nihil est alieni admistum, *puræ* nominantur, quæ etiam simplices, et interdum meræ, ut medicina simplex, aurum purum, odor musci merus; alienum est quod naturæ cujusque compositionis non est necessarium, nec refert, etiam si semper inveniatur conjunctum, satis est non esse de ratione illius temperamentis ac essentiæ; rationem eam dico, quam natura in specie constituit; qua mente dicere consuevimus nusquam inveniri aquam, vel terram puram, aut quid simile, et medici tertianam febrem, aut quartanam, puram aliam vocant, quandam non puram; transit hic loquendi mos ad artes hominum, ut pura sint, quibus nihil est additum quod artis ratio addi non jubeat; sicut theriacam puram, aut non puram, cui absynthium sit admistum, vel menta, hoc enim adjici ars non præcipit. Mistum non uno modo dicitur, nam est et quod de multis conflatur, ut homo, ut pharmacum, et cui purum est contrarium de quo loquebar modo; sic mythridaticum alias purum ac simplex nominatur, alias mistum; quod si adjunctum sit pejus, reddit ens corruptum, sive depravatum.

Corruptum.

Quum

Quum vero in procreatione similium quod genitum est gigante apparet pejus, degeneratio nominatur; quod in adhærente potissimum, sed in essentia quoque non raro accidit, velut in frugibus, in seminio animantium, in hominibus; idque fit vel *ex eodem ipso generante prius depravato*, ut quum ex valente cane imbecillus nascitur in morbo parentum progenitus, quum ex ovo aquilæ accipiter, ex ovo accipitris coccyx, aut milvus, phasellum si in hoc solo severis, vicias colliges; vel *ex præva qualitate accedente dum fingitur, et nascitur*; velut quum optimum frumentum ab immodicis humoribus in avenam mutatur; vel post natum *a qualitate soli, cæli, victus, a moribus, et consuetudine*, ut capræ illæ interioris Asiæ, ex quibus fit caprinum sericum undis pictum, si in citeriorem Asiam, aut in Ægades insulas transportentur, bonitatem pili perdunt, earum autem soboles aliis indigenis omnino est similis, canes si assuescant domi jacere, et de aulicoquis, vel mensæ analectis, pasci, licet parentibus venatoribus nati, ingenium mutant, quod in illis duobus canibus Lycurgus Spartanis monstravit. Res universæ desunt sunt e nihilo, et pleræque illarum execrationi subditæ propter noxam hominis earum domini; ita non solum vergunt ad nihilum, sed etiam quia depravatæ, celerius eo feruntur impellente deteriore illo admisto; quare si nulla adhibeatur cura et diligentia, hoc est, si quiescant, et torpeant occasionem præbent ut pejus illud ad corruptionem invalescat: ita aquæ immotæ cœnum contrahunt, terræ squalorem ac situm, aurum obducitur scoria, frumenta acera infestant, et his nocentior gurgulio, humanum corpus vexatur morbis, et animo nostro multum se se bestię, ac bruti insinuat, nempe, ingenio torpenti ignorantia, inertia, stupor, rationi et judicio imprudentia ac impetus; quod fit quum in otio jacuit ratio diu languens ac dissoluta, affectibus vero impulsoribus gesta omnia, quo quid aliud est esse belluam?

Degeneratio.

Artes etiam depravantur desidia; exercitiis purgantur omnia, et virescunt, ignis, aqua, terræ, frumenta, libri, vestes, ædes; idcirco Anneus Seneca *providentiam*, ait, *et dispositorem mundi Deum aëra dedisse ventis agitandum, illosque ab omni parte*

jus-

jussisse spirare, ne quid remaneret situ squalidum et torpens; eventilatio vegetat stirpes, evannatio mundat, conservatque fruges; exercitatio purgat aurum, argentum, ferrum; exercitatio corroborat animantium corpora; exercitatio animos nostros ad humanitatem, omnemque sapientiam excolit, et inhumanæ sunt nationes illæ, quæ sub cœli cardinibus torpentes, socordiam ipsæ suam desidendo augent; sapienter in Theæteto Plato, motus, inquit, facit videri gigni rem, et esse, quies autem non esse, atque interire; agitatio enim, et confrictio, foris quidem noxia et damnosa quæ se extrinsecus continenter rei applicant, excutit, nec sinit affigi, intus vero quæ illuc se se insinuant, concutit, ac revellit, calorem autem salutarem, tum deteris sordibus, et tamquam exteriore quodam frigore, purgat, ac proinde acuit, tum abditum elicit, et consopitum exuscitat, qui invadens in inimica absumit illa, et tanto facilius, quod ea jam ex concussu luxata minus adhærebant rei; quies vero per cessationem caloris sinit frigus invalescere, quod non repugnans contrariis præbet multis corrumpentibus occasionem et locum unde res perimitur: Magno et mirabili documento vivificari per calorem corpora, mentes vero per caritatem, frigore autem contabescere, ac interire. Quæcunque natura hoc agit fine ut effectiorem, seu formam importet, obiter priorem tollit cum qua manere nequit quam vult inducere.

Quocirca agentia naturalia non directe corrumpunt, tamquam is sit eorum finis, sed oblique, quod aliter non queunt quod destinarunt perficere; effectiōni quidem nihil est pugnans, sed iis qualitatibus formisque, quæ materiam ut effectiōni apta fiat temperant, et quasi pinsunt, et sine quibus durare nequit effectiō in materie, sicut homo in domicilio supellectili denudato; nam quæ sunt in natura inimicitia hostiles, ut vulpi et cygno, tum amicitia, ut palumbi et perdici, quas historici naturæ persequuntur, etsi inter effectiōnes videntur exerceri in cuncta specie, revera inter illas sunt solum contemperatiōnes materiae, haud secus quàm inter homines ignotos primo occursum, et inter venenum, et animal; scilicet, qualitates petit venenum, nempe calorem frigus, humorem ariditas, et has vitiat,

tat, unde sequitur viventis mors, nam necesse est effectiōnem, instrumentis et cuncto ornatu destitutam, loco cedere: non abnuo quin interdum agens voluntarium malitia sua tantummodo spectet interitum rei, sed nos de naturalibus loquimur. Omnis actio contra rem, vel incumbit extrinsecus, ut opprimens, ac comburens, vel intrinsecus quidem adoritur, insinuat se tamen ad penitiora, ut cibus, et venenum, et caries, denique sua in quaque re vitia, aut intus est suborta, quoniam compositio rei ex contrariis miscetur; foris venienti, quod plus habet roboris, non ad agendum, sed renitendum, magis obsistit, ac proinde diuturnius se se conservat, cujusmodi sunt frigus, et ariditas; quod vero irreperit ac se insinuat, si pugnam intus reperit, alterutri se adjungit parti, nempe conformiori suo ingenio, atque ita prægravat alteram, unde temperatura illa damnum accipit; temperatura enim, ut harmonia, in rata quadam libratione partium est sita; libratione disturbata, et temperaturam disturbari est necesse; quapropter subveniendum semper est laboranti quod velimus conservatum: nam ut actioni ac passioni omni difficultas est adjuncta, et ea de causa labor, continuatione illa agendi aut patiendo deteruntur ac delassantur vires, quas vel augeri convenit, vel conservari, vel saltem reparari.

Augentur, iis rebus auctis et confirmatis, in quibus sedes est virium, ut in animali nervi, qui torpescunt humore nimio, frigore contrahuntur, excitantur, et dilatantur calore moderato; ideo exercitatio multum confert ad vires, tum propter calorem, tum etiam propter assuefactionem, qua succus et spiritus vigoris eliciuntur ad nervos, tamquam alveo aperto, quo diximus omnia defluere, in animatis potissimum: conservantur vires, si a contrario, et corrumpente vendicantur: reparantur, atque instaurantur, si quantum amissum sit resarcitur: quod fit vel foris, vel medicinis, et unctionibus, et fomentis, et alimento injecto, aut intus sublato obice, ut cruditate si ea oberat, et sumministrato salutari succo; ut brachiis fossoris, cruribus cursoris, cerebro studiosi internum fomentum est quies post laborem, sicuti Poeta ille dicit:

Tom. III.

Na

Quod

Quies.

Exercitatio.

Calor omnia vivificat

*Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaque membra novat. (1)*

Quamquam hoc non præstat quies, qua est laboris cessatio, neque privatione sola fit refectio, quæ privatio ex se nihil est; sed adjectu et positu, nempe diffusione succi per concoctionem, et collectione ejus in otio, in quo vires, quòd circa inimicum pellendum non sunt occupatæ, vacare possunt accersendis undique, quibus coadunatione atque auxilio stabiliantur; ratione hac stomachi vires studio debilitatæ recreantur, ac reficiuntur quiete; eadem in laborante ingenio, in agro, in arcu; in quo tenso nervus et lignum continenter laborant, dum uterque in alterum tamquam violentum contrà nititur; quòd si crebro jaculeris, atteruntur agitatione, et disgregantur partes, sin remittas, coguntur, et coadunantur. Verum in rebus omnibus postquam ad metam illam, quo cursu et alacritate sua progredi vis naturæ potest, perventum est, consumptò in unoquoque vigore potentiæ, remanet nihilo secius inimicus, et pugna interitum minans; quo loco vires tantopere defessæ et afflictæ, nunquam usque possunt aliunde fülciri, atque adjuvari, quin plus semper sit quod perit, quàm quod restituitur; nam hostis semper est recens, vires autem de contentione fatigatæ, ita sensim ad casum nutant, magnamque corruptioni fenestram aperiunt.

Hic firmitatis defectus, quum non subita vi aliqua et prærapida, sed sensim, et tamquam naturaliter post peractum vigoris iter irrepit, senium nominatur; quod iter aliis brevius datum est, aliis longius; quæ distinctio etiam iis contingit, quæ sunt ejusdem formæ, ut hominibus, equis, prunis, cerasis, mentis, petroselinis: nonnulla etiam habent brevius, quàm ferebat ratio primarum virium, ac valentiæ a natura ingenitarum, quoniam aliquid illis accidit quod eas affligeret, ac debilitaret, ut citeriore termino defatigatæ consistendum haberent: quod evenit morbis corporis, ægritudine animi immo-

(1) Ovid. in Heroid. Epist. IV. v. 89.

dicis laboribus, usu Veneris, denique omnia quæ ad valetudinis rationem faciunt, ad senium quoque. Quæ res pugnam in se elementorum majorem habent, magis sunt et mutationibus et casui obnoxia; ut omnia viventia, et de viventibus animalia; in hisque manifestius est senium, in quibus varietates et permutationes videmus crebriores, magisque ad admirationem notabiles; et quando animi humani visum, quæ phantasia nominatur, a corpore tam variabili regitur, visum autem iudicium mentis agitat, fit ut magnas subinde varietates ac mutationes in hominum sententiis ac voluntatibus animadvertamus, ac proinde in humanis operibus quæ ab illis oriuntur; in quibus non tantus est conflictus adversorum, sicut in inanimis, variatio quidem longe minor, ac rarior, sed fere est aliqua; ubi autem pugnantium minor est temperatio, ibi firmitas ac stabilitas diuturnior, tamquam in saxis, auro, argento, ferro, gemmis.

Quæ res fini est vicina, velut naturali quodam impulsu in præceps a natura datur, quæ tum hoc rapit ad nihilum, tum materiam concinnavit jam, atque aptavit novo enti, quod ilico existet; ceterum cum naturali actione effectio expellitur, et jam jam abit, ad postremam luctam, et velut dimicationem, de summa rerum vires omnes suas reliquas foras evocat, quæ antea in intimis erant reconditæ et affixæ, unde corroborari appareat, et quasi reviviscere; quod in igne videmus contingere, et morbis animantium; sed eo impetu a fortiore vi compresso, ac cohibito, statim effectio exarmata penitus excedit. Inherentium alia sunt nativa, quæ simul cum re nascuntur, ut in igne calor, partim vel ex facultate rei accedunt, ut in homine scire aliquid, providere, scribere, vel causa quapiam externa; tum alia paulatim prodeunt, et augentur, sicuti prudentia, vitium, virtus, et sensilia, nonnulla subito et tamquam temporis momento, sicut paternitas; sunt quædam semperpiterna, ut nativa, quæ vim non admittunt, frigus tolli potest ex aqua, ex nive non potest, quemadmodum neque ex igne calor, et omnes effectiois vires: singula adjuncta nulla sunt perpetua, ut hic calor, hoc frigus, in specie possunt esse

Arcus ten-
sio.

Senium.

Inherentium interi-
cus.

talia, ut calor, frigus, in igne, et nive; sunt multa non nata perpetua, multa diuturna; in utroque genere, infecturæ, et consuetudines animi reponuntur; quædam brevis sunt temporis, ut calor aquæ igne amoto, quædam momentanea, ut rubor ex pudore, pallor ex terrore vano: ad eundem modum alia accidentia tolluntur subito, ut paternitas, alia paulatim recedunt sicut venerant, sive contrariis de causis, candor contractus frigore, calore eluitur, sive privatione atque absentia causæ, velut calor præsentia ignis genitus, separatione paulatim restinguitur; sic animi assuefactiones desuetudine exolecunt primum, tandem abolentur, quasi obstructione elicis, per quem, humor solebat decurrere; quædam sola mora evanescent, ut plerique animorum motus; quædam diversas habent causas, velut proferendi, ac subducendi sui, quas persequi nemo posset: perpetua nisi subjecto perunte non pereunt, subjecto enim ablato, non solum perpetua, sed quæcunque inhærentia extinguuntur.

Diligenter tamen intuendum quodnam sit cuiusque inhærentis verum et germanum subjectum in quo situm sit, ne fallamur; quandoquidem alia in effectione sola sunt affixa, quomodo in homine intelligere, in gemmis, in herbis, ac stirpibus, in animantibus vires illæ multas ad res utiles, quæ licet non exercentur sine mole, non sunt illius tamen, sed effectionis; quæ sunt talia, ilico cum effectione penitus fugiunt; alia sunt in materie per effectionem, ut in igne calor; hæc sublata effectione restant aliquantisper, sensim tamen vanescunt, ut calor animantis, haud aliter quàm rota eo cessante qui convertit; quòd si sequens effectio non respuit ejus formæ adjuncta, conservantur ea in materie dum prior effectio aboletur, et effectionis novæ adventu confirmantur, cujusmodi sunt omnia præne sensilia; hærent nonnulla in copulatione materiæ, ac effectionis, seu formæ, quod genus sunt sessiones, quæ quum illa duo dissolvuntur, et ipsa intereunt; quædam materiæ sunt infixæ, sed per quantitatem, ut omnia quæ ad figuram et formam pertinent, quæ pereunt variata quantitate, ut triangulus, quadrangulus, rectum, obliquum, sonus, quæ est velut forma quæ-

Subjectum
inhærentis
quod.

quædam aëri impressa; ita dissipato aëre vel conquiescit sonus, vel notam aliam recipit, cujus rei exemplo sunt voces in vento; sunt quæ in effectionem transeunt, sed per materiem, et a materie, ut violenta agitatio; hæc quamvis effectio intereat, manent tamen, ut quum homo in fluctibus suffocatur: quæ adjuncta originem habent foris, utpote quæ per collationem dicuntur, possunt extrinsecus perire, manente fundamento, ut paternitas filio mortuo; possunt quidem aliis multis de causis nasci et corrumpi adhærentia, sed nos de eorum modo cum suis subjectis interitu verba fecimus.

Habet quicquid agit finem aliquem, quem sibi quasi scopum proposuit; ad eum ubi pervenit, opus est ei perfectum; rum cessat, aut se alio convertit, videlicet ad aliud genus operis, aut in eodem ipso opere ad aliud genus actionis; ut postquam factus est homo, expletum est hoc opus naturæ in essentia, ad ornamenta ejus et incrementa se se transfert, curat ut fiat major, ut facultates, quas ipsa est elargita, in usum aliquem proferat, huc enim a natura inducitur, et occulto stimulo instigatur; quo res fini postremo propius accedit, hoc est perfectior, ut in pictura, in colore, in sapientia, in virtute, in homine quando incorporatur in utero; sed diversarum rerum diversi sunt fines; sunt nostri, sunt naturæ, id est, causarum naturalium, et hujusce vis per universum extentæ diffusæque, sunt Dei; arbor Deo, ac naturæ opus est absolutum, non statuario, vel naviculatori; homo qui unimanus nascitur, vel sedigitus, imperfectus est naturæ, sicuti eidem femina imperfectus est vir, quippe natura ad optimum in unaquaque specie intendit, idcirco et in humana ad virum, nec feminam nisi defecta viribus gignit, est quidem perfecta femina, non tamen perfectus homo; itaque absolutum et perfectum ad comparisonem dicitur, ut perfectum enthymema, imperfectus syllogismus; absolutus vir politicus, inchoatus philosophus: *Dei*, ut est in sacris litteris, *perfecta sunt opera*; huic omnia sunt consummata, et suis omnibus partibus expleta, atque hac ipsa de causa, bona etiam; videlicet, bonum est cuique quod ipse vult aut tamquam finem, aut tamquam ad finem, neque enim

Perfectum.

Bona omnia

enim voluntas et appetitus omnis alio fertur, quàm ad boni rationem ac speciem; itaque finis, et quæ ad finem spectant, boni semper faciem ac formam obtinent; idcirco in sacra historia dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*: quod Plato in Timæo secutus dicit opificem naturæ, quum contemplatus esset absolutum universum, perfusum esse lætitia, illudque approbasse; videlicet, rebus omnibus adhæsit aliquid ex ingenio causæ ejus qua mundus est procreatus, nempe bonitatis Dei, quæ illum ad novam hanc molitionem adduxit; nobis, ut diversi sunt fines, ita et diversæ perfectiones ac bonitates, tum aliæ alio tempore.

Hominem Deus in hoc mundo collocavit, instruxitque quibus opus esset ad nanciscendam felicitatem immortalem: ergo perfectus homo est Deo, qui ad hunc modum est adornatus; perfectus vero sibi, qui jam æternitate perfruitur, et quo illi propior, hoc perfectior; perfectus est nemo, quamdiu ævum hoc degit, sed vir bonus qui in stadio se se exercet pietatis, magis in dies perficitur, donec *per fidem et agnitionem filii Dei occurrat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, et uniatur imperfectum perfectioni, vel quæ cogitari potest, summæ: perfectio non raro pro excellentiâ et præstantiâ usurpatur, de qua est nonnihil dicendum. In præstantiis oportet esse normam aliquam qua censeantur, nam aliter quæ quibus præsent dici non poterit; ac quemadmodum rectum mensura est et sui et obliqui, non e contrario obliquum recti aut sui, siquidem rectum unum est, simplex, et sui simile, obliquum varium, dissimile, multiplex, ita excellens minus excellentis erit mensura, non versa vice; quippe non aliter judicatur imperfectum, quàm per distantiam a perfecto: imperfectum ergo reflexim est interdum absoluti norma, ut præstans et sui, et vilioris norma est recte, ac simpliciter: quumque alia aliis præsent, necesse est aliquid esse omnium excelsissimum, unde reliqua et excellentias suas mutuentur, et excellentiarum mensuram; at quando excellentiæ nihil sunt aliud quàm bona quædam cujusque naturæ attributa munera, illic esse oportet excellentiarum fontem, unde in reliqua quicquid est boni, diman-

nat,

nat, nempe in optimo, qui aliis rebus omnibus largitur bona, non de alieno, sed de suo, qui est ipsa etiam bonitas, quam ex se possidet, non ex alio, aut per aliud, adeo ut, vel ipsius umbram et simulacrum quoddam assequi, bonum efficiat: quòd si vel sola ejus similitudo bona reddat entia, multisque excellentiis cumulata, quantam existimari excellentiam illam par est! infinita est nimirum ejusmodi præstantia, multisque rationibus ab ingeniis nostris enumerata ut complures esse videantur; sed quæ cum rebus conditis communicatæ sunt, eæ considerantur; quas habet ut conditor, nempe ut causa operis, videlicet et quæ creavit, et propter quam est creatum, de tantis arcanis, et tam sanis mysteriis modice loquendum est, ac reverenter, ne alicubi vel per pravitatem sensus, quod ille avertat, labamur, vel per imperitiam verborum.

Causa condendi mundi efficiens fuit ejus bonitas, finis beatitas; nam quòd felicissimum se videbat esse, et quòd bonus esset, voluit alia etiam procreare, quibus beatitatem suam impartiretur; est ille per se felicissimus, nec felicitatem suam aliunde accipit, nec vices ullas sentit felicitatis, ut vel loco aliquo, vel tempore, quicquam felicitati accedat, aut decedat; una essentia, una beatitudo, simplex, et sui semper similis, neque enim summa esset felicitas, quæ augeri posset, nec in ea summa lætitia, quæ vices reciperet incrementi ac decrementi; nec certe est aliquid unde possit mutari, de quo in sanctis oraculis legitur: *Ego Deus, et non mutor*: Apostolus Jacobus docet, *Apud Deum non esse vicissitudinis obumbrationem*: et Plato *Æternam illam pulchritudinem nullas vices ait recipere*: nec in illa purissima bonitate cupido est nocendi ulla; qui enim læditur, a se ipso læditur, non a Deo; nam si ad illum accedit, juvatur, nempe a vicino bono: sin ab eo recedit, læditur, nempe a vicino malo; communicat vero se, quantum quicquæ pro modo suo posset capere, paratusque est cuicumque quantum id velit et possit: atque ut declaret communicare se, et velit, et possit, si quis modo capiat, gignit similem sibi per omnia, et cum eo nexu utriusque per omnia simili se conjungit: in quo magna præbetur nobis fiducia, cujusmodi

Perfectiones
Dei.

fu-

futuri sumus cum illo in immortalitate; scilicet, filii et patris connexio, exemplar est, quo cognoscamus cujusmodi nostra futura sit: quod Christus ipse declaravit, quum a patre suo petit, ut *sint unum quemadmodum nos sumus*: nec bonus esset, nec felicitatem suam cognosceret, nisi vim haberet cognoscendi, et intelligendi, neque aliter vellet se communicare, neu jucunda esset nobis illius communicatio, si brutum esset, aut torpens; ad hæc, sapientem esse necesse est, tum ad viam communicationis inveniendam, tum quod non esset absoluta beatitudo ex conjunctione insipientis.

Nec ullum potest esse bonum in re mortua, nec solida felicitas cum mortuo versari: vivit ergo, et quidem nunquam senescens, quum nec intus habeat unde possit affici, qui sit omnino Deus, nec exterius queat existere, quum extra illum nihil sit nisi ab eo conditum, et quod ejus sola voluntate perseveret: immortalis igitur est, nec unquam beatitudo nostra deficiet; nec beatitudo esset timentibus illius casum: idcirco illi una terræ ac cælorum voce acclamatur, *Tu autem idem ipse es, et amici tui non deficient*. Est vis infinita, ut qui illo uno confidunt, quicquæ illius sunt participes, certi sint habituros se quicquid cupiant, nec aliquid posse intervenire quod illorum gaudium perturbet quum infinita vis eos tueatur: merito Timæus et Plato inducunt auctorem divorum pollicentem divis immortales illos futuros, non quidem natura ipsorum, sed consilio suo, quod potentius sit quacunque fraude ac damno: et Dominus noster confirmat, eos, qui ad se venerint, neminem erepturum de manu sua: quippe vis illius voluntati est par, immo vis et facultas nihil est aliud quàm voluntas, de quo scriptum est: *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt*. Et facultas hæc tanta nullo est otio alternata, sed actus est merus, nunquam interquiescens; nam si esset, magis tum oporteret nos, qui illi essemus conjuncti, interdum cessare; ita beatitudo nostra, ut quæ vices reciperet, non esset perpetua. Agit etiam expedite omnia; nulla eum difficultas attingit, nullus labor; nihil enim aut laborans, aut impeditum, aut in difficultates conjectum, felix est, nec qui illius est particeps, beatus,

rus, qualis esset nostra beatitudo, delassata; sed nec unde defatigaretur habet, quando omnia, quod ille vult agunt naturaliter, ut ostendi.

Quod si actus est purus, nihil admiscetur ei potestatis, et tamquam materiæ; quo fit, ut quoniam sine potestate cognoscit, summe cognoscat, impedit namque cognitionem potestas: idcirco de illo scriptum est, *Omnia esse nuda et aperta coram oculis illius*: quapropter venire nobis in mentem non potest, quo minus summe sit sapiens, quippe cujus intelligentiam nihil vel retardat, vel interturbat, quocirca nulla res eum potest fallere: postremo, quod fundamentum est omnium, vere ac absolute est, a quo, et per quem reliqua sunt: ergo, a capite omnia generatim colligentes, excellentiæ in eo hæc connumerantur, bonitas, beatitudo, immutabilitas, communicatio sui, generatio, cognitio, sapientia, vivere nec unquam senescere, immortalitas, vis, actus purus, actio expedita, essentia: cui hæc adsunt tanta et tam admiranda bona, quibus nihil vel fingi potest majus, pulchrius, præstabilius, eum necesse est se ipso esse contentum, suoque statu acquiescere, ac proinde infinite esse beatus, quàm nos explicare possumus, vel etiam cogitare; quin et nos etiam futuros beatissimos si in consortium admittamur vel tenuissimæ particulæ tantæ beatitudinis. Sed non sentiendum est præstantias has vel re, vel specie ac ratione aliqua, distingui in Deo; una est modo quæ capit omnes, et ea est unaquæque illarum; scilicet, bonitas est omnes, et immutabilitas est omnes, et generatio est omnes, et actus purus omnes, atque ad eundem modum de reliquis, non per confusionem; aut permistionem, sed per simplicitatem, et unitatem sanctæ illius essentiæ; nos vero ad nostram intelligentiam, et loquendi commoditatem separamus: quæ nos de divino illo, et omnipotenti Numine, cum omni veneratione sentire fas jusque est, et ratio præscribit.

Gradus inter has excellentias hoc modo est considerare, ut quando omnis excellentia in eo sita est, cum illa excellentia immensa conjungi unde nascitur beatitudo immarcessibilis, id demum sit excellentissimum, quod cum eo nos devincit, atque

unum facit, quod est *amor* illius, nam amor rerum spiritualium est copula; ex amore nascitur fiducia in eo solo, ut eum amemus, et illi uni fidamus, quandoquidem videmus nos et bonum et potentissimum amare; hæc appellatur *bonitas*, non illa, quæ a Deo generaliter per omnia, quæ condidit, est fusa, sed qua mens in similitudinem quandam transformatur divinæ naturæ, quæ omnibus prodesse vult, nocere nemini; ejusmodi bonitas multas in partes distribuitur, de quo non est hic dicendi locus: proxima est *communicatio sui*, si quid habet utile, nam hoc maxime est cum bonitate conjunctum, nemini invidere, sua bona aliis impartiri: hinc *sapientia* consequitur, nam proximus gradus ad bene agere, est bene sentire, ac sapere de rebus, neque ad sapientiam nisi per *intelligentiam* venit, nec ad intelligentiam nisi per *cognitionem*, tum animi internam, tum exteriorem sensuum, in iis quidem certe quæ sensus habent, sicut in unoquoque nostrum est videre: *vita* vero et vigor quidam initium est tamquam motus ad cognitionem: *generationis* naturalis est cupiditas etiam sine sensu, quæ est æmulatio generationis divinæ, *caritas* vero fœtus altius spectat, nec est sine sensu, qua imitamur *nodum illum amoris, quo pater et filius connectuntur*: tum *immortalitas*, vel certe diuturnitas vitæ est adjunctum, sicut *perseverantia ejusdem status, ac modi, et immutabilitas sine senio*; nam in his, quæ excellentiæ alias comprehendunt, superiores sunt, ut quæ plures habeant præstantias; quæ sine aliis esse possunt, inferiores ducuntur, ut quæ pauciores cludant.

Sequitur jam *vis et actio*, quæ sine vita esse potest, quemadmodum et actio longa, expedita, minus delassabilis: *essentia*, infimum est omnium, quæ sine aliis omnibus potest subsistere, sine ipsa reliquorum nihil. Communicantur hæc creaturis, quantum ipsæ capiunt, larga quidem manu quod est in Deo, sed non amplius quàm quod valent recipere, et quo pacto valent, quoniam excellentia Dei quum ad creaturam pertingit, ita fit in ea depravata, et turbida, ut non ex fonte illo videatur hausta, sed ex alio cœnoso, sicut aqua de liquidissimo fonte sumta, quum vitio amphoræ perturbatur, ex

li-


limo videtur deprompta, non ex puro fonte; quocirca perfectiones quæ sunt in Deo, communicantur rebus conditis, et ex illis sunt perfectiones, sed imperfectæ si cum eisdem conferantur in Deo existentibus; et in unaquaque excellentia degeneratio facile ostenditur vel ex collatione majoris in conditis rebus, ut cognitio bruti quàm degeneret, indicabitur, si quis admoveat humanam cognitionem illa enim ultra visum, seu phantasiam non progreditur, hæc vero supra visum se attollit: humanæ quoque vitium ex Angelica erit intelligere; nam nostra vaga, incerta est, operæ, ac negotii plena: Angelicam etiam facile degenerantem deprehenderimus, si paullulum nos sustulerimus ad contemplationem divinæ; Deus lucem habet in se, et ex se, Angelus a Deo mutuatur: sed nos rem tantam figura aliqua ob oculos ponamus, imaginemur anulum aliquem, cujus signum imprimatur chartæ multiplici; expressiora sunt singula in prima charta, quam in secunda, et in hac, quàm in tertia, et ad hunc modum in ceteris, quousque ventum sit ad postremas, in quibus imago quidem erit totius sigilli, sed confusa adeo, et perturbata, ut in genere potius dicas hujus sigilli esse, quàm ut quicquam peculiare possis annotare; quin, erit aliqua de postremis, vel postrema ipsa, quæ potius habere imaginem sigilli alicujus dicetur, quàm hujus, aut illius, sed certe sigilli; nulla erit tamen quæ non aliquid retineat impressum; nam quæ nihil prorsus retinet, non est hujus numeri: simile est huic si quis consideret circulos, quos in aqua efficit lapis immissus.

Tales sunt perfectiones a Deo in creaturis consignatæ et impressæ, quantum ad earum distantiam attinet, quarum quæ propinquiores sunt Deo, expressius illius sigillum referunt; propinquiores voco non loco, sed similitudine naturæ; quocirca alteram similitudinem sumamus fortassis aptiorem, non jam ex loco; sed natura: objiciamus soli multa corpora varie perspicua, nempe aquam puram et pellucidam, vitrum, crystallum, laminam corneam, linteum; pannum lineum, ebur, lignum, saxum, ferrum; hic licebit intueri, quàm vario lumen transmittet; videlicet, per unumquodque, ut est ejus perspicuitas;

codem modo lux illa divinæ excellentiæ uniuscujusque se se nature communicat quomodo ea est capax, et in aliis translucet radius, alia adumbrant, et umbra hæc densior est in minus perspicuis, et insolidissimis densissima, sicut quam lignum facit, vel saxum. Poterimus fingere ad figuram aliquam angulum acutum, cujus lineæ in infinitum abeant; hunc esse Deum; creaturas in eo angulo aliquousque progredi; ut exempli gratia, sint lineæ *AB*, angulus *C*; infima sit in contactu, superiores latius se extendant, aliæ super alias, usque ad *DE*: quapropter excellentiarum mensura in nobis, ac norma, gemina est; altera recta, altera reflexa; recta et vera cujusque rei, ut perfectius metiatur id quod est minus perfectum, hæc est in præsentia, non proportio vel accessus ad divinam excellentiam, citra quam infinito intervallo cuncta subsistunt, quo fieret ut paria essent omnia, quippe finita ab infinito intercapidine pari separata, sed similitudo quædam, imitatio, effectio, imago excellentiæ divinæ, quam utique mentes nostræ capiunt, in his rebus, quas diximus, ut quæ propius nobis referant et expressius divinam imaginem quam concepimus animo, sublimiora censeamus, hinc quæ obscurius pro humilioribus habeantur.

In quo ordine primi erunt Angeli, secundi sunt homines, hinc rationis expertia in quibus vestigium citius dicas adhæsisse quàm imaginem; ita ut si quis cogitatione sibi pingat Deum condentem mundum per opus suum transisse, jacentia statuet omnia præter hominem et Angelum, hos rectos, ut in his aliqua similitudo imaginis Dei adhæserit, in illis solum vestigia; est altera censura reflexa, qua nos sæpenumero propter imbecillitatem nostrorum judiciorum commodius, quam recta illa utimur; ita discessus a despiciatissimo erit formula, ut quo quicquæ discesserit ab infimo, hoc existimetur excellentius; quæ attingunt altiores excellentias, excellentiora sunt; itidem quæ eadem, sed copiosius et expressius ad exemplar; quòd si in ignobilioribus excellentiæ sunt quædam, quæ non in superioribus, eæ perfectionem majorem non arguunt, quia superiora

sor-



sortita sunt plura, aut plus, aut meliora, et potiora; ut in animante generare, quod non est in Angelo, in quo id esset creare, quoniam ex nihilo produceret, animans autem ex materia progignit, quæ nulla est in Angelo; et lapis in essentia diuturna atque immutabili præstat animans; et animalium complura homini in sentiendo præferuntur. In unaquaque specie *facultates* excellentiæ sunt per singulas rerum partes, non tamen actus, propterea quod facultas illa impeditur nonnunquam ac retardatur; ut, per totum genus hominum *posse bonitatem assequi*, etiam si bonus sit nullus, modo ne sit bonitatis facultas sublata, ut in dæmone, in quo scelus, tamquam impactus aries, vehementer retroegit præstantiam nobilissimæ naturæ etiam usque ad imum, quoniam longissime a fiducia et amore in Deum abest, quem nullum habet; ideo is solus in sacris libris malus dicitur: multarum quoque rerum præclaras facultates peccatum homini detraxit.

Longe est aliud in comparatione singulorum, aut aliquando multorum sicut populi, et nationis, nationes namque, et populi, et quidem unumquodlibet entium, aliquod nactum creditur peculiare a Deo munus, quæ persequi ad nullam scientiam pertinet; non enim posset quæ sunt infinita, et magis necessaria turbaret; ut si quis in medicina propriam cujusque herbæ, vel ægroti naturam insisteret perscrutari; generatim hæc aut speciatim sunt ab artibus tractanda, non sigillatim; sunt in actibus tamen, qui ex facultatibus nascuntur, limites quidam in unaquaque specie statim, quos nullum ejus singulare transgreditur, nempe quod est summum in facultate formæ; equi gestare non queunt pondus quodcunque, nec in artibus abitur in immensum, quantumcunque additio per alios fiat, videlicet neque additio proficit quæ sit in re, si in ingenio nostro redundat, atque effluit; describere formarum ordines, et tamquam in classes ad sensum vocare, hoc est, quæ species quibus præstant, et ordinare eas in speculatione nostra quemadmodum ordinatæ sunt in natura, hoc vero solus ille potest, qui condidit; nam nobis proprietates rerum, vires, excellentiæ

Excellentia
speciei.

Ordo rerum

bo-

Norma ex-
cellentia-
rum.

bonitatem, et felicitatem, quam copiosissime possident, hinc homines propter facultatem ad bona similia, tum animantes integræ, quæ perfectæ nominantur, nempe sensu et cognitione præditæ, tum inchoatæ, quæ sensu carent aliquo, stirpes dehinc, quia vivunt, et ex his frugiferi infrugiferis, quorum censura est ex generatione, ac viribus, gemmæ admirabiles facultates ad ordinem suum adferunt, sequuntur metalla, quæ non omnino sunt inertia, vel torpida, hinc lapides, et glarea, postrema in substantiis est materies, et proxima non enti, nam adjuncta velut entia sunt picta, sicuti aliâs est expositum; sed inter hæc prima sunt, quæ in mentibus sedem obtinent, hinc quæ in animis, et sensibus; tum ex corporalibus sunt illa elementorum quatuor propter vires agendi, ac patiendi, dehinc quæ ex iis nascuntur quæ ad tactum pertinent, inde quæ ad reliquos sensus, post interiora, et quæ minus esseprehenduntur, sequuntur hæc privationes, ultima jam, et sine censu, ac classe, sunt inania, excogitata, conficta.

Unde nata
est rerum
distinctio.

Sciscitetur aliquis, unde nata sit rerum distinctio, quandoquidem auctor est unus, simplex, ubique sui similis? graves et reconditas quæstiones subinde attingimus, verendumque est ne nos multa temere ac inconsiderate jactemus; sed de hac timide, nec sine veniæ præfatione paucis est dicendum: videntur rerum differentiæ ex communicatione desumptæ excellentiæ divinæ, ut ea si varie in variis eluceret, facilius a mente rationabili posset intelligi, quæ uni communicata minus esset ad cognoscendum æstimandumque prompta; tum vero ut majores agnoscerent quanto plus ipsis tribuit Deus, quàm minoribus; ornatus quoque stupendus, et decor ineffabilis ex difformibus, ac dissentientibus est quæsitus; adde quòd ad usum potiorum rerum viliores Deus progenuit; disposuit præterea ad similitudinem sui, ut alia faceret esse, alia vivere, alia intelligere, et qui unus potest omnia, ita temperavit singula, ut ea imitatione quadam sui possent aliquid, quique unus quodam modo est omnia, voluit ut singula essent aliquid; non aliter quàm doctus quispiam, qui artes omnes pernovit, alium librum de Grammatica scribit, alium de Dialectica, alium de Philosophia

na-

naturæ, libri vero simulacrum quoddam sunt illius mentis, qui quemadmodum ea intus habita sit, loquuntur; postremo quòd infinitus protulerit finita, unus multa, testatum esse voluit se ad hæc condenda voluntate adductum, non necessitate ulla: sed nos jam tenebris incipimus offundi, itaque referamus pedem: si quis philosophari cupiat; quantam hic deprehendet Philosophiæ partem hominibus ignotam? de ordine excellentiarum inter species, de similitudine, aut vestigiis entium creatorum ad Deum, quum nihil sit in rebus conditis, quod non efformatum, atque effectum sit ad expressionem alicujus perfectionis Dei, nam cui procrearet similia nisi exemplari quod est intuitus, nempe sibi ipsi? quem unum noscit, et per se quæ sunt, quæque non sunt, omnia tamquam essent, et revera sunt illi; itaque hominem habere binas manus, quinos digitos, et ungues in singulis, leonem pilosum esse, murænam glabram, virum barbarum, feminam imberbem, laurum semper virere, cerasum rotundum, ac rubens, prunum oblongum, lupum voracem, leporem timidum, vulpem astutam, ovem mansuetam, apiculam providam, omnia ad illius imaginem aliquam sunt effecta: Quis hic non cogatur exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!*

Species inter se non sunt sicut numeri, discretæ, sed sicut series in magnitudine, in qua alia aliis copulantur, nec quicquam est proprius quàm velut annulos esse in torque, nihil ut remaneat inane, nec tamen ut momentis, et velut punctis insectilibus distinguantur; conferta quidem sunt spatia, sed tamen interseri aliquid potest inter proximas communicatione amborum, velut inter equum et asinum mulus, quod in numeris contingere non posset, nihil enim inter quatuor et quinque interjaceris, atqui novas species ex commistione aliarum videmus nasci: ergo inferior excellentia aliquid attingit altioris, sed erigit se quantum valet, ut multum se in illius præstantiam inserat, plurimumque de illa communicet, quod si assequatur, aliis ejusdem notæ fit præstantior, ut lapis si vitam agat stirpis, stirps si aliquid de sensu animantis referat, mutum de intelligentia et sensu hominis, homo de sapientia Angeli, Angelus de bonitate et fe-

licitate Dei; nam similitudo harum excellentiarum excellentiæ dicuntur, si cum iis conferantur quæ vestigium earum nullum habent, ut in ape et formica illa velut in futurum providentia, in cane sagacitas, in vulpe cautio; quocirca superius est semper norma et censura dejectioris, Deus omnium, Angelus hominis, homo animalium, hæ stirpium, stirpes metallorum, metalla saxorum; dico in eo, in quo excellit, nam in sentiendo extrinsecus non est homo censura aliorum animantium. Itaque elephas mutorum est præstantissimus, quia proximus intelligentiæ rationabili; quòd si hominis forma formarum est inter animantes pulcherrima, excellentior erit simiæ facies quàm equi; id nisi recipiatur, nulla erit regula præstantiarum, nec iudicium firmum, sed in simia offendit nos dissimilitudo formosæ faciei, nempe color teter, pili, simitas, perpetua gesticulatio, quæ etiam in Æthiope homine essent odiosa.

Agere ex
præstantia.

Unumquodque entium ea ratione agit, qua habet excellentiam, qua vero imperfectionem, et defectum a similitudine summi, patitur; loquor de passione perpellente ad interitum, non de adornante ad aliquid consequendum melius: hæc quidem est rerum præstantia, sed præstans sumitur nonnunquam pro bono; quo sensu ea sunt præstantiora nobis, quæ aptiora nostris destinatis; appetitus enim, uti demonstravi, de fine est, hic de bono, ita in rebus commoditates appellamus præstantias, ut præstat aurum argento, caro vervecis carni lupi aut piscis, et philomela graculo, quæ ad nos referuntur, quòd si omnia hæc a Deo sunt parata homini, utique revera et simpliciter præstantiæ dici possunt, nam quo illi majorem usum adferent, excellentiora dicentur. Perfectum est etiam quod undique absolutum, expletumque, per se ipsum sufficiens sibi, alienæ opis non indiget, quomodo nec homines, neque Angeli, nec cœli perfecti sunt, sed Deus solus, omnipotens, infinitus, æternus; naturalis cujusque rei cupiditas est, ut ad optimum illud, atque excellentissimum speciei suæ pertingat, quantum consequi per facultatem valeat, hoc ubi est nacta, conquiescit, et studet se in eo conservare; homo vero quum semper ulterius appetat, et vivat in futurum nixus, nec unquam in eo quod adest velit fixus persistere,

sem-

semper autem alia ex aliis concupiscat, et quidem diversi generis, colligitur profecto cum in ævo hoc summum illud et perfectissimum non habere, nec posse felicem hic fieri; reliqui appetitus ex desiderio perfectionis oriuntur, nempe tuendi sui, et obsistendi inimico, nam nisi sit quicque, non potest perfectum illud assequi; habet homo talem quoque naturalem appetitum conservationis sui ipsius, verum ut non naturæ informatione judicat, sed sua persuasionem, in errores incidit turbulentos, ignarus quid sit ipse, quæ sui conservatio; itaque alii se vocant suum corpus, alii suam potentiam, alii suas divitias, alii existimationem sui, qua mente divus Paulus homines illos dicit *amantes sui*.

Error hominis in se cognoscendo.

Ex conservatione sui, statim nascitur contrario corrumpenti repugnare, et coadunari cum eo, a quo aliquid possit vitium accedere ad se defendendum, nempe cum suo simili; ea conjunctio, et quasi conspiratio, ἀντιπροστασις dicitur verbo Græco ab Aristotele, et Theophrasto, *cohibitio* a nobis vel *coercio*, quæ iis potissimum contingit, quæ lubrica sunt, ac proinde facile ad se mutuo transcurrunt; quod genus sunt liquida omnia, aër, aqua, et quæ sunt naturæ horum, oleum, vinum, sævum, sanguis, ac ejuscemodi, cujus rei plurima sunt in natura rerum, et quotidiana experimenta; in aridis non æque hæc deprehenduntur; est in bestiis quoque hæc ad mutuuum auxilium conspiratio; nec hominibus deest is qui *syncretismus* de veteri Cretensium more nominatur: de quo est illud: *Conjungunt homines mala*: nihil est felicius, quàm fieri voti compotem; nihil acerbius, aut miserius, quam frustrari; quapropter orandus est Pater cœlestis, auctor et rex naturæ, ut et animum præbeat, quo velimus, et vires augeat, quibus possimus ad summam veri ac naturalis boni pervenire.

BRUGIS, ANNO M. D. XXXI.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

PRÆFATIO

AD FRANCISCUM DUCEM BEJARIS,
Comitem Belalcazaris, &c.

NULLA est rei alicujus vel præstabilior cognitio, quàm de Anima, vel jucundior, vel admirabilior, quæque tantum adferat ad res maximas utilitatis; nam quòd Anima excellentissima sit omnium, quæ sub cælo sunt condita, atque adeo cælis quoque ipsis potior atque excellentior, fit, ut quæcunque de illa possimus assequi, permagni æstimentur; accedit tanta in illa varietas, is concentus, ornatusque, ut nec terræ ipsæ, nec cæli adeo sint depicti et descripti; est quoque ipsa tam admirabilium vitæ totius operum inventrix et artifex, ut spectari nec sine ingenti voluptate possit, nec sine grandi admiratione: jam vero quod illic fons est atque origo bonorum omnium nostrorum, et malorum, nihil est conducibilius, quàm probe nosci, ut purgato fonte, puri dimanent rivuli omnium actionum; neque enim poterit animum gubernare, et semetipsum ad recte agendum habere in sua potestate, qui se non explorarit; artifex videlicet est noscendus ante omnia, ut sciamus quæ simus ab illo expectaturi opera, quibus rebus, sive agendis, sive patiendis, sit idoneus, quibus contra: idcirco vetustum illud oraculum toto orbe celebratissimum, in progressu sapientiæ primum poni gradum illum jubebat: *ut quisque se se nosset*: haud utique ossa et carnem, et nervos, et sanguinem, quanquam et hæc quoque, sed animi naturam, qualitatem, ingenium, vires, affectiones præcipiebat inspicere, et tam varios et longos recessus, ambagesque, quantum fieri possit, explorari. Quibus de causis visum est mihi, tanta de re commentari nonnulla, atque eo magis, quòd recentes Philosophi, ut in ceteris disciplinarum argumentis, ita et in isto segniter sunt versati, contenti iis quæ essent a vete-

ri-

ribus relicta; ipsi vero ne nihil omnino agerent, eas addiderunt quæstiones, quas tum explicare esset prope impossibile, tum explicata nihil adferrent fructus: tanta erat libido in rebus prorsus inanibus se defatigare: porro antiqui in rebus tam reconditis statuendis, magnis se involverunt atque intricarunt absurditatibus: nec mirandum profecto est de anima illos prave sensitisse, quæ sub nullum corporis sensum cadit, qui ineptissima de iis rebus affirmarint, quas sensibus usurpamus; stoici molestissima loquacitate infinita deblaterarunt, dum omnia cupiunt definire, et ad subtiles redigere capriunculas; Aristoteles, more suo, tectus est, et vafer.

Ego, quæ sentiam, tradam explicatius, ad normam non luminis naturalis, quod imperiti somniant, sed veritatis, quæ est in natura, et supra naturam unica est, non duæ; de quo errore et loquutus sum de *Corruptis artibus* disputans diffuse satis, et loquar in libris de *Veritate fidei Christiane*: itaque nec in refellendis falsis de Anima opinionibus, quæ plures sunt quàm in alia quacunque quæstione, operam sumam, quod esset laboriosum admodum, et immensum, plusque adferret spinarum, quàm fructus; cum verbis autem, non solum a populo inventis receptisque, sed usu etiam doctorum tritis, multum fuit nobis negotium dum parum congruentia, aptare tamen conamur nostræ structuræ, nam ut nihil est magis quàm anima reconditum, magisque ad omnes obscurum atque ignotum, minime omnium quæ res ad illam pertinerent accommodis potuerunt vocabulis exprimi, ac consignari: nos tamen quædam toleravimus, alia expolivimus, et adaptavimus, nonnulla sustulimus, ut maxime discentium videbatur referre. Opus hoc tribus voluminibus explicatum, de *Anima Brutorum*, de *Rationali*, et de *Affectionibus*, nomini Tuo dicare constitui, Francisco, Dux præclarissime, non tam ob Tua in me beneficia, magna alioqui, et (quod ego pluris facio) plenissima egregiæ tuæ in me voluntatis, quàm quòd excellens ingenium tuum hujusmodi tractatione admirabiliter delectari solere novi; adde, quod est de *Affectibus* speculatio, quæ tertio libro continetur, fundamentum universæ moralis disciplinæ, sive privatæ, sive pu-

blicæ, qua Tu una disciplina, quod ex Te ipso quum Bruxellæ una essemus intellexi, præter ceteras caperis, ac teneris: jure id quidem optimo, nam nec alia ulla est æque viro Principi conveniens, ad se, ac suos, totamque rempublicam rite gubernandam.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE ANIMA ET VITA LIBER PRIMUS.

Rerum divi-
sio.

QUÆ nec sunt adhærentia, cognitioni sensuum exposita, neque iis ipsis adhærentibus teguntur, cognosci a nobis possunt ex solis operationibus; cernere est in rerum natura quædam torpida, motus sui penitus expertia, non alii, aut crescere, non loco sua sponte cedere, sed perpetuum in suo vestigio fixa, quomodo a prima sua origine sunt ab auctore suo condita, nisi quod extrinsecus, vel accessione aliorum fiunt majora, vel detractioe minuuntur, sicuti est a nobis in Prima philosophia explicatum; alia videmus nutriri, augeri, decrescere intrinsecus; sunt quæ vi sua atque impete moventur; sunt quæ præter hæc sensus habent externos et internos; postremo quæ ratione utuntur, ac mente valent: prima illa, quia vi et vigore prorsus carent, non dicuntur vivere, reliqua propter internam illam vim censentur vivere, quorum gradus quatuor annotantur; nam quæ solum nutrimentum recipiunt, idque ad vitam propagandam, et augendam molem in corpus diffundunt, vitam sive facultatem altricem nutrientemque dicuntur sortita, quo in genere stirpes omnes continentur; quæ vero præter eam, sensus quoque sunt nacta, hæc ad vitam referuntur sensilem sive sentientem, hujusmodi sunt spongiæ marinæ, conchæ, et quæ *stirpanimantia* dicuntur, Græce ζώοντα; alia porro vitam cogitativam habent, quæ præter externos sensus vi quadam animi sunt prædita ad memoriam

et

et cogitationem, sicut aves et quadrupedes; vita rationalis, seu humana, summa est inter vitas, media inter spirituales naturas et corporales, qua solus est donatus homo; quo autem nomine insignitur vita, eodem et anima, ut sit in aliis anima alens, in aliis sensiens, in aliis cogitans, in homine rationalis: dicamus sigillatim de unaquaque.

Nutritio, est conversio nutrimenti qua est potestate corpus animatum, in corpus jam re ipsa animatum; potestas hæc Nutritio. facilis et propinqua debet intelligi, quæ ex effectione et qualitatibus consideratur materiæ, quæ aptæ sunt, ut ad eam mutationem utatur illis facultas ea, quæ est viventi indita ad se alendum, neque enim aridum lignum, vel cineres, ejus sunt rationis, tametsi per transitus actionum naturæ aliquando in herbam et fruges possint converti, sed ejusmodi potestas procul est sita, et jam alia prorsus res essent, quam prius; vitæ hujus seu animæ altricis duo sunt instrumenta præcipua in corpore, calor et humor, tametsi ex his duobus calor proprie ad vim altricem pertinet, humor ad calorem; anima omnis conservatur in corpore per calorem; hoc est illius instrumentum potissimum, sicut vita nostrorum animorum calore quoque propagatur, nempe caritate Dei, torpent scilicet omnia, et emoriuntur calore semoto; et quoniam hic velut alimento quopiam indiget ne evanescat subito, et restinguatur, idcirco additus est humor viventibus corporibus, velut frenum caloris ad prorogationem vitæ; arripit humorem calor, et exugit; vicissim humor refrigerat calorem, et rapiditatem ejus retardat, ac cohibet; nec alia est reductio aquæ ad frigiditatem, quam Philosophi aliqui comminiscuntur qua dicunt aquam excalfactam referre sensim se ad qualitatem suæ naturæ, hoc est, ad frigiditatem; utique non magis aqua, si ab igne separetur, ad frigus se se recipit, quam vinum, et oleum, et quicumque humor alius; humidum enim vi naturæ suæ calorem refrenat primum, hinc, si nimius est, consumit; unde humidum omne, quamlibet facultate calidum, amoto extrinsecus calfaciente, refrigerat: sed redeamus ad corpus animantis.

Calor.

Reductio aquæ ad frigiditatem.

Si in eo invalescat calor, nascitur sitis, quæ est humidi et Sitis. fri-

302

DE ANIMA

frigidi appetentia, contrarii scilicet; tum confirmandus est humor, ad sedandos ardores: sin calor in humorem, et hic in illum, agens delassentur, refocillatione utriusque est opus, et subministratio virium; ea fames nominatur, appetitus calidi atque humidi, nisi quod humor, quem sitis expetit, tenuior est, quam quem fames: sin vero immodice auctus sit humor, flaccescit calor, et desiderium alimenti languet, reparandus est fomentis, tametsi nutrimentum omne quodammodo fortio est, ac medicina, sed nutrimentum reparat animans, medicina autem instrumenta facultatis, quæ sunt ulterioris contemplationis: appetitus autem inditus est viventibus ad conservationem sui, nempe ut sequatur utilia, fugiat a noxiis; itaque is in libramento humidi et calidi conservatur, dum vel æqualitatem obtinent, vel eam inæqualitatem quæ facile possit æquari cibo indito aut potu, quæ profecto inæqualitas gratissima est, quippe naturalium voluptatum, et incitamentum ad eas expetendas, et condimentum ut videantur suavissimæ. Ex his quæ diximus perspicuum fit, familiaribus nos et similibus nutriri, contrariis curari; nam si quod potestate est hoc, facile transit in re ipsa hoc, quo potestas erit propinquior, eo etiam expeditior nutritio, ideoque animantes recens natæ congruenter lacte nutriuntur, quod est ei moli quàm simillimum unde habent coagmentata corpuscula. Constant naturæ corpora ex elementis naturæ, quæ quatuor esse in confesso est: ignem, spiritum, aquam, terram: hisce omnibus alimur, vel in eorum natura, vel in facultatum ratione; aqua et aëre per se, in similitudinem autem rebus aqueis, spirituosis, calidis, solidis, et duris, velut cervisia, vino, oleo, carnibus, fructibus, aromatis; et sicut animantis corpus solidum esse oportet, ut quæ a facultate vitæ in eo exercentur contineat, ne diffugiant ilico, et dilabantur omnia, ita in cibis convenit aliquid esse solidum, quasi que terræ qualitatis, quod alia cohibeat liquida, et in quo hæreat vis caloris, transeatque in molem animantis, alioqui semper animans appeteret, nec finis esset edendi ullus.

In mari pisces alii aliis vescuntur, et quæ marina aqua soputantur sustentari, ut mænæ, crassiusculum ex ea sumunt unde

etiam

etiam est in conchis et ostreis fæces deprehendere, quod acidulus sapor manifesto prodit: stirpes solo affixæ, terrenum succum per radicem sugunt, ex cujus parte subtiliore sunt frondes et flores, ex densiore fructus, ex densissima radix, truncus, et brachia. Observatum est etiam, nationes omnes panem uti et obsonio, vel re aliqua quæ panis vicem impleat, nempe castaneis, glandibus, radicibus, piscibus exiccatis; et inter animata, ut quæque sunt crassissima, validioremque habent in densa materie calorem, ita rudissimo est eis et crassissimo alimento opus, ut sub septentrione, et equi, et asini; quin equus poturus aquam pede turbat, si forte sit liquidior, scilicet non est conveniens ei alimentum adeo tenue: Asianorum quidam solis odoribus frugum dicuntur vivere, et nostri Hispani frequentes moriuntur in insulis Novi orbis, et altera parte continentis, ob cæli et alimentorum subtilitatem, unde solida corpora, aëre et cibis densioribus assueta, non queunt vitam producere. Eadem de causa aqua pura non dicitur alere, sed eluere, nec potus per se in rationem alimenti venit, nisi ex adjuncto, quum alia immiscentur quæ excogitavit partim necessitas, partim gula, et alia genera potionum sunt inventa, succis variis e frugibus expressis, velut uvis, piris, malis; sed hic potus noster est, naturæ vero est ille, quo promiscue animantes utuntur omnes, et homines, qui sine artibus solo naturæ nutu ac magisterio reguntur; idcirco videmus eum in commune vitis universis largissime propositum: et sicut humor calorem detinet, ita calor quoad potest efficere, carpit atque exorbet humidum, coquens dissolvensque vi atque operatione naturæ suæ; inter coquendum separat utile corpori a redundantem, ac proinde noxium; utile corpori est succus corpori congruens, quia similis, noxium est, vel arida materia, vel succus alienus, et ideo salutis corporis officiens.

Utile distribuitur primum in membra, hinc convertitur in corpus animantis, quod vis animæ complectitur, quasi que agnoscit, ut partem jam sui corporis. Hujusce altricis facultatis multa sunt munia, et tamquam particulares functiones, quæ illi universali subserviunt, nempe *vis attrahens* alimentum ad

se,

Fames.

Fundamentum ciborum.

Potus.

Concoctio.

Partes animæ vegetativæ.

se, quam etiam in stirpibus deprehendimus, quæ fibras radicum, velut digitos quosdam, quoquo versum porrigunt ad capiendum quo se alant, ideoque radix omnis vim habet quandam *percurrere*, atque *aperiri*, a natura insitam, ut quandoquidem humi est affixa, in duris et densis locis possit sibi locum facere, tum ad se dilatandum, tum ad sorbendum si quid est alimenti in vicino; sed facultas hæc arripiendi non multum prodesset, si quod admissum est, continuo efflueret, itaque *retentrix* additur, quæ continet alimentum, et cohibet, donec perfecta sit congruens ejus mutatio per potentiam *coctricem*; huic adjuncta est *purgatrix*, quæ purum ab impuro discernit, impurum vero *expultrici*, ut foras eiciat, traditur, purum vero *distributivæ*, ut diffundat in membra; postrema omnium est, quæ succum illum, sive alimentum, convertit, et incorporat in ipsum vivens, *incorporatrix* sane nuncupetur: hæ functiones mutuo se expectant, et adjuvant; prius enim alimentum coquitur, quàm discernatur, et hoc, antequàm expellatur noxium, neque attrahens suo fungetur munere, nisi evacuatum sit corpus, nec coctrix, nisi prioris cibi facta sit expurgatio, sed si qua earum cesset in officio, statim in aliis quoque sentitur segnitias quædam et desidia, tanta est inter illas conventio, et cuncto corpore divinitus temperata proportio, quæ facile nos in admirationem duxerit tanti Artificis, cuius opus tale est, ut non dico imitari (id enim nulla potest alia vel vis, vel sapientia) sed vel mente et ratione assequi, magnum et pulcherrimum sit.

Hæ facultates non certas habent sedes in animato corpore, ut unaquæque in aliquo uno sit membro, non in aliis; fuscæ sunt enim in omni parte et membro, tametsi in aliis majores, et magis annotationi nostræ expositæ, in aliis minores, et magis obscuræ, adde etiam diversarum rationum; cernere est in perfectis animantibus, in quorum ventriculo concoctio fit in modum ptisanæ, in jecore vero sanguinis, in membris autem substantiæ animantis; et primum quidem substantia est uniformis, ac sui similis, tum diversa ac dissimilans; nec est unquam coquendi, et purgandi, et pellendi finis aut otium
ali-

aliquod, calor enim continenter fervefacit humidum; nec ullum est adeo purum, quin habeat fæces, quæ separentur, idcirco universum animantis corpus meatibus est quasi perforatum, et pervium expulsionis purgamentorum, quæ fit dies et noctes, primum per patentibus illas cloacas supra et infra, ore, naribus, auribus, oculis, dehinc iis, quæ vocantur emunctoria sub alis, et ad inguina, cuncto denique corpore exhalant subtiliores fæces, quod declarant capitis furfures, et scabrities, ablutio quoque manuum, quæ semper invenit quod eluat, ad eundem modum in pedibus, et in omni parte corporis; hac de causa toties necesse habet animans cibum sumere, ut quod perpetuo peric, instauretur: hæ facultas *nutriens* prima est, et simplicissima omnium, ad sustentationem animantis a Deo tributa.

DE AUCTRICE FACULTATE.

CAP. I.

Viventia omnia aliquousque videmus crescere, et plurima illorum gignere sibi simile; itaque nutriti facultati addita est *auctrix* quidem in omnibus, *generatrix* in plerisque: auctricem ut omnibus inesse diximus, ita non semper, nam et sistunt aucta, et relabuntur retro, minuuntur enim, quasique contrahuntur, quemadmodum augendo se se exporrexerant; generatrix certo advenit tempore, adultis viribus, quæ vicissim decremento potentiæ debilitatur omnino, ac perit: auctrix ergo potentia, perpetua est in vivente, auctrix vero, et quæ simile generat, temporaria; auctrix statim ab ortu usque ad certum limitem, gignens vero, posteaquam ad certam magnitudinem et vires pervenit: de augente dicamus prius; ea non est additio extrinsecus, ut quum lignorum et lapidum aggregatione surgit domus, et vestis assuendis pannis, sed eodem tacito atque occulto artificio quo nutrimur, nempe conversione alimenti per intima extenditur quantitas extrinsecus; itaque vis hæc ex nutriente manat, et cibus nutrit qua est substantia congruis qualitibus prædita, et auget qua moles; ideo animan-

Metalla.

tium corpora in spongiæ modum finxit Deus, et si alia densiora aliis, minusque perforata, omnia tamen poros habent, per quos alimentum se insinuet, et moles se diffundat. Sunt qui metalla inter res numerent animæ præditas, quòd videamus ea crescerè, et quidem intrinsecus, ut appareat non fieri absque alimento; quæ opinio haud prorsus est absurda, neque est quod prohibeat illa quoque recipi inter viventia, nec ea suis carent meatibus; tametsi illorum auctus ad applicationem molis possunt magis referri, quàm ad actionem altricis, quemadmodum crescunt fontes ac fluvii humore accedente, saxa item in imis terræ, et scrupi ac lapides in superficie.

Crescendi terminus.

Ignem quoque viventem esse existimarunt olim quidam, unde religio eum extinguere apud veteres Romanos (uti Plutarchus tradit), scilicet, ali eum, et crescere autumabant; sed profecto non tam est ignis animans, quàm quiddam altrici virtuti, et augenti simillimum, nempe earum facultatum in corpore animato non causa utique, sed instrumentum, nam causam non esse probe Aristoteles colligit quoniam quidem ignis incrementi non habet terminum, extenditur, quantum suppedit quod comburatur, animantis vero meta est aliqua ex ratione animæ, aliis autem citerior, aliis ulterior, pro vi et magnitudine caloris et humoris, tum naturalium et primorum, quos in ipsa corporatione natura insevit, tum eorum quæ postea ex alimenti, et loci, et habitudinis qualitate accesserunt; hæc omnia intra certos limites Conditori Deo cognitos, naturæ autem a Deo ipso præfinitos, de quibus facilius nobis fuerit statuere, qui non sint, quàm qui sint; neque enim ulmi aut quercus proceritatem homo unquam pertinet, nec formicæ exiguitate humana anima continebitur, suis quidem facultatibus et instrumentis apta atque adornata; legi, qui statim in ortu pueri, quam sit habiturus staturam prædicant; sed id magis in generibus quantitatis, quàm in definito aliquo puncto, ut ex membrorum constitutione, et ossibus, et totius proportionem, dicant pusilla statura eum fore, aut media et justa, aut longa atque enormi, quadrato corpore, et bene compacto, aut e contrario; quid, quòd illa quæ deinceps accedunt, aliquid sæpe-

penumero eam ad rem faciunt? ut nutriri aridis, an humidis, in calido et siticuloso loco, aut frigido et humenti, humor enim auget corpora, eoque majores sunt marinæ beluæ, quàm terrestres, et hæ, quàm volucres, et in locis humidis ampliores homines, quàm in arenis, ut ad septentrionem quàm ad meridiem, et potus magis extendit corpora, quam cibus; hæc augendi functio ad perfectionem uniuscujusque viventis est tributa; visum est enim auctori omnium eas leges operæ suæ naturæ imponere, ut quæ ex his elementis mundi inferioris in apertum edat, adolescent paullatim ex parvis initiis, tum adulta jam et quasi plena sistant paulisper gradum, hinc recidant sensim in suam originem, quemadmodum bis per singulos dies animadvertere est in motu Oceani.

Oceani motus.

Hæc productio rerum, a natura facta, imago est mundi a primo conditi; non potest natura res e nihilo procreare; solus id potest Deus; producit autem tam tenui principio, ut iudicio nostro non valde videatur abesse a nihilo; tum productum sustentat, atque auget; in quo admiramur et bonitatem et potentiam Conditoris in ea quæ est velut secunda creatio: tum exhaustis viribus, quum jam sustinere se non potest quod creverat, diminuitur, est enim cujusque rei cursus et duratio velut jactus quidam, sicut in Prima philosophia est declaratum; hac vadunt omnia quæ sub luna cernimus, et contrectamus, tum Dei opera, tum hominum inventa; prima illa corporis animati constitutio, et temperatio caloris humorisque, opificio, naturæ indita, postquam se totam ceu involutam evolvit, atque explicavit, pugnantis in eam loci et alimentorum qualitatibus deteritur in dies, fitque imbecillior, quousque succumbit manibus adversantium; hoc quidem naturaliter; nam casus permulti intercurrunt, qui non sinunt eam constitutionem alias evolvi, alias sistere, alias paullatim relabi, sed subito, aut breviter, certe violentia sua, opprimunt; fit etiam non raro, ut ea constitutio imbecilla sit admodum, materia non satis obsequente actioni naturæ, vel quia parva et maligne suppeditata, vel quia infecta noxia qualitate; instrumentum animæ altricis et augescentis est calor, pastus caloris humor;

Qq 2

est

est autem calor quidem a natura ingenitus; est etiam humor ei additus, qui fusus quidem est per cunctum corpus, sed fundamentum habet in nervis, in ossibus; hic multus est initio, quæ causa est, ut infantes invalidi sint, ne sensibus et ingenio utantur, tum somno indigeant diuturno; hunc calor paulatim carpit, et emendat; sed ad vim caloris avertendam ne brevi tempore totum humidum conficiat, tribuit Deus esculenta et poculenta; humidum tamen illud in dies fit minus, calor autem, ut in sicco, acrior, quoad fatiscat deficiente alimonia, unde et vires corporis flaccescunt: ita relabitur deorsum paulatim corpus eisdem fere gradibus, quibus ascenderit.

DE GENERATIONE.

CAP. II.

Postea quàm adolevit corpus vivens, incipitque interitus appetere, ne genus rei pereat concessit Deus naturæ, ut vim generandi sibi simile, et propagandi genus, viventibus possit indere; primum natura initiis rei, unde est officium nutriendi, tum incrementis, augendi, postremo conservandi singula, quandiu potest, certæ speciei per procreationem similis; ita generationem videmus esse opus animantis jam pleni et adulti; hoc non solum in animalibus est annotare, sed etiam in stirpibus; veris enim tempore tota vis est in radice, hinc in foliis et ramis, postea in flore et fructu, ad postremum in semine, ex quo sato prodit planta priori similis; itaque generatio est conversio animati corporis, quod re ipsa est semen, in aliud simile illi ex quo fuit desumptum, et quoniam nutriri, adolescere, gignere, ex alimento sunt, idcirco sub animæ vegetantis nomine clauduntur, eamque Aristoteles definivit facultatem, quæ alimentum in corpus animatum convertit ad ejus salutem, et ex eo auget ad complendam justam ejus molem, et generat corpus animatum suæ formæ ac rationis; semen in parva molis portione vim effectiois suæ continet, quæ nacta congruentem materiam, profert se atque explicat; itaque magis id ad

Generatio.

Anima vegetativa.

ra-

rationem effectiois pertinet, quam molis, ideoque postremum accedit, videlicet posteaquam vis vegetativa functa est suo munere in augendo corpore, tunc enim vacat ei de iis qualitatibus, quæ animam in corporis administratione continent, multum exiguo in loco colligere, unde mox similis effectio arcesatur, quantum quidem materiæ qualitates patiuntur, nam quum hæ repugnantes sunt iis qualitatibus, quæ effectioi congruunt, degenerat quod producitur, ut in terra, quum diversi generis stirpes edit ab iis, unde erat semen desumptum, et in monstris animantium, et in muliere, quum pro puero edit beluam non unius formæ, quod frequens est Neapoli Italiæ, et in Flandria Belgica, in quarum mulierum locis gignuntur beluæ multiformes, sæpe solæ, aliàs cum infante, interdum puero a belua vel semeso, vel exucto; crassissimo, videlicet, maximeque putri humore ejusmodi mulieres abundant ex alimentis brassicarum, et cervisiarum potu; nec secus ejusmodi procreantur in illis beluæ, quàm lumbrices in utero pueri ex crudis fructibus; pravitas enim receptaculi adfert vim facultati specificæ seminis, et cogit vel non producere rem suæ speciei, vel aliquid aliud cum ea; mola quoque ab eadem est causa.

Degeneratio.

Mola.

Ex semine non raro pervenit degeneratio, quum est corruptum depravatione interna, in sua productione, vel externa, a loco, tempore, vel adjecto aliquo. De viventibus alia generationem habent spontaneam, ut muscæ, culices, formicæ, apes, quæ nec sexum ullum habent; alia ex commixtione sexuum prodeunt, ut homo, equus, canis, leo; sunt quæ ambiguum habent procreationem, ut mures, nam eorum alii ex sordibus sine concubitu, alii ex concubitu proveniunt; stirpes omnes spontaneam habent originem, primum ex suo ipsarum semine, deinde etiam vi terræ, in quam sparsit mundi Conditor semina herbarum omnium, fruticum, arborum, alia aliis locis; nam frumenta et vineta, quæ tanta nostra cura excoluntur, naturalia sunt, et a primo sponte ex terra orta, neque enim ipsi fecimus: ferunt in Sicilia triticum ultro provenire absque hominum cura, nos tamen industriam adhibuimus, ut usui nostro aptiora fiant; idcirco qui cultum hunc vel excogitarunt,

Varia generatio.

vel

vel alios docuerunt, pro inventoribus ejusce rei celebrantur, velut Ceres tritici, vini Noe, oleæ Minerva; sunt quædam arborum, nec fructum ferentes, nec semen, ut tamarix, et populus, quæ ideo infelices appellantur, sed quæ non propagantur semine, iis pro semine est surculus ex ipsis decertus, aut terræ natura, ac vis; quæ commixtione sexuum procreant, in iis est mas, unde semen deciditur, et femina, quæ illud in se recipit; ideo generatio perfecto jam animante advenit, ut sit unde ex mare sine damno possit subtrahi, et femina sine incommodo suo excipere, deque sua substantia alere atque augere; quod est in vivente corpore præcipuum, quasique animæ proximum, ex semine patris suboritur, quod autem crassius, ex materia matris, eamque ob causam mas calore præstat, tum ad expellendum ex se semen, tum illis spiritibus communicandis, femina autem frigidior est et humidior, ad continendum semen, alendumque fœtum; nec aliter viri semen, et materia feminae se habent, quàm granum seminis stirpis alicujus, et terræ substantia, vis enim procreandi hoc genus arboris, est in semine, moles autem, qua arbor alitur augeturque, ex facultate terræ, itaque expromit se atque explicat vis et natura seminis in materia quam terra suggerit.

Differentia autem inter sexus parva est, nihil enim aliud est femina quam mas imperfectus, nempe cui non justa fuit caloris mensura, itaque ex inopia videtur nasci femina; sed ea est tamen principis naturæ institutio, ut utroque sexu sit opus in animantibus, alter ex viribus nascatur, alter ex imbecillitate, nec desit unquam utraque causa ad utrunque procreandum; et qui ex malis novit bona elicere, idem profecto ex infirmitate educit robur: tanta est hujus Conditoris sapientia: quæ animalia proportionem suæ corporationis multum de paterno acceperunt semine, valent spiritibus, agilitate, viribus, subtilitate animi; quæ contra plus de matris materia, tarda sunt, et laxa; in stirpium propagine magna est inter genitum et gignens similitudo figuræ atque ingenii, minor in animalibus, sed major in brutis quam in hominibus, propterea quod in illis stabilior est imaginatio, quàm in nobis, nos enim magis va-

ga-

gamur animo; genitricis facultatis hæc sunt vires particulares; expultrix in mare, qua semen effunditur, et in feminam immittitur, in femina autem continens et asservans; tum immutatrix, quæ semen maris cum materia matris commiscet et temperat, quatenus et corporis et cujusque membri contemperatiioni conducit; formatrix, quæ membra format et signat; postremo, quæ stato naturæ legibus tempore fœtum excudit: hæc est anima vegetatrix, cum suis functionibus, quæ quoniam sunt tot, tam variæ, par est ut varia sint ei instrumenta, et loci, quibus exercentur; unde partes in animante existunt, et membra, non uniusmodi, et similiaria, sed facie et qualitatibus varie atque admirabiliter distincta.

Partes animæ generativæ.

DE SENSIBUS.

CAP. III.

HÆc vitæ ratio, et plantæ et animalibus est communis; sed in animalibus quiddam videmus inesse, cujus plantæ sunt expertes, nempe cognitionem, intueri, audire, tangere, gustare, odorari, quæ ad externa pertinent, quum tota plantæ vita in rorsum spectet, exterorum orba, et ignara: cognitionis tria sunt genera: unum, quod novit corpora tantummodo præsentia; alterum, quod etiam absentia; tertium, quod res incorporeas: primi generis cognitio, sensio vel sensus nuncupatur, et si nomine parum apto, quippe quod non minus patet late, quàm ipsa cognitio, sed utendum erit receptis verbis, nisi forte planius fiat, si quis corporalem sensationem dixerit, quod equidem non impedit; ea vero est cognitio animæ per externum corporis instrumentum; animadvertimus in animali oculos per quos cernit; aures per quas audit; nares per quas odorat; palatum quo sapes dijudget; et toto corpore sensum quandam diffusum calidi et frigidi, humidum et aridi: hæc sensoria vocantur, quasi organa et instrumenta sentiendi, vel sensationum receptacula, in quibus vis illa sentiendi artifex, et effectrix, sensus nominetur, quod vero sentitur, sensile dicitur;

Cognitionis genera.

Sensio.

Sensoria.

Sensile.

ita,

Mas.
Femina.Differentia
inter sexus
parva.

ita, sunt in sensione duo prima; vigor et sensorium, hæc utique naturæ potestate; ut vero ea potestas se exerat, additur aliquid in quod, objectum scilicet, ac velut sensationis materia: junguntur ergo sensus, et sensibile, ad sensationem; quæ porro in natura junguntur diversa, medio aliquo utrique consentaneo applicantur, ut quum os carni annectitur per cartilaginem: medium est ergo, quod et sensibili congruit et sensui, ut in visu vel auditu, aëre aut aqua: habet quoque medium causam aliam; ut sensibile quodammodo extenuetur distantia, minusque veniat materiale ad sensorium, magisque sensus naturæ congruens, quæ est spiritalior, quàm ipsum sensibile: consentanea vero exigitur distantia, nam si procul absit, extenuatur sive missa a sensibili imago, sive ea vis quæ in sensu imprimatur a sensibili, nulla ut jam sensio possit existere; cujus imaginem intueri licet in sigillo ceræ impresso, quæ si sit crassa, non adeo in medio ejus hærebit forma, atque in summo quod est annulo proximum; sed distantia non simplex est, et ubique eadem, alia enim est alibi pro portione sensus, et sensibilis, et qualitatis medii: oportet item sive analogiam sive proportionem esse aliquam inter vim sentientem, et suum sensibile, ut hoc intra limites illius concludatur, nec sit tamen adeo tenue ut fallat, quemadmodum minuta grana molare saxum effugiunt in moletrina.

DE VISU.

CAP. IV.

Visus. DE videndi sensu primum est disserendum, is enim simplicissimus est, ac notissimus, adeo ut ejus appellatio ad reliquos sensus, adque animi cognitionem extendatur; *Vides ne, inquit omnes, quàm suave pomum, quàm grave æs, quàm dulcis concentus, quàm teter odor atque adversandus, ut acute confectum est argumentum!* ita reliquæ omnes notitiæ ex hac una intelliguntur; et oculi sunt in animo non minus quàm in corpore; et quæ de visu dicuntur, ut acutus sit vel hebes, ad ceterorum quoque sensuum functiones accommodantur: auctor rerum

rum omnium lucem suam per universum mundum diffudit, spiritali in spiritalia, corporalem vero in ea quæ essent corporata, ut ejus beneficio et spiritus intelligerent, et oculi corpori cernerent; sic in Angelo spiritalis est lux Dei, in sole autem corporalis; lux hæc, quæ corporis in modum per moles est recepta, cum in raro hæsit corpore, efficit illud pellucidum, ut cunctum possit conspici, velut vitrum, aquam, aërem, quod *διαφανές* Græci nuncuparunt; quum vero densiorem nacta est materiam, exclusa ab intimis, hæret circa summa, eaque tenuis lux quod in extrema facie conspicitur, vocatur color, non quin colorata sint etiam corporum intima, sed coloris effectus in superficie est; color autem pro lucis portione varie temperatur, nam vel plurimum lucis retinet, quod vocatur album, vel minimum, quod atrum; in quo sunt etiam distinctiones, et ceu gradus quidam; nam est album, et candidum, est atrum, nigrum et fuscum, ex quorum commixtione, et temperamento, alii atque alii colores apparent, quidam albo, quidam nigro vicini, alii tamquam in medutulo amborum; quæ omnia esset recensere pæne infinitum, nam sub ipsis formis sunt aliæ velut minores formæ, quas non sit persequi numero: declaratur hoc, quod in solo viridi nulla est herba, nulla arbor, quæ non proprium quendam habeat virorem, et suum ab aliis omnibus distinctum.

Sensorium visus exterius quidem sunt oculi, interius vero duo nervi a cerebro pertingentes ad oculos; itaque exterior lux cum illa oculorum conjungitur, ad noticiam videndi, sicut lux spiritalis cum luce mentis, ad intelligentiam; nec videri quicquam et discerni potest, nisi adsit certus quidam vel lucis vel luminis modus, pro vi et potentia oculorum, neque enim quantuluscunque sufficit, ut de nocte; sicut rursus immodica lux obruit oculorum vires, ut si quis nostrorum solem serenum occidentem conspiciat, quod incommodum aquila non sentit: lux vero, seu lumen, quod hinc non distinguo, haud adeo est necessaria, propter intervallum oculi et visibilis, quàm propter ipsum visibile, ut tenuis lux a majore adjuvetur, nam si circa visibile non sit lux, tametsi in reliquo sit interstitio non cerneretur;

tametsi autem in reliquo interstitio sint tenebræ, circa visile autem lux, cernetur; itaque qui de nocte faces aut laternas gestant, ipsi visi ab aliis, non vident eos: quapropter res quæ plus participant lucis, facilius in tenebris cernuntur, ut prunæ, adamantes, pyropi, nix, specula, aurum, argentum, cuprum, orichalcum, lavigata, et polita, et animalcula quæ cicindelæ nominantur, quorum omnium lux diei splendore obruitur, de nocte existit, ut aliorum minorum luminum in majoribus; nec solum sibi ipsa suppeditant hæc lumen in tenebris ad sui conspectum, sed impariuntur vicinis rebus: spatium autem oportet esse aliquod, et quasi intervallum, inter colorem et oculum, oculus enim nihil cernit primum et per se, nisi lucem, ideo hanc absque intervallo intuetur; quod si color oculo superponatur, non cernit eum, quia excluditur lumen cujus ope fit notitia visus; sin vero longius color recedat, non intuebitur, si ve quod visus potentia imbecillior est, quam ut eo pertingat, si ve quod radii, qui a visili ad oculum tendunt, tanta loci intercapedine contabescunt.

Princeps visile, uti modo dicebam, est lux; et quæ videntur reliqua, modo quodam rationeque lucis cernuntur, nempe radiatione in formam pyramidis, cujus basis est quod spectatur, conus autem attingit pupulam, sæpe non totus, neque enim rei magnæ universus conus sub magnitudinem pupulæ potest cadere; ideo pupula diligenter se circumvolvit mira celeritate ut omnes lineas conii, quoad ejus facere possit, perlustrat; qua de causâ visile quod agitatur, minus certo conspicitur, quod lineæ conii non tam fixe feriunt centrum pupulæ quam ad visionem convenit: turbatur quoque visus in commotione intervalli, ut in aëre, sed manifestius in iis quæ densiora sunt, velut aqua, et vitro: qui oculo hebeti sunt visu, iis majore opus est cono ad videndum; idcirco procul non vident; adhibentur pro remedio conspiciilla, ut res appareat major, quo ne debilem aciem subterfugiat: alii quum quid intentius volunt intueri, contrahunt genas, ut simul vis oculorum in se se recepta sit efficacior, simul imago rei, arctius coacta, ne se effundat, sed amplior sensorio imprimatur, at que

sta-

stabilior, quod in speculis atque oculis animadvertimus usu evenire; specula enim, et oculi concavi, imaginem concipiunt majorem, tumentia vero specula, et oculi extantes, minorem: oculi nullum ex se habent colorem, nam si quem haberent, omnia putarentur esse ejusdem coloris, ut qui per vitrum cæruleum intuentur, aut rubeum, omnia judicant ejus esse coloris, et in vehementi atra bili multa esse censentur nigra, et in iracundia sanguinea vel lutea, quæ non sunt: ergo primum visile est lux, secundum color, tertium adjacentis gratia, quod luce aut colore est convestitum; tametsi ea quæ solam obtinent lucem, velut aër rarus et liquidus, non dicuntur spectari, propterea quod quale sit nemo facile dicat, sicut aquam vel vitrum dixeris, in quibus densior materia lucem reddit ad naturam coloris propius accedentem.

DE AUDITU.

CAP. V.

Est et alter sensus, quo percipiuntur soni, neque enim oculis sonos dignoscimus; sonus quid sit, difficile est explicare: Sonus gignitur ex plaga duorum corporum, qua aër pellitur usque ad aurem; sit ne aër ita impulsus sonus, an ea corporum commissio, an aliquid adhærens essentiæ, difficilis ad explicandum quæstio, et minime necessaria; nec aliter in aëre fit sonitus, quam orbes illi in aqua jacto in eam lapide; et in orbem sonus porrigitur, magis ac magis se se extenuans et hebescens, qui orbes si frangantur prius quam ad aurem pertingant, imperfectus auditur; ideoque molem esse solidam, duramque est necesse, qua pellatur aër, nam molles non habent eam vim, ut linum, et lana; levior autem, et latior, et complanator materies, si durities adsit, valide aërem ferit, et procul pellit integrum, ideo latius sonat, ut in aëre; latius adhuc, et integrius, si sit cava, sicut in lebetibus, et cymbalis, propter crebrum repercussum, plaga enim congeminatur; aspera vero superficies aërem diffringit, et raucum, confusumque quiddam

Rr 2

so-

sonat: oportet autem aërem tum impelli, tum non dissolvi, itaque simul et ictu est et celeritate opus, ne si remisse committantur corpora, lentus aër circulos suos continuo dissipet; prævertenda est ea dissipatio celeritate plagæ; ut quum virga aut scutica aër intente cæditur, velocitas ictus non patitur orbes aëris disturbari, existitque sonus, in quo percussus aër est pro mole icta, proximus vero intervalli habet vicem. Sensorium est, exterius quidem, auris, et crassus quidam in ea aër, quasi que humor, interius vero, nervi ab auribus ad cerebrum pertinentes; hic aër auricularis cum externo illo conjungitur, qui est verberatu corporum pulsus, unde fit auditio, sicut ad visum lux cum luce; naturalis hujus aëris indicium esse ajunt quod si quis auriculam manu compresserit, sentiet intus strepitum, scilicet, moto illo aëre.

Aër auri
congenitus.

Ceterum si quis sit illic aër, quem ego potius tenuem humorem ac spongiosum esse arbitror, sed is tamen motu omnino caret, et sonitu, quæ de reliquis est sonis cogniturus? bombus vero ille ex aëre est externo, qui admota manu conclusus inter auriculæ mæandros, sinusque, et exitum quærens, sonum illum edit, quemadmodum in retorta buccina: in aqua etiam audiri, sunt qui affirmant, quod pisces audiant sonitus, quod mihi verum non videtur, neque enim pisces in aqua audiunt, sed motum aquæ tactu sentiunt; non quod abnuam audire pisces aliquos, quorum annotamus ad officium audiendi perforata capita in modum aurium, et extra aquam sonitus exaudiunt, quos attente auscultant, alias admirantes, alias territi, alias quoque illicefacti; verum naturæ arcana sunt, nobis incomprehensibilia: fieri potest ut pisces aliqui sub aquas audiant, et hoc sit illorum ingenium; itaque hoc sit relictum in medio; in ceteris autem, qua non est aëri aditus, nec sono, ut per densissimos parietes; vidi tamen in cemeliarchio Menciæ, principis Zeneticæ, globum aureum absque ulla rima operis temistitanici, qui intrinsecus edebat sonum ab scrupulis, vel auri bracteolis, sed auri lamina exterior erat prætenuis, quæ ab scrupulis internis icta, ipsa aërem verberabat, unde existebat sonus. Aër ictu molium dissiliens, si occursu solidi corporis in-

te-

teger reflectatur unde venerat, fit sonus reflexus, sive reciprocus, qui a Græcis ἠχὴ nominatur; quanto vero vicinius est quo impingit, et integrius resultat, tanto fit major echo, et plenior, minor autem et confusior, quo vel corpus est longius, vel confractor est aër, et quia postrema impingunt potius quam prima, idcirco echo semper quod ultimum est soni explicatius reciprocatur; reflecti semper aërem percussum, ideoque semper etiam echum fieri, merito Aristoteles affirmat, sed non percipi a nobis propter tenuem reflexionem; aër enim, etiam si nullum corpus solidum occurrat, non impellit aërem vicinum, quin ab illo vicissim repellatur, sed vincit aër cæsus proximum aërem quietum, impete ac violentia quam ei corporum concussus dedit; quo fit, ut validis ventis spirantibus, minus soni audiantur, noctesque sint ad audiendum aptiores quam dies, quippe in motu venti aër cæsus non se perinde expandit sicuti quum quæta sunt omnia, quod cernere est in aqua fluctuante, in qua orbes jactæ rei continuo disturbantur. Sonus est sensibile auditus, corpora autem, quæ sonant, propter sonum, ita, quæ corpora sonum non emittunt, ut lana et linum, inaudibilia nuncupantur; sonus in actione ipsa vel tardus, vel celer, in sensione autem acutus, aut gravis, et quæ sunt, inter hæc duo, intervalla graduum complura.

Echo.

Sonus.

DE TACTU.

CAP. VI.

Constitutio prima naturalis corporis elementa naturæ complectitur, quorum qualitates ac vires principes ac simplicissimæ sunt, calidum frigidum, humidum aridum, ex quibus aliarum conjugationes existunt, duri ac mollis, asperi et lenis, gravis et levis; hæc qui dignoscit unus est sensus, isque tactus nominatur, diffusus per omnes corporis nervos, vel per ea quæ vice sunt nervorum; communicatur ea tangendi vis carni quoque ex vicinitate, sed tenuius atque hebetius, intervallum quidem tactus et tactilis per se est caro, sed ipsa quoque communi-

Tactus.

ni-

nitare quadam sensorium; si quid superponatur carni, sentiet quidem per illud nervi spiritus in quo est tangendi facultas, ut calidum vel frigidum, durum aut molle, per chirothecam, sed non prius quam ad carnem penetrarit ea qualitas: verum ex illis tactilibus, quæ de communi omnium sententia posuimus, si quis rem subtilius expendat, inveniet solas primas qualitates elementares ad hunc sensum proprie pertinere, reliquas autem ad vires et robur, itaque alia aliis et molliora, et duriora censerit, sicut magis aut minus, vel gravia vel levia; asperum autem et lene ex arido sunt, et humecto, per æqualitatem aut inæqualitatem superficiem: unus ergo est tangendi sensus, et unum tactile, nempe elementaris qualitas, cujus ope naturale corpus compingitur.

Eæ vero qualitates, quoniam ex proportione, ac congruentia, vel noxiæ sunt, vel salutares corpori animantis, idcirco ad eas noscendas tactus est universis animantibus tributus, et per universum corpus, quo facilius declinetur damnosum, sed in homine in extremis potissimum digitis manuum, non quod illic caro sit mollissima, sed partim ex contemperatione, partim ex assuefactione, atque eo naturaliter ducimur ut digitis illis prætentemus, et faciamus periculum primarum qualitatum, quod ut expeditissimum est, ita et levissimi detrimenti, si quid accidat: adjecit hoc quoque beneficium natura, ut moles quæ tanguntur, segnius irritarent sensum quam visile, vel audibile, ne quoniam ipsæ per se tangunt animal, nocumentum esset ab illis paratius et gravius, quod enim corpus videtur, vel auditur, non attingit ipsum per se oculum, vel aurem: est et beneficium aliud, quod brevioribus terminis actiones tactus gustusque sunt circumscriptæ, quam auditus et visus, celerius enim tangendo gustandoque, quam vel cernendo vel audiendo delassamur; nam quod tactus et gustus ad essentiam animalis pertinent, non item auditus et visus, moderatio est illorum actionibus adhibita a Natura, ne per effusas operationes corrumpatur sensus, et periret animal, quod periculum aliis ex sensibus non impender.

Tactilia.

Ad conservandam vitam.

DE

DE GUSTU.

CAP. VII.

NON omnia, quæ natura ex solo profert, esui sunt animantibus; sunt quædam illis congruentia, ut fructus et panis triticeus homini, gramen pecori; sunt quædam aliena, ut lutum vel ligna, quorum alia sunt omnino fatua et insipida, alia prorsus adversa atque inimica, vel insuavitate, ut fel et absinthium, vel damno, ut venena; quæ nocumento essent futura, iis qualitatem indidit gustui inimicam, sicuti contra salutaribus, congruam et placentem: salutaria autem voco, non tam affecto corpori, quam recte habenti, nec refert, si qui ex peculiari quodam ingenio, vel assuefactione, amarum rebus, aut fatuis, aut alienis gustatui, capiuntur, sicuti homines voraces et ebriosi, et mulieres prægnantes, et qui laborant atra bili; qualitas hæc quæ gustui vel allubescit, vel displicet, sapor nominatur; gustatus sensorium est nervus supra linguam expansus, ad quem Sapor, sapor pervenit ductus a saliva, et quemadmodum in extremis digitis acutissimus est tangendi sensus, ita in extrema lingua gustandi, propter subtilitatem spiritus nervi, non tamen per se (nam verus ac certissimus sensus fit in radice linguæ, quæ palato conjungitur) sed quia quod linguæ mucronem attingit, celerrime ad palatum perfertur.

Humor salivæ velut medium quoddam videtur sessionis, isque a sapore immutatur, ut reliqua media a suis qualitatibus, est enim ex se saporis cujuscunque expertus, ut omnes facile recipiat; idcirco quum lingua est arefacta, nihil gustamus; tum si saliva sapore ullo imbuta fuerit, non recte alios recipiet, ut in febre, quemadmodum omnia videntur cerulea intuentibus per vitrum ceruleum: addunt etiam nonnulli medium alterum paullo penitius et conjunctius cum ipso sensorio, carnem linguæ, quæ sit potius sane organi pars, quam medium: quæ animata lingua carent, hæc ore illo suo gustant, aut ea certe parte, quæ illis est oris vice, nempe qua alimentum recipiunt; et quandoquidem saliva est medium, eo sola gustantur,

tur, quæ traducere salivam possunt ad suam qualitatem, nempe calida atque humida, ex resolutione namque humidi a calido fit sapor, calor enim salivam extenuat, ut subtilius accipiat humidum rei sapidæ; qua de causa sapidissima sunt temperata ex calido et humido, velut saccarum et vinum, mel vero, et si efficacitate abstergit atque arefacit, habet tamen multum humoris in materia; quæ vero plurimum caloris obtinent, humoris parum, acutius gustantur propter causam quam modo attigimus, velut piper, caryophylla, cinnamomum, et aromata: quæ humoris multum, et parum caloris, insipida sunt, hebetemque reddunt gustum, ut aquosa; incrassatur enim saliva, unde sensio fit obtusior, ut visus in caligina, aut nebula; stupa, et ligna arefacta, non afficiunt gustum, sicuti nec aqua, si qua modo est purum elementum, illa quòd humore penitus careant, hæc quòd calore.

ODORATUS.

CAP. VIII.

MULTA sunt in natura, quæ vel gustata ingentem protinus adferunt perniciem, atque etiam pestem interdum capitalem, sicut venena præsentanea; ea gratia data est animantibus odorandi facultas, ut quæ congruere, quæ secus, viderentur, prænuntiaret gustui ante periculum, ne animal aut edendi aviditate in discrimen veniret vitæ, aut suspitione ac metu a salutaribus abstineret: ita hic sensus magnam habet cum gustu non solum confinitatem, sed et congruentiam, nam cuique quæ bene sapiunt, bene olent, et quæ male sapiunt, male etiam olent; et si non vice versa, multa enim odorifera gustus aver-satur; neque est hoc in utilitate perpetuum, sunt enim in gustatu atque odoratu utilitates, sunt delectationes, et hæc aliàs utilitatibus conducunt, aliàs adversantur, non in morbo tantum, ut absynthium et aloë, sed in recta etiam valetudine, in quo educatio et consuetudo multum detorsit naturam: olim nihil habebatur suavius, quàm odor messis, odor campi verni,

si-

sicuti nunc hominibus rusticanis nihil perinde allubescit, et senibus odor panis triticeus recens cocti; postmodum quæsita sunt alia, amaracinus, muscus, nardus, et aquæ ex floribus distillatæ; tum arte mista et confecta, præ quibus sordent jam naturalia: eundem ad modum in epulis, ut quum sit nihil naturæ inimicus quàm popinaria, multi tamen nequeant jam sine illa vivere: qui a dulcibus abhorrent, nec odorum præstantia delectantur, adeo ut non paucis suavissimus odor graviter offendat caput; quod accidit etiam in quibusdam ex imbecillitate cerebri, aut violentia caloris quo abundant odores excellentes, ut thus, cupressus, muscus. Sensorium est in carunculis narium, aut quod in aliis animantibus vicem earum obtinet, unde nervi ad cerebrum pertingunt; odores alii sunt suaves et blandi, alii acres, quemadmodum in coloribus sunt grati quidam, ut viridis, alii excellentes, ut candidissimus, et præfulgens: in ratione sensilis præstans est prior, sicut lux, sed in fine sensorii suave, quoniam ad gustum refertur; quod odori congruenti adversum est, vocatur fætor, sicut amarum, quod dulci; et ut arida et frigida non gustantur, ita nec olent; tametsi olfactus magis ad calida et sicca vergit, quàm gustus; calida enim evaporatio acerrimum odorem gignit, ut in aromatis, et Æthiopiæ Arabiæque stirpes omnes odoratissimi sunt.

Odores.

DE SENSIBUS IN GENERE.

CAP. IX.

SUNT ergo perfectorum animalium sensus quinque, videndi, audiendi, tangendi, gustandi, odorandi, qui a Deo tributii sunt animali ad salutem ipsius; nam quod corporeum esset omne animans, et inter corpora vitam acturum, voluit ei Deus notitiam quandam indere corporum, ut salubria appeteret, devitaret nocitura; quæ intra quanquam rem sunt abdita, ea per externa noscuntur: sensus ergo sunt dati, in quibus esset omnium exteriorum inhærentium cognitio, nullum enim videtur exterum adhærens restare, quod sub horum sensuum notitiam

Tom. III.

Ss

non

non sit comprehensum; ut appareat, nec pauciores debuisse sensus absoluto animanti tribui, nec oportuisse plures; quanquam definitio hæc sit sane nostræ conjecturæ, cum veneratione sapientiæ ac potentiæ Dei, qui solus novit quid expediat, et quatenus; sed pergamus infirmis nostris ac tenebrosis uti collectionibus: ex vi et qualitatibus quatuor elementorum, vires quinque sensuum sumus sortiti, ut ex proportione quadam, ac similitudine, singula sentiamus; terreus est tactui vigor, spissus videlicet et tenax, fortiusque apprehendens; aqueus, gustus; ex crasso aëre est odoratus, qualis est fumus, qui quoniam vi caloris ab humido exhalat, ad partem igneam retulerunt principes scholæ Peripateticæ, Aristoteles, et Theophrastus; fundamentum quidem illud est, et quasi origo, sed in evaporatione situs est odor ipse, qui est velut aër densior; auditus est aëreus; visus igneus; oculi quidem certe corporatio aquea est, vis autem et efficacia ignea; et quæ sunt iis naturis consentanea, melius sentiunt.

Primus sensuum est tactus, postremus visus; quæ prima est conjunctio, similis mundanæ illi materiali, quo ignis et terra principes coierunt, reliqua sunt deinceps interjecta: distinctio et separatio sensuum ex sensilibus videtur sumenda, omnium enim facultas eo referretur, in quo se exercet, ut si sunt sensilium quædam aliquot sensibus communia, velut motus, magnitudo, numerus, figura, seu forma, et situs, aut in loco positio, et quæ sub his clauduntur, quæ fere sunt visui et tactui communia, quandoque etiam auditui; quæ vero ex horum sensuum cognitione facultas interior elicit, nihil ad sensus pertinent, sicut pulchritudo in forma, aut fœditas, similitudo, et dissimilitudo; quemadmodum in pomo prius gustato saporem oculus videtur judicare, et in igne calorem, sed non est is qui hoc censet, verum animus ex memoria; nam si desit memoria, rursum ad experimentum cujusque sensus redibitur, ut in pueris, et quibusdam animantium: hæc quidem sunt germana et vera sensilia, quæ *κατὰ φύσιν* nominantur, hoc est per se; nam substantia per suum inhærens sentitur, ideo aliena sensione, quæ magis est mentis quàm sensus; eaque de causa qui minus valent

men-

mente, ægrius penetrant per inhærentia ad speculationem essentialiæ, ut belluæ, et rudes homines, ac tardi: nam illa jam in infinitum abeunt, quæ conjecturis et ratiocinatione colliguntur: intueri me hominem musicum, et regem quidem intueor, sed notitia musici, ac regis, non est oculi, haud magis quàm concentus etiamsi libros aspiciam cum notis musicis; sed loquendi consuetudo obtinuit, quam ut in sermone non observari absurdum fuerit, ita in judicando nihil est necesse valere pro lege, aut regula, nec finis unquam esset, si illam adeo vitiosam ubique vellemus distinctiunculis, aut novitate nominum tueri, ac fulcire.

Jam ad alias transeamus loci hujus quæstiones: dubitatum est, an ne species aliquæ a rebus venirent ad sensoria? quæstio non tam necessaria, quàm rixosa, ideoque circulis scholarum, et loquacitate contentionum mire plausibilis: sensus nostri omnes ita sunt a Deo compositi instructique, ut ceu receptacula quædam essent eorum, quæ foris inciderent, hauriunt enim illi manifesto extrinsecus, non emittunt; hoc ostendit forma ipsa organorum omnium cava, excipiendis quæ foris appellerent accommodata; nec aliter in sensibus usu venit, quàm in animo, qui ipse nihil foras mittit, sed aliunde ad se attrahit quod cognoscat, atque in se agat: facile est hoc animadvertere in ipsis sensoriis, qui si occupati forte sint extra mittendo, non funguntur sua sensione, ut gustus si expuat, odoratus si respiret, oculus si lacrimetur; enimvero si sensiones extra mittendo fierent, nimis defatigaretur animans actione tam continua, at in illa receptione delassatio est longe minor, et reparatio levioris operæ: quod si in cognitione omni, ut existimatur, cognoscens fit ratione, ac modo quodam, cognitum, ut speculum objectæ rei imago, vel sigillum cera, hoc certe non extra prolatio, sed intro receptio præstabit, idque video satis convenire, quod fere natura ipsa docet, sive constitutione sensorii, sive actionibus sentiendi. Restat controversia, an aliquid ex se emittant sensilia ad sensum, quæ species dicantur? Venire aliquid ex sensilibus ad sensoria manifestissimum, et quidem cum ipsis corporibus in quatuor sensionibus, ad na-

An sint species.

res suffitum, ad palatum saporem, ad tactum qualitates illas principes, ad aures aërem motum, ad oculos vero luces, seu lumina, cujusmodi superius ostendimus, nec est dubitandum quin hæ sic pertingant ad pupulam oculi, quemadmodum ad speculum, et videmus effectum consimilem: istæ sunt species, nec alias esse necessarias intelligo.

Dictu quidem mirabile, venire aliquid a corpore ad oculum tanta celeritate, ut momento temporis videatur longissima spatia penetrare! quæ consideratio multos perturbavit: sed motus hos pro cuiusque elementi qualitate ac ingenio oportet existimari: major est in videndo celeritas, quàm in audiendo, quia illud est igneum, hoc aëreum, ignis autem rapidissima est concitatio, et quemadmodum colores nominamus luces tenues, ita lucis natura colorum naturam explanabit; lux enim simul ut apparuit, puncto temporis immensa spatia percurrit, et complet, tali sunt ingenio colores, quali est lux, fons illorum et parens. Quæ animantia et pluribus rebus ad se tuendum indigent, et pluribus sunt nocentis obnoxia, plures acceperunt sensus, tamquam instrumenta vel quærendæ salutis, vel pestis evitandæ; tactus tributus est omnibus, item gustus, quoniam necessarii sunt ad vitam propagandam, ideoque et medium eis astructum est intestinum, gustatu enim utile atque inutile nutrimentum discernitur, tactu vero perimens et innoxium, quæ de causa non uno aliquo in loco tactus est a natura collocatus, ut ceteri, sed sparsus per corpus universum, ut partes singulæ ad sui conservationem tamquam in statione excubarent; gustui odoratus est utilis, idcirco et illum antecedit, ut quid cognoverit renuntiet, alliciens eum, vel avertens; non erat is admodum necessarius in scientia rerum, idcirco homini hebetissimus contingit, pro quo est noticia epularum; quin et facile in nobis tum obstupescit sensus hic defluxu humoris crassi, tum etiam corrumpitur penitus, itaque multi eo carent, haud parva sane molestia liberi, præsertim ut nunc sunt mores privati et publici; quæ animalia procul erant victum petitura, hæc auditum et visum acceperunt, qui sensus alias quoque utilitates præbent complures: visus monstrat faciem ipsam univer-

Quæ animantes quos habent sensus.

si-

sitatis ac naturæ, dux et magister suus cuique domesticus, ideo præstantissimus habetur quod testatur locus in capite celsissimus tamquam in specula, et carissimus cuique, quod ex eo ad vitam omnem ingentes commoditates capiuntur; hic auctor atque inventor fuit omnium fere disciplinarum, et artium, cuius demonstratione cognoscimus corporum et in proximo, et procul dissitorum, lucem, colorem, magnitudinem, figuram, numerum, situm, motum: auditus ad transfundendam ab aliis ad alios peritiam aptissimus, ideoque sensus disciplinæ nominatur, quo quæ animantes carent, nec doctrinæ intelligendæ sunt idoneæ, ut vermes.

Quibus sensum aliquem natura detraxit, dictu incredibile quàm sedula sit in compensando, partim in aliorum sensuum vigore, partim in cognitione interna, ut cæcis ac surdis dedit acumen tactus, celerem ac firmam memoriam, intelligentiæ subtilitatem, accedit etiam necessitas cuius stimulo ingenium expergiscitur: et quoniam visus et auditus cognitioni serviunt interiori, non est eos in omni animali reperire, ut reliquos tres, qui corpori: magnam habent visus et tactus communionem, quasique amicitiam, ut alterius errores alter corrigat, in sensili utique ambobus communi, ut in pictura oculus sibi eminentias quasdam videretur conspiciere, tactus vero accedens, qui est sensus in homine certissimus, errorem hunc eximit; si modò oculorum est ea fraus, et non animi, nam et illud a Philosophis disputatur, possint ne sensus falli? vetus quæstio, jam inde ab Stoicis, Epicureis, et Academicis tractata: sed mihi non videntur sensus posse falli, et si possunt fallere; fallitur enim qui falsum recipit pro vero, aut e contrario, verum porro et falsum in compositione sunt ac divisione quæ in sensus non cadunt, qui sensus sensilia sua simpliciter cognoscunt, absque adjectione ulla quod hoc aut illud sit tale, aut non tale, isthuc enim cogitationis est; qua mente existimo dictum illud esse olim, *abstrahentium non esse mentiri*; sensuum vero noticia, receptio tantum est quædam, ac velut imaginis impressio, sicut annuli in cera, aut formæ in speculo: sed reliqua est jam illa dubitatio, an ex sensuum nuntiatione possit animus decipi?

An possint sensus falli.

An sensus fallant.

In

In sensone insunt, sensorium, sensile, et medium; fallit sensorium prave affectum, ut lippus, aut lusciosus oculus: fallit objectum longinquum, vel agitatam, vel repente oblatum: fallit medium non satis consentaneum, ut fumus, nebula, aqua, aër commotus, vitrum colore infectum; quòd si omnia in recto naturæ constant habitu, sensorium bene affectum, sensile commode oblatum, tempore ac loco medium congruens, non fallit animum attendentem, quod in reliquis omnibus contingit ut quæ integram sequuntur naturam minimum aberrant: additum est, animum attendere oportere, nam is si aliò sit intentus, recte quidem fungetur sensus suo munere, animus tamen ipse prave statuet, sicuti quum nuncius verum refert non audienti; ita existimamus non vidisse nos quæ vidimus, aut aliter vidisse; hoc esse in animo facile intelligitur, nam quidam audientes quæ non animadverterunt, sine intelligentia dicti tacent, paullo post velut a somno experrecti, repetunt illud idem a memoria, et declarant se audivisse atque intelligere.

DE COGNITIONE INTERIORE.

CAP. X.

PRæter hanc rerum præsentium exteriorem notitiam, aliam intus esse rerum absentium manifesto deprehenditur, nam et dormientes multa cernimus, et vigilantes ab omni prorsus functione sensuum abducti cogitatione volvimus quæ vidimus, audivimus, tetigimus, gustavimus, olfecimus, quæ sunt vel in mutis ad animadversionem exposita, et perspicua; et quemadmodum in altrice facultate videre est inesse vim quandam, quæ cibum recipiat, aliam quæ contineat, aliam quæ conficiat, quæque distribuat et dispenset, ita in animis, et hominum et brutorum, est functio, quæ imagines sensibus impressas recipit, quæ inde Imaginativa dicitur; est quæ continet, hæc memoria; quæ conficit, phantasia; quæ distribuit ad assensum aut dissensum, estimatrix; sunt enim spiritalia imagines Dei, corporalia vero spiritalium quædam veluti simulacra, ut mirandum

dum non sit ex corporalibus spiritalia colligi, ceu ab umbris aut picturis corpora expressa: imaginativæ actio est in animo quæ oculi in corpore, recipere imagines intuendo, estque velut orificium quoddam vasis, quod est memoria: phantasia vero conjungit, et disjungit ea, quæ singula et simplicia imaginatione acceperat; equidem haud sum nescius, confundi duo hæc a plerisque, ut imaginationem phantasiam, et vice versa hanc imaginationem nominent, et eandem esse functionem quidam arbitrentur, sed nobis tum ad rem aptius, tum ad docendum accommodatius visum est ita partiri, propterea quòd actiones videmus distinctas, unde facultates censentur, tametsi nihil erit quandoque periculi si istis utamur promiscue: accedit his sensus, qui ab Aristotele communis dicitur, quo judicantur sensilia absentia, et discernuntur ea quæ variorum sunt sensuum; hic sub imaginationem et phantasiam venire potest: phantasia est mirifice expedita et libera; quicquid collibitum est fingit, refingit, componit, devincit, dissolvit, res disjunctissimas connectit, conjunctissimas autem longissime separat.

Itaque nisi regatur, et cohibeatur a ratione, haud secus animum percellit ac perturbat quàm procella mare: administratio hæc a sensibus movetur, tum a corporis affectione; qua via spirituales essentiæ, ut Angeli boni et mali, insinuant se se ad vim illam concitandam, effectibus rerum naturalium subtilissime, quique facile et sensuum et judicii nostri cognitionem frustrentur, adhibitis; habent quoque mentes illæ actiones quasdam nobis incognitas, ut homines inter se, quas bruta non capiunt, nam quemadmodum homines alii aliorum et phantasiam commovent, et mentem, verbis, nutibus, gestibus, litteris, signis, quod brutorum cognitionem excedit, sic spirituales essentiæ phantasiam nostram possunt agitare, actione aliqua sibi solis propria et cognita, mota prius facultate imaginatrice: colligata est admodum imaginatio cum corpore, nam et a sensibus movetur, et mirabiles vires edit in corpore, ut quicquid in alterutro imprimatur, redundet in alterum; corpus enim eam recipit et reddit formam actionemque, quam imaginatio concepit, quod in rebus Venereis, sed manifestissimum atque

Imaginatio.

Phantasia.

Sensus communis.

Spiritus agunt in phantasiam.

Estimativa.

expressissimum in prægnantibus feminis, animadvertitur, in quibus ea efficit imaginatio concitata, quod facere nulla intelligentia aut ratio possent: estimativa autem facultas est, quæ ex sensilibus speciebus impetum iudicii parit; iudicium hoc ad profuturum aut læsurum tendit, quippe ad salutem retulit natura, vel cognitionem sensorum, vel stimulum suum; itaque iudicatur prius, quale quidque in se existimetur, hinc, quàm congruens aut damnosum: in priore censura, sequitur animus sensum, vel visum, in posteriore, occulto naturæ stimulo agitur, et rapitur impete, ut cum ovis fugit lupum nunquam antea visum, et gallinaceus aquilam; vel accipitrem, et homo draconem, ac monstra rerum, quin etiam ad primum quorundam hominum aspectum, congressumque, cohortescimus: de memoria mox dicetur.

Sensa exteriora dubium non est quin proportionem quandam, hoc est, analogiam, habeant cum interioribus, sunt enim crassa, et terrea, subtilium, atque spiritualium, imagines, et animo nihil est perinde sensibus simile, atque oculus; itaque imagines animi proportionem rerum tales videntur illic esse, quales externæ; istæ in oculis imprimuntur, interiores illæ in lucido spiritu, qui eas et retinet diutius, et offert animi oculo purius ac manifestius, quæ impressio ceu passio quædam est; at cum in eas animus componendo aut dividendo incumbit, actio fit illius: hisce facultatibus diversa attribuit natura instrumenta, et ceu diversas officinas in cerebri partibus; nam in anteriore cerebro dicunt esse sensuum fontem, sedemque, ibique imaginationem constitui; in medio phantasiam, et estimativam; in occipitio memoriam; idque inde colligunt, quod ut quæque harum partium afficitur, ita et illa functio, reliquis non mutatis; haud aliter quàm in corporis membris experimur; pede enim læso ambulare non valemus, quoniam et si ingrediendi principium, et vis est, in animo, in pede tamen est instrumentum, et fabrica: ex cognitione, censuraque, noxii, et benefici, appetitus nascitur congruentis, fuga autem damni, et aversio, tum motus animi de bono præsentis, ac malo, deque eisdem venturis, aut jam appetentibus, qui, affectus di-

cun-

cuntur, seu perturbationes, Græce *πᾶθη*, de quibus diffuse est a nobis separatim disserendum: appetitus, qui est *in aliquid*, et aversio, quæ *ab aliquo*, ut animum commovent, ita etiam corpus motu illo suo, ut vel ad utile feratur, vel ab obfuturo discedat; id fit ingressu, volatu, natatu, serpendo; sunt tamen animantes imminutæ, quæ affixæ semper in vestigio, quoniam quod sibi expediat alibi non quærunt, expertes sunt horum motuum, velut conchæ, et spongiæ, contrahuntur tantum, et extenduntur; quatenus satis est illarum saluti: palpitatio autem, in quocunque animali, non est motus ex appetitu proficiscens, sed nutritionis, dum calor agit in humidum, quod cernere est in iis quæ igni sunt admota.

Motus.

Palpitatio.

DE VITA RATIONABILI.

CAP. XI.

HÆ sensuum, sive exteriorum, sive interiorum, facultates, supremæ sunt in brutis, in homine vero menti deserviunt, quæ innixa cognitione imaginationis, et phantasiam, altius se se erigit, nempe ad intelligentiam rerum spiritualium; et assequitur, se, clausam obscuro carcere, obseptamque tenebris, eoque a rerum plurimarum intellectu arceri, nec posse planius intueri ac cognoscere quæ vellet, sive essentiam rerum materia contactarum, sive qualitatem ingeniumque immaterialium, nec posse per hanc corporis caliginem acumine ac celeritate sua uti: huc usque vero nulla vis animantium se attollit, quæ nec in se unquam reflectitur, nec quicquam supra sensus corporis cogitat, aut considerat: ex hac cognitione rerum supremarum, atque in natura excellentissimarum, ita ut etiam ad auctorem omnium mens pertingat, oritur amor erga illas, unde pugna, et contentio, inter mentem, ac phantasiam, dum hæc deorsum trahit animum ad corporea, mens ad superna, et res præstantissimas, erigit; et fertur mens ad ea quæ neque sensu ullo, nec phantasia comprehenduntur, errantemque, et divagantem longissime per devia phantasiam, cohibet, atque in viam re-

Mentis et
phantasiæ
certamen.

Tom. III.

Tt

ducit;

ducit; neque est universus ejus nutus ad præsentem utilitatem, aut noxam, pronus, sed præterita recordatur, et futura conjectat, et veri falsique censuram inquirat, quod bruto non est curæ, tantum quid expediat corpori, quidque illud lædat, considerat, actum solo raptu phantasæ: ex hoc mentis vigore manat sermo, eorum quæ mente capiuntur index, quo munere non minus carent bruta, quam mente ipsa, origine sermonis ac fonte, ideoque muta nominantur, quæ sigillatim in sequentibus explicabimus, hoc enim ordine sunt ista declaranda, ne difficile atque abstrusarum rerum intelligentia confundatur: *Hæc est vita mente prædita, id est, consilio, judicio, ratione, quæ λογικῶς nuncupatur, a nobis autem rationabilis, quæ, cognoscendo Deo, ac proinde amando, condita, finem per hos gradus habet immortalem beatitudinem.*

QUID SIT ANIMA.

CAP. XII.

HActenus de vita animantium, dicamus nunc, quatenus investigari a nobis poterit, quid illud sit per quod quidque vivit: repetamus quod initio est a nobis positum, hisce vitæ ac vigoris actionibus liquido patefieri aliquid in his viventibus inesse, quod desit torpentibus, scilicet, quod vitam illis præstet, non item his alteris: id vero fieri non potest ut sit ea moles quæ silva, seu materies, dicitur, hæc enim æque est in universis corporibus bruta, semper torpens, et sui similis, nec ullas ex ingenio et natura sua vires sortita; quod si facultatem illam materia tribueret, ubi materia abundaret, largius quoque de ejusmodi facultate esset invenire, quod multo secus usu comperimus, nam non minus est et animi et mentis in mediocri corpore, quàm in vasto, ac enormi; quid, quod nec minus esset homo corpus extinctum, quàm dum viveret; sed neque vires illas tantas adhærens potest aliquod præstare, quippe quod extremum et tenuissimum est rerum omnium cunctæ naturæ, proximum nihilo, ac pæne nihil ipsum, sæpenumero etiam nihil prorsus, sola mentis nostræ cognitione consistens; porro ex

vi, et facultate hæc vitæ, admirabilia cernimus proficisci opera, quæ etiam a substantia existere magnum sane est ac mirandum, ut non immerito homines sapientissimi illud a quo hæc tanta ederentur, in supremo substantiarum ordine reposuerint: est ergo ab omni ratione alienum, ab inhærentibus ea nasci, quæ vel de celsissimis venire substantiis jure miramur: cedo vero, quæ tandem sunt ista inhærentia? qualitates elementorum, quæ nominantur primæ, seu principes, tum membrorum intrus ac foris conformatio: at vero non quo quis habet plus caloris, aut frigoris, eo etiam plus mentis, nec quæ ex illa qualitatum diversitate constat, nexus atque harmonia, potest esse effectio naturæ, illa enim et augeri potest, et minui, effectiones porro eadem semper sunt, ac uniusmodi, alioqui variari posset ratio ac natura speciei, quod nulli unquam philosopho venit in mentem affirmare: compositio autem et figuratio corporis, nihil ad hoc faciunt, quippe quæ est, in cadavere, et vivente, eadem.

Qualitates
primæ.

Adde quod major est sensus, et humano vicinior, in quibusdam quæ longissime ab hominis formatione recesserunt, velut in elephanto, quàm in sue, quo ferunt nihil esse homini similis intrinsecus, et contemperatione carnis, quod declarat gustus, nam quidam in extremis rebus pasti cadaveribus, retulerunt eam carnem saporis esse suillæ: ad hæc, mens nostra non solum non sequitur naturam corporis, sed regit illud, et flectit, et torquet quo vult, repugnatque affectionibus quæ maximæ ex illa molis velut pensione existunt: quid, quod sentiendi vis omnem corporis, et adhærentium, vim, ac potentiam, excedit, ut illius actiones nulla corporis facultas possit exprimere, quanto magis functio illa in nobis suprema intelligendi! Scienter Empedoclem Aristoteles interrogat, quid tandem illud sit, quo adjuncta illa universa ad tantam functionum varietatem contineantur in corpore, et quasi coerceantur, nisi substantia quæpiam, et quidem non de postremis generibus essentia? Manifestum est etiam in diversis animantium corporibus eadem esse, sive primæ, sive secundæ notæ, inhærentia, sive etiam tertiæ, ac infimæ, operationes tamen longe di-

Caro suilla.

versissimas annotari, velut in puero et simio, in leone et felle, in corvo et graculo; rursum diversa esse adjuncta, cum actiones sint persimiles, ut in sene et juvene: sed isti qui ad insensilium rerum scrutationem aliquam non se attollunt, facile ad inhærentia referunt quicquid altius et reconditius est sensuum iudicio, itaque superflua istis fuerit omnis effectio, immo vel materia ipsa, ut relinquatur eis solum moles quæpiam de genere quantitatis, cujusmodi sunt geometricæ: neque vero hanc sentiendi atque intelligendi vim corpus esse dixeris ex materia et effectione conflatum, nam quod primum in vivente movet illud ad operationes vitæ, est vitæ fons ille atque origo, de qua jamdudum verba facimus; atqui in omni corpore initium et origo actionum, est ipsa effectio: fuerit igitur satius effectionem esse id, per quod vivimus, quàm corpus ex materia et specie, quippe corpus ejusmodi animatum citius quivis appellarit quàm animam, nempe per suam effectionem vivens, sicut candidum per candorem est tale.

Ex his quæ diximus, facile est colligere, *quid non sit anima*, deinceps vero, *quid sit*, aperiamus; quod quidem fieri non potest recta, id est, ipsa rei essentia denudata, ac velut ob oculos proposita, sed vestitam, et quasi depictam, quàm fieri per nos poterit, aptissimis, maximeque propriis coloribus, proponemus, spectandam ex illius actionibus; ipsa enim sub sensus nostros non venit, opera autem omnibus pæne sensibus, et internis et externis, cognoscimus. Profecto benignitas Domini Naturæ erga nos magnis se undique argumentis profert, quod nobis expedit et in promptum posuit, et in copia, nullumque est signum evidentius nobis non conducere, quàm remotum esse, rarum, difficile paratu; anima quid sit, nihil interest nostra scire, qualis autem, et quæ ejus opera, permultum; nec qui jussit ut ipsi nos nossemus, de essentia animæ sensit, sed de actionibus ad compositionem morum, ut vitio depulso, virtutem sequamur, quæ nos eo perducet ubi sapientissimi atque immortales beatissimum ævum degamus: sed ut de eo, quod propositum est, pergamus dicere, neque de iis ipsis operationibus potest semel in totum definiri, ut quæ paullatim se per-

partes ad intelligentiam totius profertant; ergo brutæ materiæ, ac inertis, addidit effectiones Deus, sive illas, *species* nuncupare sit collibitum, seu *formas*, de quibus est alibi a nobis disputatum; eæ sunt participes divinæ præstantiæ, unaquæque pro modo suo et captu, ut videri possint tamquam radii quidam sempiternæ illius et infinitæ lucis; suprema Dei excellentia, est conditio vitæ illius æternæ, omni felicitate cumulatr, quæcunque vel excogitari potest, vel optari, hanc ille bonitate sua impulsus communicare voluit cum mentibus, quas in id conderet tanti boni capaces; itaque in rebus conditis, universæ perfectionis velut extrema quædam manus est beatitudo, secundum hanc vero bonitas per quam, velut instrumentum quoddam, beatitudo et communicatur nobis a Deo, et a nobis accipitur, ea enim et illum ad communicationem induxit, et nos ad participationem extollit; bonitas autem esse nulla potest, ubi non sit cognitio ejus quod faciendum est, videlicet, quod tenendum, et a quo fugiendum.

Ad hæc tanta et tam excelsa fastigia per effectiones ascenditur, tamquam per gradus inter se conjunctos, connexosque, nihil ut inane relinquatur inter extrema a Deo disjunctissimis ad conjunctissima: conjunctionem, et propinquitatem, voco, similitudine magis præstantiæ ad nostra judicia, quàm applicatione essentia; ut conjunctio hæc et separatio non simpliciter sumantur, sed ad quippiam, nempe, collatione, non ad Deum, verum inter res conditas ex participatione divinæ excellentiæ; quapropter sunt, quibus res vivunt, effectiones, sive species, viventium, sicut id per quod res hæc est charta, est chartæ effectio, per quod adamas, per quod lana, lapis, effectio speciei cujusque, haud aliter per humanam effectionem ego sum homo, per equinam hoc est equus, per caninam illud est canis: quæ effectio nomen ex singulis rerum generibus sumit, quæ genera et partes seu formas ratio ipsa effectionis facit, velut adamantina, chartacea, lapidea, per quas sunt adamantes, chartæ, lapides; hanc in animantibus liceret vitam nominare, nisi verbum hoc usus communis ad actionem potius vertisset quàm ad speciei essentiam; nec aliter anima est suo corpori vel con-

Bonitas.
Beatitudo.

nexa, vel (sicuti quibusdam placet) annexa et adjuncta, quàm reliquæ formæ suis materiis, nisi quod in nexus ratione ac modo permagnum est discrimen, quale est in naturæ ordine quo superiora inferioribus junguntur, terra aquæ, hæc aëri, aër igni, ignis cœlo, cœlestia supercœlestibus, ac quodammodo divinis; quæ in natura conjunguntur, et colligantur, ea omnia medio quopiam devinciuntur, id vero est, vel participatione essentiæ extremorum, quo nodo connectuntur corpora, terra aëri per aquam, aqua igni per aërem, caro ossi per charilaginem, vel congruentia quadam functionis atque operationis, ut artifex operi suo per instrumenta, velut pictor tabulæ per penicillum, vel carbonem, faber ligno per asciam, et dolabram; sic effectio omnis artifex est in sua materia, instrumenta sunt qualitates, et conformatio materiæ; per has unitur species moli; nec aliter anima corpori investitur, quàm lux aëri, in quo complexu fit aër lucidus, utrunque vero, et lux et aër, integrum manet, non enim miscentur ut elementa in misto naturali, vel ut herbæ pulveres ac oleum in pharmaco; sed in aliis effectioibus nexus est substantiæ utriusque partis vicinior, in anima distat longissime.

Cujus naturæ sit quæque species ex ejus officiis atque actionibus intelligitur: saxa et lapides nihil habent omnino, nisi frigidum et torpens ex terra, et aqua est illis effectio, nexus autem ex earundem ingenio et qualitatibus; plumæ, et stipulæ, aëreæ naturæ quiddam sunt nactæ, anima vero, quæ alrix dicitur, ignea est, omniaque ejus munia sunt vis igneæ; brutorum animi superiores sunt, cœlestes scilicet, ideo et sensus, et notitiam quandam sortitæ, qua vices cursusque cœlorum et siderum non sentiunt modo, sed quadantenus etiam intelligunt, ut diei ac noctis, hiemis et æstatis, nec est facultatis horum elementorum, sensuum et cognitionem præbere, cœlestis est potentia; homo vero supra cœlos etiam ascendit ad Deum ipsum; divina est ergo illius origo; materies in imo omnium jacet, nulla potest ad eam effectio descendere, nisi rapiat secum media, nempe earum formarum, quæ in medio sunt, conditionem atque ingenium; ita species animalis vim animæ vegetabilis

Hominis divina origo.

con-

continet, humana vero vim utriusque simul cum inferiorum quoque elementorum viribus: in sensibus hoc idem annotamus: ignei sunt oculi, aures aëreæ, nares itidem, gustus aqueus, tactus terreus; cui sunt oculi concessi, huic et sensus reliqui; cui gustus et tactus; non protinus et auditus et aspectus: nec immerito illud fere placuit, hominem parvum quendam mundum appellari, quod vim naturamque rerum omnium sit complexus: non est tamen ignorandum, vitas inferiores non esse superius agendi principia et origines, ut ex inferioribus superiores nascantur, sed adminicula quædam, et velut gradus, per quos superiora et descendant, et ascendant, ut vegetatio non est sensuum origo, sed gradus per quem sensus venit ad corpus, et paullatim ad functiones suas scandit, habet enim unaquæque vita originem ex se suam, et metam in qua sistit.

Homo microcosmus.

Instrumentorum animæ alia sunt liquores, ad certam quandam rationem et legem temperati, alia vero membra sive interna, sive externa, ad hunc vel illum modum conformata et descripta, quæ illi, prius quàm se se corpore induat, eatenus a natura aptantur, quatenus perficere id ipsa per se non valeret; reliqua enim quæ præsentia suæ viribus potest, illi ceu primum relinquuntur munus, in quo se exercent et occupetur, ante quàm functiones illas suas præcipuas explicet, sicuti res nos docet in parvulis animantibus: liquet igitur ex his, *Animam esse agens præcipuum, habitans in corpore apto ad vitam*: declaranda sunt horum singula paullo apertius, et ratio, cur quidque sit a nobis positum, breviter reddenda: *agens* nominatur, et quasi *artifex*; nam quod agit quippiam per instrumenta, in eo ipso vis inest agendi illud ipsum, ut in pictore pingendi, in me scribendi, tametsi nec pictor sine penicillo pingat et coloribus, nec ego sine penna et atramento scribam, in quo enim non est vis et facultas aliquid agendi, nec instrumentis adhibitis illud aget: an vero aliqua sit animæ actio, quam illa hisce armis semotis exequeretur, commodius disseremus in sequentibus: *præcipuum* autem additur; nam si quis calorem, vel humorem, vel spiritus, aliquid dicat agere in corpore, sciat illa omnia non per se agere, sed ab anima id habere ut agant, vel-

Anima quid

veluti quod atramentum hasce litteras effingat, et penna exaret, a me est, non ab ipsis: est ergo anima ipsa *artifex*, est *agens*, non aliunde in eo utique corpore vim suam mutuans; *habitare* dicitur in corpore; nam Deus in illo est corpore, non tamen habitat, et dæmon se insinuare potest in corpus animantis, sed habitat anima, quod illic ejus est mansio tamquam in ædibus, cum rota sua supellectile et domestico instrumento: ceterum corpus hoc, *aptum*, descriptumque, esse convenit quemadmodum illius speciei effectioni consentaneum est; neque enim promiscue in quacunque forma, et figura corporis, quævis anima posset hære ad vitæ operationes edendas, hoc certe naturæ ordine, et his legibus; quas Auctor universitatis a condito orbe sanxit.

Sed temperatio liquorum, et qualitarum, quia in corpore, et ipso naturæ opificio, penitior est, idcirco appositius est animæ organum, et major artificis nexus cum illo, ut sive hoc deficiat, recedit anima, sive recedat anima, continuo illud deficere sit necesse; membra autem post animæ abscessum manent, conformatio enim membrorum, et interiorum et exteriorum, remotior est, et separatio, commixtio vero humorum in illis, intima; quid, quod qualitates illæ membrorum administræ sunt, et ceu instrumentorum instrumenta; per has enim anima utitur membris, quæ si absint, nulla est membrorum utilitas, ut in aridis, aut tumefactis, seu quo alio affectis morbo, est enim membrum ad exteriorum exercitationem idoneum, temperatio autem humorum ad organum illud in ea aptitudine continendum: qua de causa humores illi semper sunt in motu, non item membra, semper enim debent continere membrum actioni, si usus poscat, paratum: qui artifices unicum et simplex exercent opus, iis unum instrumentum sufficit, velut ad aquam de fonte hauriendam, urna, vel urceus, ad scindendum, gladius, ad serrandum, serra; qui vero multa, aut unum varium, iis opus est pluribus, sicut iis qui cælant, et pingunt, aut qui ædificant: eodem modo de anima est sentiendum, cui et membra sunt foris attributa ad externas molitiones, et liquores ad vitæ munera; confert sanguis ad salutarem irri-

irrigationem corporis unde exhalent spiritus, velut aurulæ ex fluviis et fontibus salubres; atra bilis ad sistendos vagantes spiritus, cohibendosque, ne subtilitate sua nimium disrarati, contra quam corpori expedit, evanescant; flava bilis ad concoctionem redundantium humorum, et incitationem corporis, ne obtorpescat; pituita alimentum est rapacitatis igneæ, et quasi frenum, ne cuncta ilico corripiat: nec aliter quam opifex variis ferramentis varia exequitur opera, non idem omnibus, nec tamen variis semper varia, sic in corpore animantis sunt quædam actiones, quæ anima certis quibusdam partibus exercet, sunt quæ diversis, sunt quæ indifferenter omnibus, nec in variis tamen viventibus eodem modo; ut sentire, et ali, et crescere, fusum est per universum corpus, oculo autem cernimus, aure audimus.

Jam in arboribus alii rami amputati, si terræ infigantur, revirescunt, et radices jaciunt, alii emoriuntur; sicut in animalibus sunt quorum partes excisæ vivunt per se, ut in insectis quæ *ἐντομα* dicuntur, cujusmodi sunt vermes, apes, formicæ, in aliis vero quicquid est e corpore avulsum continuo amittit vitam; et sicuti instrumentum, magnum momentum est ad opus recte perficiendum, aut secus, sic in humoribus, et membris corporis, non parum positum est, ut vitæ, et sensuum, et cognitionis, et intelligentiæ actiones probe exequamur; quemadmodum ad densationem, vel disrarationem aëris, purior, subtiliorque, aut contra densior, maligniorque fit lux, qua similitudine in hoc negotio Gregorius Nyssenus utitur: sed, et omnia organa, animæ sunt parata velut artificii, et ipsa sola eis utitur; ut plane appareat, aptationis hujus corporis animantis, in quo tam sedula et solers versatur natura, perfectionem et absolutionem esse ipsam animam, meritoque Aristoteles, et acute, ut solet, animam novo nuncupavit nomine *ἐντελέχεια*, quasi perfectionem secum adferentem. Prius quam ad alias profligandas quæstiones transeamus, disputandum videtur, quot sint, in viventium genere; vitarum seu gradus, seu rationes, ac formæ? sed plurimum interest, qua via ad effectuum investigationem insistamus; nam ipsæ per se adiri non possunt, ac-

Insecta.

Quot sint vitarum gradus.

De ratione instrumentorum.

tiones vero nisi proprias germanasque sumserimus, ægre ad id pervenietur quod inquirimus; hac de causa genera sunt a nonnullis, et multa constituta, et varia, nam alii motum earum spectarunt, ita fecerunt natantia, ingredientia, serpentia, volantia; alii statum corporis, unde sunt bipeda, quadrupeda, apoda, erecta, projecta, recta, curva; quidam habitationem et sedem, hinc terrestria, aërea, aquatilia, ambigua, quæ Græce ἀμφίβια; sed hæc omnia exteriora sunt, quæ ingenium *effectio-*
nis leviter et obscure ostendunt: intima vero et propria, et quæ abscedere non possunt sine detrimento, non tam entis illius, quàm speciei, ea demum cujusmodi *effectio* sit arguunt: nos ergo congruenter ad id quod erat opus, de vitæ actionibus supra disseruimus; estque a nobis demonstratum, esse quasdam actiones vitæ vegetantis, alias vitæ sentientis, alias cognitionis, alias rationis ac mentis.

Hæc sunt opera penitissima animarum, quæ adeo sunt cum ipsis connexa, divelli ab earum substantia ut non possint, impediri quidem possunt obice aliquo, tolli non possunt quo minus obice adempto redeant, ut non videre, non audire hominem in mania, aut apoplexi; aut ebrietate, aut iracundia, vel pavore, ratione et mente non uti; quapropter quot sunt actiones illæ, tot sunt animarum genera, nempe vegetatrix, sentiens, cognoscens sive cogitans, rationabilis; quorum generum aliæ quoque sunt portiones, ac formæ, vegetatrix enim stirpium est omnium, et quodammodo ad metalla quoque se porrigit quæ in terræ visceribus nutriuntur, et adolescent; vita hæc omnium inferiorum *effectio* vires continet, ad sensum non pertingit: sensum vero, non item cognitionem, habent ea quæ Græcis sunt ζώοντα, mediæ cujusdam inter animalia et plantas naturæ; plantanimes, et plantanimalia verti posse, non absurde dixit quidam; hoc in genere sunt ostrea, spongiæ, conchæ multarum formarum, quæ gustu et tactu sunt prædita, cogitationis expertes, et cognitionis internæ, et si propius ad animalis naturam accedit concha, quàm spongia: interiorem cognitionem habent animalia, in qua etiam nota non desunt discrimina, quippe, quædam non omnibus sunt sensibus

præ-

prædita, et interiorem cogitationem levissimam sunt sortita, ut nulla videatur esse, sicut insecta, tametsi in quibusdam naturalem providentiam solertiamque admiramur, ut in ape, et formica, et araneo, et bombyce, itaque quod difficilis horum esset discretio, maneant sane in genere animalium, hac distinctione, quod inchoata nominentur; perfecta autem sunt animalia, in quibus sensus sunt quinque, ex quibus colligi est facile, cognitionem aliquam interius insidere; visus enim ad contemplationem est datus, et auditus, ut antea dicebam, disciplinæ est sensus.

Inchoata.

Supremum locum obtinet anima, quæ ratione utitur, nempe humana, quæ inferiores omnes vi sua continet, de qua nobis reliquus est deinceps futurus sermo, sed prius duæ sunt nobis attingendæ quæstiones; prior est, quum in homine et vegetationem, et sensum, et cognitionem illam brutalem inesse cernamus, in animali vero sensum, et cognitionem, et nutritionem, æt utrum sit una in animali anima, una in homine, an potius totidem, quot functiones? præsertim quòd eas et locis animadvertimus discretas, et temporibus, ut in oculo est visus, in cerebro cogitatio, et mens, tum infans, dum corporatur in utero, nihil fere distat ab stirpe, natus autem, a bruto, et quemadmodum Paulus inquit, vivit prius quod est animale; hinc quod est ratione præditum; sed unica est in singulis animalibus anima, ut in quoque corpore naturæ una *effectio* corporis per eam viventis, viribus tamen et functionibus distinguitur, ut multi magistratus, aut artes in homine eodem, quas ille, et variis locis, et variis temporibus, et diversitate instrumentorum, ac ministeriorum exhibet; quin et diversitas organorum, atque actionum, inter se repugnantia, arguit unum esse opificem, et ab eo promanare omnia, qui arte sua regat et moderetur singula ut conveniat viventi: quòd si actiones, et opera, et instrumenta diversas esse animas demonstrarent, nihil esset quod non multas haberet species; quid enim est quod non multiformia edat opera? nec ullus esset *effectio* modus, magna in scrutatione naturæ sequeretur confusio; verum quum accedit præstantius, cedit inferius, quod in omni cursu et na-

Quot anima.

Vv 2

tu-

turæ et intelligentiæ contingit, et in perfectione nostræ beatitudinis sempiternæ cessabunt inchoata hæc atque imperfecta, quum erit caritas Dei consummata: ob hanc tam multiplicem artificis solertiam, et peritiam, attributa sunt illi a Deo armatam varia diversæ formæ, substantiæ, naturæ, quibus singulis enarrandis, multos libros magna ingenia dicaverunt.

Quæ sedes
animæ.

Altera quæstio est, quænam in corpore sit sedes animæ? Anima in universo est corpore, haud aliter quam unaquæque *effectio* in cuncta sua mole, in cujus parte aliqua si non adesset anima, pars ea non viveret; ut in membro prorsus arefacto; ceterum per oculum videt, per aurem audit, quemadmodum agricola aratro findit terram, rastris sarrit, cylindro æquat, ligone, aut pala, repastinat, nec aliud videtur mihi esse, quàm si quis roget, in quo potissimum illorum ferramentorum sit agricola? itaque aptius sic putant se quidam interrogare, quod sit animæ præcipuum instrumentum? neque hoc satis prudenter; ad videndum enim oculus, ad audiendum auris, ut præcipuum agricolæ instrumentum est, ad arandum quidem aratrum; ad sarriendum autem sarculum, intelligentiæ quidem, et cognitionis omnis, cerebrum, et in eo spiritus quidam tenuissimi, ac pellucidi, vitæ autem fons est cor; multa quidem in animante sunt membra, et intus et foris, adeo necessaria, ut non possit animal vivere uno illorum quolibet exempto, cujusmodi sunt caput, cor, hepar, et alia nonnulla, non tamen ideo fontes sunt vitæ illa omnia, sed cor, quod primum in corporatione animantis vivit, tamquam fons primo scaturiens, ultimum emoritur, quasi vita cum illo et initium capiat, et terminum, reliqua membra sauciari et affici possunt sine interitu animantis, cor non potest; itaque videmus illud in medio situm, tamquam in præcipua sede corporis, tectum munitumque tanto præsidio thoracis, intestinorum, præcordiorum, ceu arcem et præsidium vitæ corporis, illinc etiam, velut ex castello, aquæ rivi ad omnes corporis partes salutares dimanant, per quos vivunt et vigent omnia, immo si vel minimum incommodum proprius ad illud accedat, etiamsi non attingat, ilico universum animans languescit, atque exanimatur,

Cor in medio corpore.

tur, quantumlibet animosum, atque adeo nihil aliud efficit illud animosum nisi cor bene constipatum, quasique armatum, sanguine et calore, ne quid incommodi facile illuc pervadat; nam quæ cor habent ab illis destitutum, meticulosa sunt, et leviter quocunque aliorum membrorum dolore linquantur animis, non propter membra, sed propter imbecillitatem cordis, ut aperte fateantur et clament illic esse vitam, illinc ad se venire.

Itaque sensum illum natura indidit omnibus hominibus, ut de se loquentes, aut se ipsos innuentes, manum admoveant ad pectus, quod annotatum a Chrysippo Stoico, nequicquam a Galeno medico exagitur, præsertim quod non pro evidenti atque invincibili argumento sumendum hoc est, sed pro conjectura, non omnino respuenda: nullum est membrum, quo non aliqua animalia careant, sunt quæ pedes, quæ caput, quæ pulmones non habeant, quæ cor non habeat, nullum est, aut aliquid saltem, quod vicem obtineat cordis, vel in ipsis quoque stirpibus.

De se loquentes manum admove pectori.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE ANIMA ET VITA

LIBER SECUNDUS.

HOMINI, quòd ad sempiternum illud bonum sit conditus, facultas est tributa boni expetendi, ut bono se cupiat applicare atque adungere, quæ facultas, voluntas nominatur; non expetet autem, nisi intelligat, unde altera existit facultas, quæ intelligentia nominatur; quoniam vero animus noster non semper eadem in cogitatione insistit, sed ad actus alios ex aliis transit; receptaculo fuit illi opus, in quod priora cogitata, aliis subeuntibus, conderet ceu in thesaurum rerum absentium, quas res, quum usus poscat, repetat, ac depromat; huic muneri, memoria est nomen: ita hominis anima, qua est hominis, ex tribus constat præcipuis, sive functionibus, sive

Voluntas.

Intelligentia.

Memoria.

fa-

facultatibus, sive viribus, sive muneribus, ac officiis, sive (ut alii appellant) potentiis, ac partibus, non quòd partes habeat id quod est insectile, sed partes pro officio ac munere usurpamus; hæc autem sunt, mens, sive intelligentia, voluntas, ac memoria, in quibus relucet imago divinæ Trinitatis, sicuti a sanctis Patribus demonstratum est. Quæ sint harum facultatum actiones, quot, quales, qui earum ortus, progressus, incrementa, decrementa, occasus, perscrutari longe arduissimum, ac difficillimum, plenissimumque intricatæ obscuritatis, propterea quòd supra mentem hanc non habemus aliam, quæ inferiorem possit spectare ac censere, quemadmodum mens ipsa de sensibus et parte vegetabili facile iudicat, nempe inferioribus; Deus quoque facultates has nobis magis concessit ad usum nostrum, quam ad earum notitiam; quales sint, ipse novit, auctor illarum, nos opifices ejus sumus per illas: sed pulcherrimum tamen est (quia de re pulcherrima, ac præstantissima, adque animum componendum in primis conducibile) quæ sit mentis nostræ qualitas, vis, functiones, opera, quatenus licuerit, perscrutari, ac eruere: quicquid ea exercitatione fuerit excusum repertumque, grande profecto et studii precium fuerit, et speculationis, nihilque proferetur, quamlibet tenue ac exiguum, quin pro magno habendum sit.

Porro facultates, quòd vox declarat ipsa, ad faciendum sunt paratæ, quo circa ex factione facultates distinguuntur, nempe operatione, et opere, quæ quidem ab essentia rei deriventur, non ab inhærentibus, aut iis quæ extrinsecus accidunt; cuius rei est in sensibus exemplum; oculi enim facultas est videre, non hunc colorem aut illum, hoc aut illo modo, sed simpliciter, ac nude. Intelligentiam facimus duplicem, nam et in universum est mens tota, et functio quædam illius particularis; mentem autem nostram annotamus intelligere quæ foris veniant, et intellecta velut in capsulam quandam ad tempus reponere, unde, quum opus sit, repetat; repetitio hæc, et quasi scrutatio, consideratio appelletur, inde in recordationem venit; videmus dehinc illa quæ intellexerit inter se conferre, hinc ad alia discurrere, quæ ubi perfecit, censeat, statuit,

ju-

iudicat quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum; hinc voluntas, quod est bonum, asciscit, quod malum, repellit, atque huc superiores facultates actionesque referuntur, quæ etiam ab hoc ultimo ad primum eisdem gradibus recurrunt; voluntas enim nihil sequitur, aut fugit, quod iudicium non censuerit prius bonum esse, aut malum, nihil porro statuit iudicium, quod non sit confectum ratione, nec conficitur, nisi collatum, conferri autem non potest, nisi consideratum, et repetitum a memoria, nec hærebit memoriæ, nisi prius cognitum atque intellectum; offeruntur autem absentia cognitioni, quod non in solis rebus præsentibus sit appetitus voluntatis nostræ, aut aversio, tum discurretur propterea quòd excelsa et procul dissita expetit, ad quæ est per gradus et longa investigatione veniendum, postremo quæ novit, quæ elicit, quæ expetit aut declinat, quieta interdum contemplatur, quæ est velut quies quædam animi: ergo sunt hæc in anima rationali munera, voluntas, memoria, mens, et sub mente simplex intelligentia, consideratio, recordatio, collatio, discursus, censura seu iudicium, contemplatio, de quibus sigillatim est disputandum.

SIMPLEX INTELLIGENTIA.

CAP. I.

EST prima et simplex apprehensio eorum, quæ menti proponuntur, nec aliter se habet in mente, quam oculus in corpore, imaginatio in animo; neque vero simplex nominatur ideo, quòd simplicia tantum cognoscat, hoc est, singula rerum, ut sensus, sed quod nihil aliud comprehendit ac velut intuetur quam quæ offeruntur, ea vero quantumlibet varia, composita, connexa, ut ratiocinationes, sermones longos, et multiplices, visa confusissima; quum quid animo offertur simplex, et sine compositione, si id præsens est, imaginatio recipit eam figuram quæ est oblata sensibus, sin absens, ut quum de eo fit in sermone mentio, si res est, quæ cadit sub sensus, et memoriæ impressa, phantasia repetit formam a memoria; quod

si

Partes mentis.

Consideratio.

si ea sit res, quæ cognosci a sensibus non queat, esse quidem aut non esse, hoc aut illo modo, colligit ratione mens, imaginem tamen ei affingit phantasia, ex rebus sibi notis desumptam; sic effigiat Deum, Angelos, mentes nostras, et quæ sunt ejusmodi: idem facit in rebus corporalibus, quas ignotas ex notis sibi depingit, ut leonem, elephantum, Romam, Lutetiam, et ejusmodi, quæ nunquam antea viderit: universale nullum est in imaginatione, sicuti nec in natura, tantummodo a ratione discurrere attingitur sub imagine confusissima ac tenuissima, dum mens, quantum efficere potest, phantasiam se notis exuit. Difficile dictu est, quas habeant in animo effigies, qui cæci sunt nati; et ut necessarium est ad cernendum ut sit oculus apertus, ita et intelligentiæ ad intelligendum necessaria est attentio, seu animadversio quædam animi, quod Græcis dicitur *προσέχειν τὸν νοῦν*; hæc est velut mentis quædam apertio ad recipiendum quod offertur: intelligentiæ hujus impedimenta sunt, vel *intrinsecus*, ab alia cogitatione vehementiore animo occupato et abstracto, vel a cogitationum tumultu, dum aliæ alias subinde extrudunt, transit enim mens ad diversas, nec in ulla sistit, tum voluntas menti imperat ut alias res agat, eamque a præsentis negotio abducit, quod nec fit, nisi animus, quo voluntati morem gerat, venientem intelligentiam alia cogitatione, tamquam pro foribus objecta, excludat.

Extrinsecus causa est in corpore, in frigidis et crassis humoribus qui spiritus gignunt densos et tardos, ac proinde ad percipiendum non satis idoneos; foris quoque, quum sensus aliis rebus sunt valde occupati, ab aliarum rerum attentione mentem avertunt; sed hoc ad illud refertur quod aliis cogitationibus alias vel pelli diximus, vel excludi, neque enim sensus quicquam officerent, nisi illis se mens accommodaret, et tamquam præberet aurem loquentibus; tametsi interdum vehemens, et laboriosa sensuum corporalium actio, impedit intelligentiam, quod spiritus avertit aut devincit, qui sunt mentis instrumentum præcipuum, ut in morbo et dolore; qui sic cogitationibus jactantur, animo velut peregrinantur semper, nec unquam sunt in re præsentis, *aliud agentes* nuncupantur, quibus

Impedimenta
intelligentiæ.

bus magna vitæ pars inutiliter transigitur; sunt qui priorem sermonis partem non intellexerunt, ex intelligentia autem posterioris, quid sibi prior voluerit recte conjectant, vel ex vestigiis exiguæ intellectionis superiorum, vel ex collatione conjecturarum a negantibus ad agentem: *Non est verisimile hoc esse nec illud, aut illud: igitur quartum hoc, quoniam nullum restat aliud*: itaque duæ sunt in totum causæ non intelligendi, vel quum occupatus est artifex, vel quum instrumentum non subservit, in quo et delassatio comprehenditur ingenii, quæ ab ipso non est, sed ab instrumentis; mens enim nostra non habet vim infinitam, nec quantam vult in actione præsentis, vel in materiam objectam, sed in duratione temporis, et continuatione operis, quocirca in suis istis actionibus, nunquam sua ipsius imbecillitate deficit, sed organorum; reparatur intentio fessis vel quiete, vel sola aversione animi ad aliud ut in defessis, et eo facilius, si a re gravi ad levem, a molesta ad jucundam; tum exhilaratione sensuum, velut amœno spectaculo, harmonia, refectioe cibi et potus, sessione si steterit, aut stando si sederit, vel inambulatione, excitatione novi affectus, lætitiæ, mœroris, cupiditatis, ultionis, ut cujusque est proclivitas, denique re quacunque, quæ recentem spiritum sufficiat.

DE MEMORIA ET RECORDATIONE.

CAP. II.

MEMORIA est facultas animi, qua quis ea, quæ sensu aliquo externo aut interno cognovit, in mente continet; itaque actio hujus tota est introrsum conversa, est enim memoria velut picta tabula, quæ ut aspectu oculorum efficit actum notitiæ, sic illa intuitu animi intelligentis, aut cognoscentis; quæ notitia non est simplex, nam consideratio est quum inquit et scrutatur, recordatio vero quum ad id perventum est, quod volumus: est et in recordatione recultus, quum animus insistit in recordatione rei alicujus, multum eam retractans cogitatione, et revolvens, quod recolere nominatur: quæ recordatio sim-

Recolere.

plici gignitur intuitu animi in memoria, ea communis est nobis cum belluis, quæ autem fit per gradus quosdam, et discursum, a rebus quæ ante animum observantur, ad ea quæ subterfugerant, hominis est propria qui solus discursu utitur; Reminisci. reminisci a philosophis nuncupatur: neque in hoc nobis convenit cum usu communi loquendi, nam Vergilius de equo dixit:

—*Dulces moriens reminiscitur Argos.* (1)

Sed teneamus, ad commoditatem disserendi, vocabulum usu scholarum tritum, et sit nobis reminiscencia quod Græcis ἀνάμνησις quæ est in recordationem reductio, quasique recordationis recordatio.

Habemus igitur memoriam, recordationem, reminiscenciam; memoriæ sedes, ac velut fabrica, in occipitio est a Natura collocata, admirabili sapientia, quod præterita cernat, ita, illic velut oculum habemus quendam multo præstantiorem, quàm si corporalis aliquis esset astructus qualis in fronte, quod Memoriæ partes duæ. in fabulis est de Jano: memoriæ, sicuti et manus, duæ sunt vires, *apprehendere*, et *retinere*; apprehendunt facile qui humido sunt cerebro, est quidem cerebrum omne humidum, sed supra modum intelligi convenit; ut sigillum celeriter in humore fluido imprimitur, sed non diu hæret nisi in arefacta materia; ita biliosi ad retinendum sunt aptiores, ubi semel apprehenderunt; temperamentum autem ad utrumque est idoneum; quod in quibus est pueris, bonitatem ingenii arguit, ut Quintilianus annotavit, adjuvatur enim ingenium a memoria, ut et percipias facile quæ velis, et celeriter ac fideliter reddas quum sit opus; quæ duæ partes, *ilico*, et *bona fide* repræsentare, illius sunt quod retinere nominavi, nam sunt qui continent quidem, sed in reddendo quasi deposito, vel tardi sunt et diu laborant quærendo, vel reddunt mala fide, nempe aut non integre, aut confuse, et perturbate; quod qui faciunt, ingenia habent inversa atque infelicia. Juvenes propter calorem, et humores puriores, plus pollent memoria, quàm senes; *Primum in quod ætas*
in-

(1) Virg. Æneid. lib. 10. v. 782.

invadit, inquit Seneca, *est memoria*, nec ullum senectutis certius signum quàm memoriam labascere, remittitur enim ætate calor, et spiritus condensantur; ceterum memoriæ loco, magnum substituit Deus bonum senibus, prudentiam usu rerum collectam, et iudicium acrius, et efficacius; nec memoriam habent omnes pariter ad omnia; sunt qui verba, sunt qui res meminerunt facilius, ut Themistocles rerum, Hortensius verborum recordatione dicuntur valuisse, quod exemplum positum sit pro toto et hominum et rerum genere, nam alii curiosa, alii recta et simplicia, alii publica, alii privata, alii vetera, alii nova, alii sua, alii aliena, alii vitia, alii virtutes recordantur citius et melius, ut est cujusque ingenii pronitas, et attendit ad hæc aut illa libentius; attentio enim memoriam confirmat, ut statim dicam, et quemadmodum in pictura non omnia, quæ expressa sunt, vel cernimus, vel animadvertimus, vel quum quærimus occurrunt, ita in memoria multa habemus nobis incognita, et quæ nos non habere credimus, quum habeamus, sicut a contrario; tum quæ habere scimus certo, multum tamen quæsita, indagata, investigata non comparent, quæ, si quis offerat, statim agnoscimus, ut in loquendo, nam plerique linguas intelligunt auditas, quas loqui nesciunt, loquendo enim quærimus, audiendo autem offeruntur, et recognoscimus.

Memoriæ plurimum confert naturalis contemperatio corporis, quali fuisse præditos illos credibile est, quorum magnitudo memoriæ monumentis litterarum celebratur, Themistocles, Cyrus, Cyneas, Hortensius, adjuvatur tota ratione victus, cibis, potionibus, exercitamentis, quiete, somno, moderatis, et ad facultatis illius instrumenta accommodis; sunt quædam, quæ peculiariter prosunt memoriæ, alia, quæ obsunt, observata medicorum cura, et libris consignata, et quemadmodum non imprimitur in aqua fluenti signum annuli, ita neque in memoria res cognitæ cerebro vehementer agitato, quale est in pueris infantibus propter continua incrementa corpusculi, tum in ebrüis, et ægrotis, cum valida vis ardoris spiritus omnes rapit secum, convolvitque, difficile item recipiunt qui in occipitio frigidus habent humores, ac proinde duros, quorum est natura ad im-

Memoria varia.

Memoriæ quæ conducant.

pressionem saxeæ: tales sunt senes, et tardi, et torpentes: qui vero sani sunt et integri, sed celeres habent spiritus, apprehendunt quidem cito, sed non adeo continent: cujus sunt generis biliosi: *Lenta ingenia*, inquit Aristoteles, *recordationis fide valent, acuta autem reminiscentia*: tenacior est memoria in tardo, sicut diurnius sigillum in saxo aut ferro, redeunt tamen celeres facilius in recordationem: alte descendunt in memoriam quæ attente sunt a primo accepta, et cum cura, quo fit, ut ingeniosissimi sæpe homines, et bono memoriæ prolixè instructi ornatique, non tam recordentur multa, quàm qui illis non sunt pares his dotibus, quòd neglectim multa vident, legunt, audiunt; si se adfectus aliquis, concitatus, primæ rei cujusque memoriæ admiscuit, recordatio est deinceps facilior, promptior, diurnior, ut quæ cum maxima lætitia vel dolore sunt in animum ingressa, horum longissima est memoria, eaque de causa mos est quarundam gentium, in statuendis agrorum limitibus acriter cædere pueros qui adsunt, ut firmiter et diutius recordentur illorum finium.

Exercitatione, et meditatione crebra, magnum memoriæ sumit robur, fit enim et ad accipiendum prompta, et ad plura capiendâ latior, et tenacior ad continendum, nec est ulla in toto animo functio, quæ perinde cultum sui desideret; ingenii munia non fiunt quiete ac cessatione deteriora, sæpe etiam renovantur, et præparata plus vigoris acquirunt; memoria, si non exerceas, hebescit, ut tardior fiat in dies, et segnior, otio ac quietudine. Oblivisci autem quadruplici ratione dicimur; vel quum imago illa in memoria depicta eraditur prorsus ac deletur, vel quum interlita est atque interrupta, vel quum quærentem subterfugit, vel quum obrupta est, et quasi velo quodam contecta, ut in morbo, vel affectu concitato; prima est vera, et maxime propria oblivio, secunda est obscuritas, seu litura, tertia et quarta, occultatio, quæ deprehendere est in tabula cujus imaginum alia est deleta, alia est interlita vel intercisa, alia nos fallit, alia est operata vel exolescens: oblivisci etiam dicimur eorum quæ a natura ipsa accepimus, quum de primis illis et naturalibus informationibus dubitamus quæ

Oblivionis
ratio qua-
druplex.

evi-

evidentissimæ et certissimæ veritates nuncupantur, perinde est enim, ac si eas aliquando didicerimus naturæ institutione: prima oblivio nova prorsus cognitione indiget, quarta detectione, ut sanitate corporis aut animi, reliquæ duæ instauratione, ut vestigatione et quasi gradibus ad id veniatur quod quærimus, ut ab annulo in aurifabrum, ex hoc in monile reginæ, hinc in bellum quod gessit vir ejus, a bello in duces, a duce ad eorum progenitores aut liberos, hinc ad disciplinas quibus studebant, in quo nulla est ad sistendum meta; gradus hi per omnia argumentorum genera late se se diffundunt; a causa ad effectum, ab hoc ad instrumentum, a parte ad totum, ab isto ad locum, a loco ad personam, a persona ad priora ejus, et posteriora, ad contraria, similia, in quo discursu non est finis; et sunt transitus quidam longissimi, immo saltus, ut ex Scipione venio in cogitationem potentiæ Turcicæ, propter victorias ejus de Asia, in qua regnabat Antiochus, ex nomine Ciceronis venit in recordationem Lactantius, qui fuit ejus imitator, ex hoc de chalcographia, nam is liber dicitur formulis æneis excusus vel primus, vel de primis.

Reminiscentia hæc, vel naturalis est, cogitatione ultro ab aliis ad alia transeunte, vel voluntaria, seu jussa, quum animus in recordationem rei alicujus conatur pervenire; facilia sunt ad recordationem ordine notata, et præscripta, in quo genere præcipuæ sunt mathematicæ traditiones; versus quoque ad memoriæ fidelitatem conducunt, propter ordinem compositionis, et structuram non temere vagantem, sparsamque, sed certis limitibus conclusam, ut animum non patiantur aberrare, via, ceu repagulis quibusdam, utrinque munita et obsepta; vicissim, temere effusa, vel dissolute congesta, difficile est et capere, et continere; quocirca et qui recordari aliqua cupiunt, diligenter attenteque ordinem eorum animadvertunt quæ mandant memoriæ; et artis hujus magistri loca quædam discipulis suis ediscenda exhibent, nam quæ simul sunt a phantasia comprehensa, si alterutrum occurrit solet secum alterum repræsentare, unde sedes illæ existunt in artificio memoriæ, quippe ad aspectum loci, de eo venit in mentem quod in loco scimus

eve-

evenisse, aut situm esse; quando etiam cum voce, aut sono aliquo quippiam contingit lætum, eodem sono audito delectamur, si triste, tristamur, quod in brutis quoque est annotare, quæ si quo sono vocata gratum aliquid accipiunt, rursum ad eundem sonum facile ac libenter accurrunt, sin cædantur, sonitum eundem deinceps reformidant ex plagarum recordatione, qua in recordatione gemina illud usu evenit, ut ex re minore veniat nobis de majore in mentem sæpius, non e contrario; majus voco, melius, præstabilius, rarius, preciosius, carius, denique quod nos pluris facimus, ut quoties aspicio domum quæ Brussellæ est e conspectu regiæ, venit mihi in mentem Idiaqueus, cujus illud erat hospitium, et in qua nos sæpissime, quantunque per illius negotia licebat, diutissime, sumus collocuti de rebus utriusque jucundissimis, non tamen quotiescunque Idiaqueus obversatur animo, de ædibus illis cogito, notabilior est scilicet animo meo Idiaquei recordatio, quam illarum ædium.

Eundem in modum de sonis, de sapore, de odore: puer quum Valentia febris laborarem, et depravato gustu cerasa edissem, multis post annis quoties id pomum gustabam, toties non solum de febris memineram, sed habere mihi illam videbar: quapropter nuda esse oportet ea loca quæ memoriæ movendæ assignantur, ne si quid habeant insigne, aut illustre, hoc est, nobis notabile, obruant quod eis fuerit commendatum, non aliter recordatione insigne illud rapiente, atque in eo occupata, reliquorum oblita, quàm ventriculus, de multis cibis, eo, qui naturæ suæ maxime est congruens, aliis neglectis. Et quoniam similitudo ex multis velut unum reddit, facilis est, et usitatus, non memoriæ solum, sed cogitationis quoque error, ut a simili transeat ad simile; pro *Gregorio* sumimus *Georgium*, pro *enthymema problema*, *Pindarus* pro *Pandarus*, quæ similitudo est in verbis ex medio, principio, fine, tum in rebus, ex eo quod in illis attentio considerat, ut *Xenocratem* pro *Aristotele* in philosophia et disciplina *Platonis*, *Scipionem* pro *Q. Fabio* in bellis *Punicis*, *Irum* pro *Codro* in paupertate, *Demosthenem* pro *Cicerone* in eloquentia, *Narcissum* pro *Ado-*
ni-

Error ex similitudine.

nide in pulchritudine, allium pro cæpis in odore: eodem modo de loco, tempore, de actionibus aut qualitatibus, quorum exempla patent latissime: similitudo perturbat memoriæ, ut oculos corporis, ne iudicium possit recte statuere de eo quod est ad se delatum confuse; hoc vitium, vel in *prima attentione* nascitur, quòd intelligentia non satis animadvertit quæ offeruntur, ut integra, ea distinctaque, posset memoriæ commendare, quo in genere sunt *aliud agentes*, vel in *ipsa memoria*, quæ parum sincera fide custodiit, vel in *secunda consideratione*, quæ est attentio, quum perperam ea, quæ integra erant in memoria reposita, depromit, quod alias negligentia vel socordia quadam accidit, alias commotione animi ut in ebriis, iratis, metuentibus, amantibus, invidentibus, exultantibus, et huiusmodi; sicuti quum depositum non tale redditur quale traditur, in vitio est aut accipiens, aut custodiens, aut repræsentans; perturbatur item consideratio, quum jussæ aliquid quærere, aut depromere, objicitur extrinsecus diversum quid vel alienum: salutavit me heri in foro Petrus Toletanus, nec satis animadverti, nec satis memini: si quis ex me quærat, quis te in foro heri salutavit? si nihil addat, facilius respondero, quàm si dicat, Jo. Mantricus'ne, an Lod. Abylensis? Si quæratur, quis fuit Socratis pater? citius occurreret memoriæ, quàm si addatur, num non Democritus? magis intricat adhuc considerationem, quum res est in vitio similitudinis posita, dum enim consideratio aliquid scrutatur, unicum munus arripit in quod solum incumbit, quum vero aliud est objectum, additur occupatio refellendi ejus, ita labor fit duplex, prior, rejiciendi quod non convenit, alter, ejus quod convenit reponendi.

Distinctio temporum reminiscentiæ est necessaria, alioqui confunderentur imagines, ut in tabula, si aliæ super alias absque intervallo depingantur: quæ vacuo animo et tranquillo accepimus, facilius hærent in mente, sui que vestigium imprimunt diuturnius, ac expressius, si modo attente animum applicamus; qua de causa quæ prima ætate vidimus atque audivimus, ea diutius recordamur, et integrius, est enim tunc soluta curis et cogitationibus mens, tum etiam attendimus diligenter, quippe
æta-

ætate illa admiramur omnia tamquam nova, at quæ admirationem nobis movent, ea sollicite spectamus, alteque in animum descendunt, itaque et expressius sunt in memoria depicta, facileque occurrunt recordationi, et distincte depromuntur; senes præterquam quod vitio ætatis difficilius capiunt ac retinent, (spissantur enim eorum spiritus, nec facile imagines recipiunt) occupatio quoque, et in res varias intentio, tumultuatur intus, ut nec quiete quicquam admittat, nec quum quæritur sinat inveniri; deteruntur quoque imagines in memoria insculptæ, unde recordatio existit manca, et quæ aliquid semper videatur requirere, exciderunt enim circumstantiæ loci, temporis, personarum, quod est primum memoriæ per ætatem labascentis vitium: consideratio est, quæ scrutatur ea quæ sunt in memoria recondita; imagines rerum, quas memoria conservat, in lucido spiritu sunt impressæ, qui ut est calidus et agilis, nunquam conquiescit, quam vero illius partem attingit acies considerationis, hoc est, spiritus serviens considerationi, eam intuetur, eoque non semper omnia recordamur, nec ea quidem ipsa quæ voluntas imperat, nam sæpe quærimus quæ non invenimus, quæque postmodum se se ultro offerunt, etiam per quietem, ut quibusdam, quam solutionem argumenti, aut nomen rei, diu multumque vigilantes inquisierant, in somniis reperiunt. Quædam recipit intelligentia prima illa simplex, quæ est de iis quæ extrinsecus obveniunt, per videndi vel audiendi sensus, quæ non animadversa tradit statim memoriæ, attentio vero, velut exurgens, considerat in memoria, et intelligit interdum continuo post, nonnunquam longo intervallo, haud secus quam si quis vel a somno excitaretur, vel ex alienatione mentis ad se ipsum rediret, hi sunt, vel ingenio tardi, aut animo peregrinantes, aut intenti valde alio, quod etiam in visu et auditu evenit quum sensus communis aliud agit sicuti est antea declaratum.

DE

DE COMPOSITA INTELLIGENTIA.

CAP. III.

Substantiæ puræ, hoc est, adhærentibus denudatæ, nulla est in animo imago, sed tantummodo adjacentium quæ illam convestiunt, ac operiunt; recepta autem prima illa imagine, ac simplici, quæ est per sensuum januas ingressa, addit ei phantasia simulacra, et formas alias, ex iis qualitatibus, vel actionibus, quæ hauriuntur sensibus; ratio vero accedens, confert illa inter se, esse talia vel non talia, agere sic aut illa, vel secus: hinc ea quæ nullis cognoscuntur sensibus adjungit, quæ in schola syncategoremata nominantur, hoc est, consignantia, ideoque hæc plura sunt, et aptiora, quo magis augetur ratio, ut in viris quam pueris, in ingeniosis quam stupidis, in doctis quam imperitis. Phantasia nihil conjungit, aut separat per copulam, velut, hoc est tale, aut non est tale, sic agens, aut non agens, sed sic coacervat, hoc tale, non tale, hoc, vel illud, agens, hoc modo, aut illo, vel e contrario; quod ostendit puerorum, et rudium, et crassorum hominum sermo, qui multum conjunctiones omittunt in loquendo, congerunt tantum rerum nomina absque nexu; transit ratio ab adhærentibus ad substantiam, et exculpit non jam quale sic quicque solummodo, aut quid agat, sed quid sit, aut non sit, quorum ajens vocatur conjunctio, negans autem separatio.

Syncategoremata.

RATIO.

CAP. IV.

Quæ intelleximus, consideravimus, contulimus, omnia sunt parata in usum rationis; ea vero est collationis progressio ab uno in aliud, vel a quibusdam ad aliud, vel alia, ideoque etiam *discursus* nominatur; et *reputatio*, quod sicut in vite putantur sarmenta inutilia, ita in ratione, ut solum utile retineatur purum (quod dicitur) et putum, quoad ejus quidem præ-

Discursus.
Reputatio.

Tom. III.

Yy

ta-

tari possit: nec perturbet nos quod discursum diximus, nam interdum ratio non tam cursu ingreditur, quàm salticulis per diversa delibando, est enim ratio alia per suos gradus continua serie discurrens, est alia transsiliens, et medios aliquos gradus intermittens vel ex ignorantia recti ac congruentis progressus, vel quod illos attingere minime existimat necessarium. Phantasia nullam sibi potest figurare imaginem, nisi ex iis quæ prius usurpavit sensibus, sive aliqua talis sit in natura rerum, sive ab ipsa conficta ex una aliqua, aut diversis; ratio autem tanta rapiditate volitat per eas imagines, ut vel nullam omnino in se concipiat, vel adeo leviter, ut fere nulla esse videatur, nihil enim sumit de inhærentibus singularibus, ideoque aspicit procul quidem, abjungit se tamen a visis quantum potest efficere, nam si illis se se involveret atque implicaret, haud aliter quam torrente raperetur, ut in ebrietate, et furore, et eum ad modum cerneret quo quum per conspicilla depicta, et variegata; ideoque magna sanitate mentis est opus ad bene discurrendum per ea quæ convenit, mens enim, quæ visis agitata non valet se se sistere, similis est ei, qui per lubricum descendit; opus nihilominus est ad expeditum discursum ministerio phantasiæ, si non dissolutæ, at solutæ tamen, ac liberæ, utitur quidem ratio phantasmatis, non se illis admiscet: sensus ergo inservit imaginationi, hæc phantasiæ, quæ intellectui et considerationi, consideratio recordationi, collationi recordatio, rationi vero collatio: sensus est velut *umbrae* aspectio, phantasia, seu imaginatio, *imaginis*, intelligentia *corporis*, ratio *effectio* ac *virium*.

Est discursus quidam rationis, jussus a voluntate, ut aliquid vel verum inquirat menti, vel bonum ipsi voluntati; est alius ultroneus, suapte sponte procedens, vi mentis libera ac soluta, quæ quiescere non potest; spontanea ratio non tam ex certis et notis principiis aggreditur opus suum, quàm jussa, quoniam negligentius scrutatur quid sit in quaque re veri et falsi, boni et mali; notitia humana est ab iis, quæ sensibus sunt cognita, ad ea quæ animo et mente, nempe a singularibus ad universalia, a materialibus ad spiritualia, ab effectis ad

cau-

causas, a promptis et patentibus ad recondita; Deo autem omnium opifici, atque auctori, causæ priores sunt ac notiores quàm effecta, universalia quàm rerum singula; in nobis quoque, ut quisque maxime vel ingenio valet, vel rerum usu, vel doctrina, magis viam naturæ, hoc est, Dei, sequitur in cognoscendo et colligendo, qui autem crassiōres sunt, hanc sensuum viam tenent, discursus autem rationis per omnes locos argumentorum versatur; fit etiam vel a negatione ad affirmationem, ut: *Non est hoc, nec illud, ergo illud*: qui est discursus obliquus; vel a negatione ad negationem: *Neque hoc, nec illud, nec aliud, incertum ergo quid*: qui est spurcius, seu *vobos*; est rectus alius, et legitimus, a re ad rem, ab affirmatione item ad negationem: *hoc, ergo non illud*. Ratio data est homini ad inquirendum bonum ut id voluntas amplectatur; bonum bruti apertum est, nempe in corpore, nostrum in mente occultum, ideoque nobis opus fuit investigatione veri in tenebris, illi tenebras non habent, illorumque extimativa ad bonum tantum et malum fertur, nostra autem etiam ad verum et falsum; unde duplex existit decursus, ratio speculativa cujus finis est veritas, et ratio practica cujus bonum, prior sistit ibi, altera transit ad voluntatem; et speculatrix non est simplex, nam est vel in veritatibus, quæ sensu, aut phantasia, aut ex iis collectis rationibus, licet consequi, quæ vocatur inferior, vel in iis quæ sunt seu altiora, seu magis abdita, quæ superior; in quibus duabus non æqualiter homines vel valent, vel se exercent, nam ut sunt qui melius cernunt vesperi, quàm in meridie, sic quidam bene ratiocinantur de veris, non item de agendis, quidam vice versa, quòd agendi ratio in experiundo versatur, sciendi vero in acie mentis; et alii in artibus manuariis sunt præstantes, ut ingenii vis huc vel illuc sponte naturæ inclinavit.

Ratio eorum quæ aguntur in bono, est prudentia, eorum autem quæ exercentur in utilibus vitæ hujus exterioris, ut Aristoteli placet, est ars: quoniam vero certius operatur expertus, quàm sciens, idcirco ad prudentiam, vel artem, non sola scientia satis est, experimentis etiam est opus, memoria et recorda-

Yy 2

tio-

Duplex ratio.

Prudentia.

Ars.

tione comprehensis, eamque ob causam inexperti nec probi artifices sunt, nec prudentes satis, veluti juvenes, et qui manum operi, quod didicerunt, non admovere, acies enim mentis doctrina exacuitur et expolitur, vis autem agendi atque operandi exercitatione: rationis meta in contemplatione, est veritas, in agendis autem, bonum; posterior hæc ex collatione verorum et bonorum profert iudicium; collatione hac verorum et bonorum carent belluæ, ut quæ ad primum oblatum bonum rapiuntur, nostrum porro iudicium cunctatur, atque ambigit, et sistit, et revocat se se; nec est tamen dubitandum, quin ut muta animalia pronitates, et quasi regulas ad bonum suum quasdam a Deo acceperint, ita et homo ad bonum suum, et propter bonum ad verum, non enim meliore conditione existimandum est fuisse procreatum a tanto artifice id quod deterius est, quàm id quo nihil est sub cælo præstantius, sed menti nostræ magnas et densissimas nebulas scelus offudit, itaque depravati sunt recti illi canones; ex ignorantia multi errores nascuntur, quum ex illis universalibus ad species, et rerum singula, iudicium deducimus; sed restant nihilominus in nobis reliquæ illius tanti boni, quæ satis testantur quantum id fuerit quod amisimus; hæc a vulgo theologorum synteresis nominatur, quasi conservatio, Hieronymo est conscientia, Basilio naturale iudicatorium, Damascenus lucem mentis nostræ vocat; philosophi quiddam tale sunt procul intuiti, qui anticipationes tradunt, et naturales informationes, quas non didicimus a magistris, vel usu, sed hausimus, et accepimus a natura, tametsi alii aliis pro magnitudine ingenii plures certioresque sunt has regulas sortiti, tum excoluntur, elimanturque usu, experimentis, disciplina, meditatione.

Hæc mentis nostræ sive lux, sive censura, qua recte, qua oblique, semper tamen ad bonum et verum devertit, et fertur prona, unde existit approbatio virtutum, et improbatio vitiorum, atque hinc leges et præcepta morum, et intus in unoquoque conscientia, quæ delicta ipsa sua arguat, reprehendat, damnet, nisi penitus sensu humano careat, et degeneret in brutum. Ex his quæ diximus, difficultas explanatur, quam Plato

Menonis argumentum.

at-

attingit in Menone, nam is ut colligeret conditas esse humanas mentes, non rudes, sed magnis scientiis artibusque instructas et ornatas, illud adducit argumentum: *Alioqui, inquit, non magis primis certissimisque assentiremur axiomaticis, quàm contrariis, nec ea quum primum proponerentur, ilico agnosceremus, haud magis utique, quàm si quis servum fugitivum, quem nunquam antea vidisset, querens, si is occurrat, agnoscat, aut apprehendat*: verum non habet mens nostra ante corpus eruditionem, sed quum conderetur, accepit propensiones ad vera potius, quàm ad falsa, et ex propensione, ac congruentia, canones, sive formulas, quas si disciplinarum omnium semina libeat nuncupare, nihil equidem repugno; nam quemadmodum in ipsa terra semina sunt a Deo indita stirpium omnium, quos ipsa ultro quidem proferat, solertia tamen diligentiaque hominum excoluntur, reddunturque ad usum aptiora, sic in mente uniuscujusque semina sunt initia, origines artium, prudentiæ, scientiarum omnium; quo fit ut ad omnia nascamur idonei, nec ulla est ars, aut disciplina, cujus non specimen aliquod mens nostra possit edere, rude quidem et malignum, sed aliquod tamen; perficitur autem id, cui doctrina et exercitatio accessit, ut in stirpibus ii sunt meliores alii, quibus agricolæ addita est manus ac industria: et loquor de cognitione rerum natura constantium, nam ea, quæ sunt prorsus hominum excogitata ingenii, sine præceptore et doctrina non possunt percipi, ut lingua aliqua, Latina puta, aut Græca, aut Hispana: ergo quod brutæ animantes primam illam sequuntur naturam, integram adhuc atque intemeratam, non errant in suis necessariis; homo, qui suas conjecturas sectatur, aberrat per eas semitas, quas ipse sibi fecit, regia via relicta; et bruta ejusdem speciei eodem agunt modo, nempe eandem sequentes naturæ institutionem, et monita, homo, quia varie judicat, diversissime agit, atque adversissime.

Hoc loco quæstio illa jure occurrit, putantur'ne bruta ratione? an discurrant, et ignota colligant ex notioribus? quæ multos veterum non tam conclusionem sui torsit, quàm tractatione; ferè enim in eam omnes discedunt sententiam: *Cavere illa*

Brutis an insit ratio.

illa

illa rationis bono: Plutarchus libellum scripsit, cui fecit titulum: *Quòd mutis animantibus insit ratio*, declamatorio magis stilo ac more, quàm philosophico, non enim validis ullis nititur argumentis, ac dignis schola philosophiæ, sed populari tantummodo elusione, magisque de probitate ac vitiositate morum cavillatur, quàm de ratione: Laurentius Valla in Dialectica, ratione præditas esse argutatur, sed in eo opere, studio contradicendi, et argutandi, cæcus, rapitur in multas ineptias, atque absurditates, transversus: alii rationabiles dixerunt esse, ex ignorantia, quænam res esset ratio, et quibus ornata qualitatibus; quod jam aperiamus: si discursus est transitus aliquis ab aliquo in aliud, dubitandum non est, quin discurrant muta, sin per collationem a minus notis progressus ad magis nota, vel ab uno ad aliud ex illo dependens, aut sequens, manifestum est non discurrere; a notis enim non proficiscuntur ad ignota, quorum omnia judicia sunt de singularibus, non ut a generalibus ad specialia descendant, inde ad singularia, vel ascendant rursum hinc ad illa, ad exculpendum verum; sed neque norunt absentia, ut ab iis vel ad alia veniant absentia, vel ad præsentia, aut e contrario; nec alia ex aliis in eorum transitu dependent, aut nascuntur; nam in iis quæ cognoscunt præsentia, et singularia, manent ilico cum approbatione, vel reprobatione, discursus autem non status est, sed progressio; itaque nostrum iudicium, dum collationes componuntur inter se in curriculo rationis, non acquiescit, sed pendet incertum: sed nec exordiuntur bruta ab *a* (ut exemplo loquar) ut inde transeant in *b*, ad cognoscendum *c*, nec ab *a*, ad *b* tamquam conjunctum, et progrediens ab *a*, sed quia non placet *a*, quærunt aliud, inciduntque in *b*, veluti quum canis herum suum, vel feram vestigat, odoratur enim hunc hominem, vel aspicit, si odorem aspectumque heri referat, acquiescit in eo etiam si non sit herus, sin secus, eo relicto confert se ad alium, inde ad alium, nullo nexu coherentem cum priore, quoad in eum incidat, quem quærît.

Accedit huc, quòd brutum sequitur id quod vel sensu est simpliciter cognitum, vel a phantasia copulatum compactumque,

que, vel ab estimatrice stimulatum, tamquam tacito calcari naturæ, homo autem componit ac dividit, et ab aliis ad alia transit, conferens ea inter se, ex quibus aliquid pariat atque eliciat; et animas brutorum orbas esse rationis, ex figura ipsa formæ, totoque corpore, facile est colligere; oculorum humanorum aspectus, quoquo versum circumactus, intentusque, multa nos docet, illa vero abjecta sunt semper in terram: adde his, quòd sortita sunt etiam corpora ad artes exercendas inepta, Deus autem quibus facultatem rei alicujus agendæ attribuit, eisdem quoque organa adaptavit ei actioni accommodata, videlicet sapientissimi artificis hoc est munus; sed nec egent animantes ratione, quæ in illis esset supervacanea, nam ad bonum suum impetu naturæ suæ vadunt, proque rationali intelligentia indita est illis speciatim naturalis quædam solertia ad se tuendum, conservandumque, quæ abunde sufficit, quod admirati aliqui, rationem nominarint, ut in ape favorum et mellis constructio, in formica ciborum prospectio, in araneo textura, et venatio in cane; in equo, in simio, in elephanto, multa humanæ intelligentiæ similia; quæ si quis ideo rationem vocet, quòd magna sane sunt, et admirabilia, quid obstat, quo minus quæcunque naturaliter fiunt admiranda, a ratione profecta esse confirmet? Proficiscuntur quidem illa a ratione non rei naturalis, sed naturæ, hoc est auctoris Dei; neque enim magnum aliquid fieri sine ratione potest, si modo rationis nomen in divinam illam sapientiam competit: itaque et herbas, stirpesque omnes, et lapides plerosque, et aquas multas, et alia quorum mirandos videmus effectus, ratione esse donata arbitrabuntur.

Ad hæc, carere belluas quacunque religionis specie, grande profecto est argumentum irrationabiles esse, et mortalibus animis præditas, fructus enim, et fons pietatis, non est in vita hac mortali positus; ergo est in altera, quæ hanc consequitur: ratio porro nostra, quæ tantum est munus, tamque excellens, non est propter res tam viles et momentaneas concessa, quàm eæ sunt in quibus hominum vita versatur, et se occupat, (quanto adhuc viliores sunt quibus vita traducitur mutorum?) sed ut Deum cognoscamus, colamus, amemus, quo nihil est majus,

aut

aut præstabilius, digniusque ratione, re omnium excellentissima; hæc vero est religio, cujus bruta sunt penitus expertia, quemadmodum contrà, nullus est hominum qui non religione tangatur aliqua; et quemadmodum lapidi assignata non est vita arboris, quòd et sufficeret sua essentia torpens, et in vestigio semper immobilis, nec arbori sensus, aut phantasia, quòd ad vitam illam nihil esset istis opus, sic neque mutæ animanti tributa est ratio, quoniam ad ejus vitam atque essentiam tuendam, imaginationi adjuncta estimatio, abunde magnum esset præsidium. Jam vero, et non loqui illas defectum rationis ostendit; nam si ratione intus ducerentur, quid illis deesset ad loquendum? Haud quidem, quòd sermo sit discrimen inter hominem et belluam essenziale, quod quibusdam placuit non satis in quo sita esset essentia considerantibus, sed nascitur ex illo discrimine, ratione scilicet, tamquam rivus e fonte: at in brutis alia aliis præstant ingenio, acumine, prudentia, nam hoc dicet aliquis: non sunt hæc quidem talia, sed similia, in nobis enim solis ingenium est, et prudentia, quemadmodum stirpium quosdam annotatum est ea agere propter quæ sensu esse præditos credi possit, et lapides nonnullos; simulacrum quoddam referunt vitæ, quum constet nec plantis ullum inesse sensum, nec lapidibus, excisis præsertim, vitam: umbræ sunt ista, non vera corpora: et quemadmodum homines omnes rationis facultatem accepimus, sunt tamen inter nos magna in ejusmodi facultate discrimina, omnes tamen sumus rationabiles; sic belluæ naturæ doctrinam hauserunt omnes, sine ratione, sed alia aliis doctrinam hanc sortita sunt vel purius, vel largius, quum sint tamen omnes irrationabiles.

Hoc fecit omnipotens ille auctor omnium, ut serie quædam rerum gradus inter se applicaret quibus ad suprema ab imis ascenderetur, quemadmodum in Prima philosophia docuimus; verum non esse illa rationis opera hinc est intelligere, sicut Gregorius Nyssenus annotavit, quod eadem speciatim agunt, neque illorum operationes variantur multitudine dissimili, sed juxta majus aut minus, ita ut si qua animans paullo operetur diversius quàm ceteræ ejusdem figuræ, alteri protinus

spe-

speciei adjudicetur. Accedit his, quod per rationis discursum erigit se homo supra sensus, et phantasiam, inclusumque se se illis tenebris asserit, sicut qui clausus est in cubiculo etsi alia non usurpet sensibus quàm quæ sunt in illo, intelligit tamen multa esse extra eum locum; brutum vero haud se habet aliter quàm infans, qui per vitrum ceruleum, aut rubeum, intuens, ex ignorantia unde id fiat, omnia quæ cernit existimat esse illius coloris: sed jam ad alia transeamus, nam hunc locum arbitror abunde esse planum factum. Discursuum magna est varietas, ut sunt diversissima in hominibus ingenia, partim ex constitutione ipsa naturali, partim ex doctrina, assuefactione, et hujusmodi, de quibus post loquemur, sed ut summam dicam, est discursus quidam *acutus* circa rem aliquam, penetrans illius intima, est alius *sagax* ex parvis conjecturis, aut procul dissitis, perveniens quo intendit, alius est *latus* multa complectens, est enim in quibusdam tanta mentis amplitudo, ut uno velut intuitu cuncta circumspeciant quæ ad rem faciunt; his et phantasia expeditissima est, et apertus memoriæ thesaurus, et expedita consideratio, et recordatio integra, vicensque, lenta enim phantasia, aut memoria obserata, aut consideratio cessans, aut recordatio imbecilla, tardum infelicemque discursum efficit, ut in infantibus, ægris, commotis, magno affectis senio.

In intelligentia est ceu aspectus quidam eorum quæ videmus, vel audimus, iste est simplicissimus, est alius, quum procul quasi intuemur quo quidque pertineat, istud ex discursu rationis petitur in rebus ignotis, aut assuefactione in notis qualis est in canibus, equis, elephantis, qui aliquid usu, aut disciplina nostra perceperunt: discursus finis est inventio, seu conclusio rei, sive collectio; non assequimur autem quod petimus, eisdem de causis quibus canis amittit feram quam persequitur, vel quia discursus tardus est natura, res autem procul dissita, ut non habeat satis virium ad perveniendum, vel segnis est voluntario, ut quum non libet attendere, vel sequitur qua non convenit, ut qui viam non tenent qua sit insistendum, seu infelicitate ac tenebris ingenii, seu perturbatione aliqua tempo-

Tom. III.

Zz

ra-

Discursuum
varietas.

rariora, ut in affectu concitato, et variis cogitationibus, quæ obturbant mutuo, vel quia prætervolat, ut in nimium acutis, et qui celerrimam habent phantasiam, hi enim ulterius transcurreunt, quàm ubi res est posita, ita, quod oportet a tergo relinquentes, in res minime necessarias incidunt, ut ineptias, absurditates, dementias, res denique ab eo quod convenit alienissimas, oportet enim, ilico post discursum, phantasiam et scrutationem memoriæ sistere, ut mens quod sectata est commode apprehendat, ne aliò rapiat eam concitatio illa velocissima.

JUDICIUM.

CAP. V.

Judicium est censura, hoc est, approbatio et improbatio rationis, discursus videlicet, et clausulæ, quod est in mente velut amussis quædam et norma, aut ut examen in libra; itaque dum ratio est in actione sua, quiescit iudicium, ea ubi functa est suo munere, exurgit censura, et iudicat primum de connexionione, hinc de discursu, quem si approbet, non potest reprobare clausulam, hæc si absurda videatur, et receptæ infixæque prius sententiæ contraria, hæret iudicium, seque falsum esse suspicatur, sin autem nihil metuit fallaciæ, transit in sententiam diversam, vi argumentationis impulsus, eaque est maxima vis, seu unica potius, quæ potest menti adferri, si verisimilis ratio ostendatur, ad reliquas omnes violentias immobilis; quod si non recte esse discursum, et qua oporteat, arbitratur, continet ac cohibet se, nec quoquam inclinatur, quod frequens sapienti accidit propter magnam varietatem, et difficultates in omni probabilitate, quæ citius docti hominis et cordati cogitationi occurrunt, quàm rudis et stulti; nec male, qui proverbium finxerunt: *Ab stulto iudice præcipitari sententiam*, pauca enim circumspicit; et sicut ratio utitur formulis dialecticis, quæ sunt de probabilitate, ita iudicium iis quæ de argumentatione; in quibus ob ingenii nostri tenebras sæpe fallitur, bene enim confici putat argumentationem, quæ est prava;

un-

unde in imperitis, præfervidisque ingeniis, definiendi ac pronuntiandi existit temeritas præcipitata: non raro etiam post rectum, exactumque discursum, objicitur attentioni concludendi, ac iudicandi, quædam velut nebula, qua iudicium hallucinatur, aliudque pro alio sumit, quod accidit valde biliosis etiam exercitatis, et sapientibus, atque eo magis, si vel metu, vel iracundia, vel pudore percellantur; quo circa rectius hi de scripto disserent, quàm loquendo: sunt qui ipsi apte ratiocinantur apud semetipsos, verum molles, ac lubrici, facile se ab aliis sinunt auferri, sive ex affectione, sive qui non multum sibi fidunt.

Judicium rectum et sanum est, quod apte circumspicit quid ex quo nascatur, quid cuique sit consequens, quid alienum, quid repugnans, quid congruens, et consentaneum; hoc bono nullum est majus ad disciplinas, atque artes omnes, denique ad vitam universam; non usu, non cognitione rerum multarum et variarum, non acumine, non eruditione et scientia disciplinarum atque artium, sed hoc solo distant maxima et præstantissima ingenia ab infimis, aut mediæ notæ. Veritas res est menti congruens, ut bonum voluntati, mendacium autem, aliena atque inimica, ut malum voluntati; aliis quoque sensibus sunt quæ convenientiam cum eis habent, sunt quæ inconvenientiam; itaque si iudicium censeat conclusionem esse veram, illi se applicat, et eam complectitur tamquam sibi congruentem, quæ complexio, assensus, seu opinio, atque existimatio dicitur, sin falsam; aversatur, quæ est dissensio: est assensus quidam firmus, hæc fides nominatur, quam Cicero in Partitionibus finit, opinionem esse firmam; est alter infirmus, quæ est suspicio, ut sit hoc neutrum, nec in bonum vergens, nec in malum, medium inter assensum et dissensum, est dubitatio, seu ambiguitas; credulitas, et incredulitas, magis habitum mentis significant, quàm actionem; creduli sunt, qui cupiunt, qui metuunt, simplices, mites, benevoli; increduli sunt, qui rationes, causasque cujusque rei non assequuntur, aut non intelligunt, qui contrarias habent rationes quibus varie distinentur, qui nollent, qui cupiunt immodice, experti

Judicium
rectum
quod.

Assensus.

Fides.

Suspicio.

Dubitatio.

Suspiciacitas
res non ita esse, aut evenire; sunt naturaliter ingenia quædam prava, et malevola, prona ad incredulitatem universalem, quæ conglutinationem omnem, applicationemque ad alia ingenia refugiunt, nihilque volunt credere, nisi quod ipsa vel invenerint, vel attulerint; suspiciacitas habitus est animi in deteriore partem; tales sunt invidi, avari, ambitiosi, malitiosi, malevoli, experti mala multa, damna, fraudes, velut senes, et qui in negotiis dolosis sunt versati, aut inter veteratores, aut fraudulentos; suspicio gignitur, cum leves quidem remur esse conjecturas, non tamen nullas, et quæ satis sint ad movendum, utpote quum in contrarium, vel nullæ omnino sint, val tales quas plus virium habere existimemus quàm diversas; assensus facilius in securitate elicitur, quàm in cura et sollicitudine, citius enim eum capias, qui nihil timet, ac proinde nec cavet; quocirca promptius fabellæ consentimus simpliciter narratæ, quàm argumentis ex præparato ad pugnam certamenque instructis, eoque ad fidem vulgo faciendam utilior est rhetorica, quàm dialectica, uti est a nobis alio loco demonstratum.

DE INGENIO.

CAP. VI.

Ingenium.
UNiversam mentis nostræ vim, de qua sumus hactenus loquuti, *Ingenium* nominari placuit, quod se instrumentorum ministerio exerit et patefacit, mens enim est in hoc corpore, sicut qui, clausus in cubiculo, non aliam habet fenestram, per quam foras prospiciat, quàm vitream; is profecto nec alia potest; quàm quæ vitrum patitur, intueri, quod si nitidum sit, ac pellucidum, clarius, sin pulvere obductum, ac situ, obscurius cernit: est item sicuti sapiens in domo stulti, nempe, arceris sensuum, ab illis quippe ducitur, et quemadmodum conclusus cubiculo non ignorat obstare sibi vitrum, quo minus res clarius cernat, ac apertius, ita mens nostra in corpore, quæ, tametsi ducitur a sensibus, eos tamen ipsa corrigit: Hieronymus in Jovinianum mentem nostram in sensibus similem

fa-

facit sedenti in equo; nusquam ita sessor quin vehatur ab equo, sed regit tamen equum; atque hoc est inter hominem et belluam discrimen, quod homo fulcit sensuum imbecillitatem, et crebros lapsus, fallaciamque illorum per rationem assequitur, brutum autem, quod rationis sit egenum, nihil horum intelligit: hæc est mentis nostræ abductio a materia, quod supra materiam, supraque ea omnia quæ sunt materiæ atque imaginationis, se sustollit, non quod sine instrumento materiali aliquid hic possit dum inter concreta et corporalia versatur, uti jam diximus, quo fit, ut sæpenumero ab actionibus suis retardetur, cum minus se instrumentum illius facultati obsequens præbet; cuperet quidem mens plerumque optimis ac præclarissimis cogitationibus se oblectare, sed impediunt eam organa, avertuntque invitam ac repugnantem, et traducunt ab excellentibus contemplationibus ad lusus, ad ineptias, et res levissimas, quibus facilia se et tractabilia exhibent instrumenta: sed functionis rationalis organa sunt in cerebro spiritus quidam tenuissimi, et lucidissimi, quos illuc exhalat sanguis cordis; ii sunt organa intima cognitionum omnium, qui quum frigidi sunt a sanguine frigido circa cor evaporati, segnes existunt actiones mentis, et languidæ, unde homines fiunt hebetes, ac torpentes, quod subsignificat Vergilius quum in Georgicis dicit: (1)

*Sin has ne possim naturæ tangere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.*

Rursum cum calidi sunt spiritus, celeres et concitatæ sunt actiones; hinc fit, ut cordis habitudo, atque affectio, ad cogitationem, atque intelligentiam, non parum conferat, unde homines vel *cordati* nominantur, vel contra, *excordes*, et *vecordes*, et Corculum Nasica ille appellatus quod esset sapientissimus; ut cor etiam pro mente ipsa sumatur hac eadem de causa, velut in sacris litteris: *De corde prodeunt cogitationes*; et *Deus, spectator cordium*, appellatione peculiari nuncupatur, ac propria: et quanquam fons atque origo omnium actionum animi fixa sit

in

(1) Georg. lib. 2. v. 483.

in corde, officina tamen est in capite, nec enim intelliget mens, aut irascetur, metuet, mœrebit, pudefiet, prius quàm spiritus illi a corde exilientes ad cerebrum pervenerint: documento est, quòd quantumvis sanguis ferveat circa cor, nisi is ipse fervor caput attigerit, nulla exurgit animi perturbatio, ut in viris animosis et moderatis, in quibus sanguis effervescit in præcordiis, nullam tamen edunt iratorum significationem, quòd cerebrum pondum sit excafactum: sanguis et spiritus sequuntur quatuor principum qualitatum vim et naturam, prout quæque in commixtione invaluit; pituita humores gignit crassos, functionesque intelligentiæ lentas; bilis flava subitas, et celerrimas; sanguis moderatas; in insanis, et furiosis, exardescunt liquores omnes, in stupidis refrigerantur, ac condensantur; quo fit, ut utrique valentes sint corpore ac robusti, furiosi ad agendum propter fervorem, qui est in actione prævalidus, fatui ad patiendum propter frigus, quod est firmæ patientiæ.

Calor et humores, temperati, faciunt ad acumen, et sanitatem ingenii; cogitationes ex flava bili concitatas et vagantes temere, sistit atra bilis ut in id quod agunt intendant, quin etiam eadem bilis fusca, nempe densa materia, si accendatur, plus ignis calorisque concipit, idcirco non volitat per summam rerum faciem, ut flamma ardens in stупpa, vel paleis, sed penetrat intima, et profunda; accenditur porro melancholia ex agitatione cogitationum vel affectionum calidarum; oportet autem eam esse aliis humoribus admixtam, præcipue flavæ bili, tamquam frenum, ne illa, ex ingenio et natura sua instabilis, quo minime convenit se se proripiat, nam si sola sit atra bilis relicta, ex adustione humorum omnium, multa, et obscura, invadit cerebrum, densat, atque offuscat spiritus, unde furiosi et maniaci evadunt; tum exugitur corpus, ac debilitatur, quod in omni etiam contingit vehementi cogitatione, atque intentione mentis; nam in illa cerebri, atque spirituum actione, advocatur mirabili naturæ artificio a ventriculo et vitalibus calor ad caput, tamquam ad eam partem mittatur subsidio ubi plurimum laboratur, qua ex causa cruditas existit, noxiorumque humorum redundantia, et debilitas nervorum,

Melancho-
lia in inge-
nio.

rum, denique corporis universi infirmitas, atque afflictio, quòd si subtilibus, et claris spiritibus admixta sit nigra bilis, dexteritatem parit rationis, iudicii, prudentiæ, sapientiæ, hi enim descendunt alte, excuduntque atque inveniunt præclare quam plurima: huc pertinet Platonis dictum illud ex Democrito Abderita sumtum: *Nullum excellens ingenium sine mania*: hoc est, furore, qui furvæ bilis effectus est; quocirca vini naturam refert atra bilis, ut ex ratione corporis in quod infunditur, actiones producat, quemadmodum est fuse ab Aristotele in Problematis tractatum: sunt ergo omnia hæc mentis instrumenta; nec aliter quàm cum artifex instrumenta disponit, aptaque, non potest operi faciundo intendere, ita et facultas rationabilis in infantia circa liquores atque spiritus occupata penitus, nequit illa ad functiones suas convertere; est enim in aptatione et accommodatione illa tanta permixtio confusioque omnium, ut ratio quoque perturbetur, atque obruatur ipsa, quo minus exequi munus suum valeat, ut in officina quapiam perturbata; tum motus ille, atque agitatio materiæ, non sinit rerum effigies hære in phantasia; et quemadmodum in infantia non utitur ratio suis organis quia nondum sunt apta, sic neque in decrepita senecta quia jam desierunt esse apta, magno, scilicet, usu detrita, et corrupta.

Ex hisce humoribus atque spiritibus, nascitur ingeniorum, non varietas solum ac diversitas, sed adversitas quoque tanta, quanta est inter hominum facies, de quo sum loquutus nonnulla in opere *De tradendis disciplinis*; quidam habent vires ingenii validas ad laborem ferendum, et insistunt operi, ut melancholici, vel phlegmatici, loca et tempora ejusdem qualitatis ad idem faciunt, cum non omnino calor vigorem frigiditas debilitavit, nec restinxit lucem obscuritas, ideoque hi artibus manuariis sunt apti, in quibus opus est patientia experimentorum, et frustrationi operis non indignari, neque ex offensione materiam de manibus abjicere; alii leves atque infirmas habent vires, nec diu possunt durare in opere, ut biliosi, et calide sanguinei, tum populi ferventium regionum, et alii per æstum, valent enim impetu, non constantia; alii refugiunt

Ingeniorum
diversitas.

la.

laborem attentionis, ex gravi et crassa materia; alii ex deliciis, aut insuetudine, vel desuetudine; alii non patiuntur se alligari, nec quicquam possunt augere ex præscrito, sed pro libito animi sui liberi, ac soluti, magnosque labores ipsi ultro suscipiant facile, levissimos autem indictos atque impositos non ferant; celeriter currunt quidam, sed non longe, ita ut in progressu admirabiliter mutantur, et multo alii sint quàm in principio; nonnulli ut lentius, ita et longius perveniunt; multis est crebro conquiescendum, recipiendusque de integro imperus, qui facile delassantur, quibusque caligo ob aciem mentis offunditur, hos enim semper venire recentes convenit, ut verecundi, meticulosi, iracundi, omnis quoque animi affectio comota velut nebulam offundit ingenio; sunt quidam imperturbati, et sibi constantes, quibus statim venit in mentem quicquid est opus, sive lacessendo, sive respondendo, quibus omnia sunt ad manum, et *ingenium habent in numerato*, sicut de Vinicio dixit Augustus.

Aliqui in uno quolibet acutissimi, in multis perturbantur, et tamquam obruuntur copia; alii quocunque intenderit recta, perspicunt acute acriter, subtiliter, non circumferunt tamen oculos ad ea quæ ad dextram, vel sinistram objacent, qui acuti quidem sunt, sed imprudentes, et judicio carent; mutantur ingenia quædam in melius, ut cholericorum quum deferbuerunt, mutantur in pejus, ut in pituitosis, quibus, humore illo frigido invalescente, extinguitur calor, itaque obbrutescunt qui in primo ætatis curriculo videbantur cordatissimi, mutantur item ex cursu naturæ suæ, alias quoque ex natura loci, victus, otii, vel negotii; sunt qui crebras recipiunt varietates, ut ingenia sui dissimilia, sunt qui per longa intervalia, ut in flexu ætatis, in juvenia, in senecta, post morbum aliquem gravem; expedit iis qui tenuissimos habent spiritus, incrassari a loco, vel victus ratione, qua de causa melancholiam biliosis, et sanguineis, utilem diximus: dictu mirum, esse quosdam sano ad omnia ingenio, præterquam ad aliquod unum, ut Horatianus ille haud ignobilis Argis,

Qui

Qui se credebat miros audire tragædos: (1)
Cetera qui vitæ servaret munia,—

et quæ sequuntur: in materia quoque permagna est diversitas: quorum ingenium alte penetrat in ima rerum, ii multum valent in rebus gravissimis, ac solidissimis; qui volitant per summa, sunt argutuli, ac dicaculi, et cavillatores non solidi, intuentur minutias quasdam minime necessarias, quas alii negligunt, aciem habent scalpelli, non ensis, ut facile dissecent pilum latum, rei tamen duræ si admoveantur, retunduntur; alii sunt disciplinis præstantes, alii prudentia rerum agendarum, alii artibus manuariis: ex disciplinis autem, sunt quidam natura sua poetæ, alii ad linguas perdiscendas appositi, in reliqua eruditione reluctantes atque infelices; videas quosdam ad dicendum natos, fictosque, quorum orationem simplicem nulla arte adhibita admiretur, et artificiosissime dicunt absque arte, horum propriæ sunt mathematicæ, illorum medicina, aliorum jus civile, aliorum mysteria scrutari: *Hæc est distributio donorum Dei: nemo potest gloriari se accepisse omnia, nemo conqueri se accepisse nihil.*

DE SERMONE.

CAP. VII.

Democritus sermonem apte nominavit rivum rationis, et Græcis eadem vox λόγος, et sermonem, et rationem, signat; sermonem autem et verba non solum ea volo intelligi, quæ ore proferuntur, sed quæ scribuntur etiam; ex universa autem mente, tamquam ex fonte, fluit sermo, et simplicia verba ex simplici intelligentia, composita ex phantasia, apta vero, et connexa, ex ratione conjungente, et separante, sermo integer ex ratione discurrente, et judicio aptante clausulas: quocirca animadvertere est, eos, in quibus parum viget ratio, tamquam

Tom. III.

Aaa

bis

(1) Epist. lib. 2. Epist. 2. v. 229. et 232.

bis exprimere, quod vitium in linguis quoque infantibus annotatur; et quanquam ex animo profuant verba, non tamen eadem est illic compositio quæ in verbis; multa enim simplicia explicantur compositæ; multa, quæ erant simpliciter foras prolata, animus non simpliciter accipit, sed aliquid adjungit, et affingit ex celeritate phantasie coacervantis, pingentisque; multis desunt verba; opus est longo circuitu qui hebetes sunt, phantasiamque habent impeditam, et recordationem lentam segnemque, ægre quæ sentiunt eloquuntur; quibus est ratio ac iudicium citum, sed inefficax, ii loquaces esse possunt, eloquentes autem nullo modo: eloquentiam voco, absolutam expressionem eorum quæ mente conceperis aptis atque accommodis verbis: quod positum est in perfecta cujusque lingue cognitione; tum connexionem sermonis congruenti, et rationibus appositis, quod est iudicii non solum acutissimi, sed etiam solidi, et circumspæcti: Sallust. de L. Catilina bene expressit: *Satis loquentia, sapientia parum*: et multos videas facundos in narrando, in argumentis plane infantes, sicut e contrario: expansio hæc eorum quæ dicenda sunt, et circumspæctio illorum quæ adjacent, loci, temporis, personarum, atque hujusmodi, tardiloquos sæpe, ac pauciloquos facit magni ingenii, leves autem et acutissimi sunt; cogitatio dissoluta, quæ nullis rationis frenis cohibetur, ut in fatuis, et insanis, loquacissimos facit, ita enim profundunt omnia ut veniunt in buccam.

Penetratio quoque acutissima in rerum intima, et lata multarum magnarumque rerum cogitatione complexio, infantia nonnunquam reddit præstantissima et clarissima ingenia, non enim apta inveniunt verba, quibus exprimant res tantas; qui vero de rebus istis, quæ quotidie versantur in manibus, locuturi sunt, iis et verba et sensa accommoda facile ac copiose suppetunt: eget quoque sermo doctrina, atque exercitatione; nec mirum est, acutos interdum, et multis amplisque disciplinis homines eruditos, esse infantes, qui linguam parum didicerint, vel parum exercuerint: memoria loquendi facultatem vehementer adjuvat, et qui ea pollent, facile linguas perdis-

cunt,

cunt, loquunturque expedite, tamquam thesauro benigne suppeditante quæcunque sint opus; nec immerito peritia linguarum inter exempla memoriæ reponitur, ut in Cleopatra Ægyptia, et Mithridate Pontico, et Themistocle Atheniensi; quæ de causa melius omnes quamcunque linguam intelligimus quam loquimur; in loquendo enim quærimus quæ proferamus, quæ sæpe nos latent nec se diu quæsitæ ostendunt, in intelligendo autem tantummodo agnoscimus oblata; exiguus porro est hic labor, præ illo; invenias tamen nonnullos, qui quod loqui sciant, idem ipsum si audiant non intelligent, scilicet, cum loquuntur, quærunt ipsi voces per otium, et fingunt, cum vero audiunt, celeritas sermonis præcurrit attentioni, quo fit, ut intellectio perturbetur; quo de genere sunt ii potissimum, qui ex lectione didicerunt magis linguam, quam audiendo.

Vehementius autem admirere, si videas, qui quod loqui sciant, loquentibusque aliis facile intelligant, idem illud eos fallere, si legant; hi sunt ad attentionem segnes, quibus loquentibus vel audientibus calor ille orationis excitat attentionem, versis autem ad legendum, et refrigeratis, remittitur attentio, et torpet intelligentia: sunt qui melius loquantur, quam scribant, quod de Galba tradidit Cicero, idque evenire ait hominibus ingeniosis quidem, sed parum doctis, qui ardore illo dicendi remisso, cum arte non adjuventur, impares sunt sibi ipsis scribendo, docto autem homini pro fervore animi esse industriam; sed ars tamen non multum proficit, cum vigor ingenii languet, sicut in erudito delassato, aut ægro, aut perturbato: alii cum usum ab eruditis acceperint, nec satis tamen norint cur quicque dicatur, translati ad scribendum volunt aliquid efferre politius atque elimatius, discedunt a recto illo usu ad pravum sermonem atque imperitum. At quandoquidem sermo ex ratione oritur, tam naturalis est homini sermo, quam ratio, ubicunque enim est fons, ibi et rivus; nullus tamen certus est, ac naturalis, omnes sunt ex arte, unde distinctæ sunt lingue, quarum tractatio alterius est speculationis; sermo omnis vel scriptis verbis constat, vel prolatis vocibus, quod etiam nomen ad scripturam quoque accommodatur; vox est quidem

Sermo naturalis.

Vox.

sonus quicumque, sed aptius, et peculiarius, quem animans edit ore ad aliquid significandum; articulatus autem sonus, et distinctus, solius est hominis, ad cuius imitationem aviculas quoque et instrumenta musica, quæ sonos edunt sine iudicio atque intelligentia, voces emittere dicimus: voces in homine signa sunt animi universi, et phantasæ, et affectuum, et intelligentiæ, et voluntatis, in belluis autem tantummodo affectionum, quemadmodum in nobis voces inconditæ, quæque a Grammaticis interjectiones nominantur: admirabile est, tantam humani oris sonorum diversitatem tam paucis potuisse litteris comprehendere, unde confecta est verborum, sermonis, linguarum tanta varietas, et copia.

DE DISCENDI RATIONE.

CAP. VIII.

Doctrina.
Disciplina.

DOctrina est *traditio eorum, quæ quis novit ei qui non novit*; disciplina est *illius traditionis acceptio*, nisi quod mens accipientis impletur, dantis vero non exhauritur, immo communicatione augetur eruditio, sicut ignis motu atque agitatione: excitatur enim ingenium, et discurrit per ea quæ ad præsens negotium pertinent; ita invenit atque excudit multa, et quæ in mentem non veniebant cessanti, docenti aut disserenti occurrunt calore aciente vigorem ingenii, idcirco nihil est ad magnam eruditionem perinde conducens, ut docere. Disciplina est duplex, altera est appositio qualitatis in animo, ut cum lingua nova traditur, quod fit in hominum inventis; altera est educio ingenii de potestate in actum, sicut in scientiis, artibusque, quarum est materia res naturalis, illarum enim omnium, sicuti antea diximus, semina sunt naturaliter menti nostræ indita, velut stirpium ipsi terræ, ut nihil videatur aliud docens agere, quam quod sol cum vi sua profert ex seminibus germina, proditura alioqui per se, sed non tam feliciter, nec tam cito: docent bruta sobolem suam ut citius faciant quod per se nihilominus facerent, ut avis pullum suum volare, felis

ve-

venari mures, ut quam citissime videant eos sui similes, hoc est, in sua specie perfectos, nos vero docemus illa ut quod vel nunquam facerent, vel aliter, faciant uti nos volumus, neque aliud est nostra in eis doctrina, quam assuefactio ad nihil fere aliud quam ad corporale exercendum aliquid, ut loqui, currere, aut modo aliquo corpus, seu corpora partem aliquam movere; brutum ad sua edoctum est magisterio naturæ, nos indigemus, et nostra exercitatione, et admonitione aliena, ut proferamus quod est inditum.

Cursus discendi est ex sensibus ad imaginationem, ab hac ad mentem, qualis est, et vitæ, et naturæ; itaque a simplicibus progressio fit ad conjuncta, a singulari ad universale; quod est annotare in pueris, qui (ut dudum dicebam) primum exprimunt partes separatas singularum rerum, deinceps conjungunt et copulant, universalia etiam singulari vocant nomine, ut fabros omnes nomine ejus fabri quem primum noverunt, et omnes carnes, capum, aut bubulam, si eam primum nominati audierint cum incipiunt formare verba; tum ex singularibus mens colligit universalia, unde ad singularia rursum ex universalibus revertit; itaque primi magistri sunt sensus, in quorum domo est conclusa mens, e quibus princeps est visus; qui, ut Aristoteles inquit, plurimas nobis rerum species patefacit; auctorque ad investigationem fuit sapientiæ, quemadmodum præclare scripsit Plato; nam ex aspectu nata est admiratio, ex qua animadversio, et scrutatio, studiumque sapientiæ: post cognitionem autem rerum inventam, artesque constitutas, audiendi sensus tum plura, et majora, tum celerius docet; accipimus enim brevissimo tempore quæ tradens paravit longo, nec immerito *sensum* hunc Aristoteles *disciplina* nominavit, quæque animantes eo careant, disciplinæ non esse capaces, quo magis miror fuisse mutum et surdum natum, qui litteras didicerit, fides sit penes Rodolphum Agricolum, qui id memoriæ prodidit, et se illum vidisse affirmat; quanquam in artis ingenii nostri limitibus admirabilis est latitudo facultatis ac virium; quam bene egit Deus cum homine, ut quod necessarium esset tam in obvio proposuerit! nihil utilius quam multa discere,

Discendi
cursus.

Visus.

Auditus.

ni-

nihil facilius quàm multa audire; ipsum quoque ingenium in quibusdam hominum, natura sua dextrum, et felix, vel tenuissima ope extrinsecus adjutum, mirifice se se extendit et dilatat, sui que ipsius magister est atque institutor, nec perinde a sensibus doceri, aut etiam interdum ab homine magistro potest, ut docetur a semetipso, unde sunt illi *αὐτομαθεῖς*.

Ingenium felix habent primum, qui rerum imagines eorumque quæ loco vel tempore comprehenduntur, facile atque apte concipiunt, quos Græci *εὐφρατασιώτες* vocant ut Quintilianus tradit; hi sunt ad describendum et narrandum aptissimi, unde et argumenta facile colliguntur efficacia; tum qui vel natura sua, vel arte celeriter discunt, et recte colligunt, et solerter conjectant, in quo numero ponuntur naturales Dialectici, et potissimum qui cujusque rei ultimam originem dextre investigant, quales fuerunt Aristoteles et Galenus; jam quibus, nullo admonente, omnia quæ opus sunt, veniunt in mentem, quos Hesiodus in primo genere excellentiæ collocat, qualem fuisse Themistoclem tradit Thucydides, grandia et præstantissima quocunque in genere disciplinæ, ac cognitionis, ingenia sunt naturæ beneficio, quæ insito quodam velut impetu ad res maximas præclarissimasque impelluntur, et sortita sunt in mente imaginem rei exactissimam, ceu canonem ad quem, et quæ ipsi, et quæ alii agant in eo genere, accommodent velut ad normam; quo fit, ut tum sua, tum aliorum vel errata, vel recte facta, deprehendant acute, ac dijudicent: ideas Plato formas ejusmodi nuncupavit, rerum agendarum verissima et certissima exemplaria, quæ si extrinsecus doctrina et usu adjuvantur, dictu incredibile quanta sit ejusmodi ingeniorum magnitudo et excellentia; juvat mirifice ad eam rem, versari cum iis diu et multum, legere etiam attente ac diligenter eorum monumenta, qui tantum hoc bonum sunt nacti, necesse enim est ut aliquid ex assiduo illo velut affricatu adhærescat: accedit celeritati huic mentis et acumini, meditatio atque usus cujusque disciplinæ, quæ illam auget magnopere, neque enim tam scitur quod tacita contemplatione est acceptum, quàm quod in exercitamentum usumque transmittitur, in artibus ac-

Usus.

tio-

tionum et externorum operum, in virtute, in musica, eloquentia, fabrili arte, pictoria, et reliquis hujusmodi, tantoque est profectus major, si perseveretur in opere sine offensione, aut indignatione animi; durandum est, et persistendum, quodque hac non successit, alia tentandum; luctari oportet cum opere, non indignari.

In scientiis autem contemplationis, pro meditatione atque exercitamento est tacita cogitatio, atque expansio, qua altius in rei notitiam penetramus, quàm disputationibus vel altercationibus, quæ plus sæpenumero obruunt iudicium, quàm exacuunt; etiam ingenia mediocria, quæ non adeo sunt formulis illis a natura instructa, quantumcunque maximorum ingeniorum adjuncta monumentis, non tamen tantum efficient, quantum illa excelsa, et velut grandi quodam numine afflata, deest enim illis superioribus, quod maximum est, exemplar illud rei bene atque excellenter exequendæ: hæc quidem interna: externa sunt, magister et instrumentum; magistro non satis est bene quæ profiteretur scire, nisi expedite ea possit explicare, et artem, dexteritatemque, eam ad rem adjungat; quod si contingat, breviter in magnam eruditionem docilis discipulus evadet; docilitatem adjuvat diligens attentio, cum animus in eo est cunctus quod videt, quod audit, nec aliis se se cogitationibus procul abducit; breviter etiam proficiunt qui recolunt singula, et reputant secum: adde his quos non pudet discere: qua de causa *superbi* disciplinæ viam pravo illo affectu late sibi interrumpunt: *Magnum profectus omnis impedimentum*, dicebat Bion, *esse arrogantiam: Si fueris discendi cupidus* (inquit Isocrates) *eris brevi eruditissimus*: adde istis illos qui non arbitrantur se multum in eruditione promovisse: præclare Seneca: *Puto, multos ad sapientiam potuisse pervenire, nisi se jam pervenisse credidissent*: sistat enim necesse est qui nihil existimat restare amplius in quod tendat, et tamquam ad extremum pertigerit, quiescat. Sunt qui docentem præcurrunt, sunt qui sequuntur, doctrinamque satis capiunt, et ea acquiescunt: hi sunt intelligentia præditi, nolunt tamen, aut nesciunt, in ea perscrutari, quod discursum habent rationis lentum, aut vim mentis non

Docilitas.

in

in sua potestate, sed dissolute effuseque divagantem: ex his autem qui præcurrunt, alii faciunt id dextere, qui ratione ac iudicio pollent, inepte alii, qui ad conjectandum sunt inidonei.

Memoria. Eorum, quæ traduntur ab institutore, receptaculum, ac thesaurus quidam, est memoria quæ illa omnia conservat; supervacaneus est labor disciplinis impensus, nisi sit quo accepta contineas; si effluunt omnia, perinde est ac si in dolio pertuso aquam haurias, ut de filiabus Danaï est in fabula; idcirco puerilis ætas accipiendis quæ traduntur est appositissima, propter liberam memoriam expeditamque, nec aliis impeditam cogitationibus et curis, grandiores enim natu adferunt secum alios cogitatus, qui non facile venienti doctrinæ cedunt: huc accedit, quod pueri non reputant laborem sedendi, attendendi, legendi, scribendi, ediscendi, operandi, idcirco minus delassantur, adultos vero non parum defatigat operæ ac laboris expensio; Græci apposite, quos bene rem aliquam edoctas volebant significare, nominabant *παιδομαθεῖς*, quasi a pueritia institutos, quanquam seniori in locum facultatis discendi succedit iudicium certius, et prudentia experimentis collecta, hoc est, industria pro viribus. Alterum præceptoris officium est, emendare ac corrigere, quod non est minus utile quam umbratilis explicatio præceptorum, et eo magis, si corrector cur quicque vel prober, vel rejiciat, tum norit ipse, tum sciat tradere, et velit diligenter explicare, vitamus enim damnata, pergimus qua videmus eum præire, ac nos ducere; quod si solidi sit et exacti iudicii præceptor, plus ab emendatione paratur iudicii, quam ex aliis omnibus scholæ exercitamentis; collatio cujusque, et secum procedente tempore, et cum alio, ponit ob oculos quantum simus progressi, quid acquisitum est, quid deest: accedunt hisce omnibus instrumenta, non parva utique artificis pars.

Emendatio.

Instrumenta.

Manus. Natura, homini, artificum omnium in hoc mundo prætantissimo, instrumentum externum est largita, cui nullum potest omnino comparari, manum, scilicet, de cujus aptitudine, commoditate, utilitate longum esset disserere, nec hujus tractationis; ipsa etiam verborum vicem supplet, quod videre est

in

in mutis hominibus et iis qui inter se sunt barbari, illos enim sine gesticulatione manuum non tam facile intelligeremus; tamen si usum tam apti, tamque congruentis instrumenti, supra modum peritia solertiaque artificis adjuvat et regit, et haud scio an artificis excellentia tale reddat instrumentum ipsum; quippe hoc quotidiana experientia facile demonstrat, quo quis polleat vel ingenio, vel arte aliqua, eo paucioribus, et levioribus, minusque accommodis instrumentis, pulchriora atque exactiora opera perficere; nec credere, nisi qui viderunt, possint, quid homo sinistra manu agat, præcisa dextra, quid ipsis pedibus, cum caret manibus, *cibum ori admoveere, scindere, suere, texere*, acuate vim mentis necessitate, ut in cæcis et mutis. Nihil est menti similius quam oculus corporis; eruditio est menti, quod lux oculo; et mens eruditionis ope speculatur, ac cogitat, et oculus ope lucis intuetur; ac quemadmodum splendidissima lux præstringit oculos, ferunt tamen illam paullatim validi, opprimuntur imbecilli, atque infirmi, sic eruditionem sustinent magna ingenia et solida, parva atque inania non sunt ferendo, sed sub illa tamquam onere iniquo franguntur, et concidunt, ut oculi ad magnum fulgorem cernendi vim amittunt; cum autem perpauca sint firmis solidisque ingeniis præditi, fit ut in opificiis omnibus vitæque artibus plurimi multum promoveant, et celeriter, in excellenti vero eruditione rarissimi, lente, prætenuiter.

Ingenium quoque ipsum inferioris notæ, assuetum in fulgorem illum eruditionis intendere, adeo stupescit, ut nec scientiam ipsam cernat, nec jam ad res alias translatum inveniatur idoneum et congruens, quemadmodum oculus magno aliquo hebetatus splendore; quin et ipsi quoque probe ac feliciter instituti, cum subito se ad res istas vitæ inferiores, quæ veluti in obscuro sitæ sunt, se se transferunt, videntur cæcutire, ut qui a lucido loco derepente in tenebrosam ingreditur, quod multi non considerantes, admirantur homines doctissimos non adeo esse in re publica aut familiari prudentes, ut imperitos, qui in illis sunt exercitati; et cursus eruditionis lentus est, tandemque ad metam gradu pervenitur, in aliis autem vitæ exer-

Cur pauci docti.

citamentis, plerique omnes multum assequuntur brevissimo tempore, et acutiores existimantur, aptioresque ad omnia negotia; nimirum studia sapientiæ posita sunt in arduo, affliguntque, ac debilitant ingenia quoad assueta jam respirent, ac recipiant vires, cum quidem sunt natura sua firma et robusta: jam vero reliquæ artes, cognitionesque, brevissimis sunt limitibus comprehensæ, quos pertingere haud est sane operosum, ita indocti felicissime videntur in suis negotiis versari; sapientia longissimos habet fines, aut nullos potius, et diutissime est decurrendum prius quam in tanta curriculi vastitate aliquid videaris promovisse, sed postquam eruditus homo, confirmatus, et paratis ex studio scientiarum opibus, applicat animum ad vitæ administrationem (bona utique fide, quod rari a se possunt impetrare, neque enim tanti esse ducunt) sed cum applicat tamen, longissime alios omnes antecellit, ostenditque manifesto quantum inter ruditatem et peritiam intersit.

DE COGNITIONIBUS SEU NOTITIIS.

CAP. IX.

PRima ergo cognitio est illa sensuum simplicissima, hinc reliquæ nascuntur omnes, aliæ ex aliis, et crescunt augenturque, quod non solum in artibus disciplinisque experimur, ut Aristoteles in Resolutoriis docuit, sed in ipso vitæ totius cursu; rerum aliæ cadunt sub sensus, quæ foris sunt expositæ, seu obviæ, aliæ sunt reconditæ; tum ex obviis quædam sunt præsentis, quædam absentes; res expositas præsentis cognoscunt sensus, absentes autem imaginatio, consideratio autem, mentis opes scrutatur, et mentem quasi in se ipsam reflectit ut recognoscat quid contineat, quale, quantumque sit, ratio autem, ex obviis, concretisque, reconditas, et vacantes corpore, eruit, ex singulis rerum generalia, quæ omnia tradit suæ intelligentiæ, ac deinde contemplationi, si vacat: et quemadmodum oculi corporis indigent lumine exteriori ad cernendum, ita oculus mentis lumine interiore ad intelligendum et cognoscendum.

Res

Res vel sunt naturæ hujus mutabilis ac temporariæ, vel illius immutabilis ac perpetuæ; ad hæc intuenda opus est lumine supernaturali, cujus cognitio Sapientia nominatur; si est naturæ hujus fluxæ ac instabilis, vel est in ea variabile, ut quæ de singularibus cognoscuntur, vel de universalibus quidem, sed quæ non obtinent constantiam perpetuam, opinabilia nuncupantur a M. Tullio, eorum claritas sit sane verisimilitudo, sive (ut aliis placet) opinio, vertentibus e Græco *δὲξαι*; universalia, cujusmodi fere sunt: *Filium a matre diligere, huic morbo hanc aut illam herbam mederi, sic affectos animo hæc aut illa vel cupere vel aspernari, hoc habitu celi hæc contingere*, quæ exceptiones recipiunt, et varietatem, tametsi in his magnum est inter singularia discrimen, et qualiacunque universalia, nam de generalibus statui possunt regulæ ac præceptiones unde ars existat aliqua, et disciplina, de singulis, utpotè infinitis, et infinite variis, nulla, neque enim est ingenii humani ea persequi quorum iniri numerus non possit, quapropter Plato in infimis formarum merito jubebat conquiescere descendentes, prius quam ad insecabilia pervenirent; sed revertamur ad propositum.

Restat tertium, quod est in natura mutabili perpetuum et constans, qualia sunt, quæ semper eadem atque uniusmodi persistere animadvertimus, velut coelestia, et in his sublunaribus, quæ naturalia sunt generi alicui, aut formæ; hujus lucem habemus a natura inditam, sicut prius loquebar, ex quibus alia permulta colligit ratio, cujus cognitio Scientia vocatur, lumen autem secundi est longissimus quidam ex naturali lumine splendor, auctus solertia, institutione, meditatione, exercitatione, de ipsa, quæ nitro adfert multa in primis illis naturalibus, iisque quæ sunt primis proxima, id est, quæ ex principibus brevissimo atque apertissimo tramite ducuntur, sed longius tamen progressis tenebræ obvolvuntur ilico, non a rebus, sed a nostris ingeniis, quæ gravi hac corporis mole onusta, et tarditate impediuntur, vel nube aliqua interjecta perturbantur, atque hallucinantur; itaque modus cognitionis, lucisque, in assequenda veritate, nostrarum est mentium, non rerum, nam sunt qui in rebus apertissimis cæcutiunt, et tenebræ illis offunduntur

Res mutabiles et immutabiles.

Sapientia.

Verisimilitudo.

Scientia.

Bbb 2

etiam

etiam in claro meridie, vel ex ignorantia, vel ex torpedine, alii obscuriora clarius cernunt beneficio ingenii vel naturalis vel exculti: quo plus ergo est lucis, plus scientiæ, quo minus, plus dubitationis, si nihil sit prorsus, aut ita parum ut pro nihilo ducendum sit, ignorantia se diffundit, tamquam densa, in nubila, atque illuni nocte, obscuritas, sine scientia, sine verisimilitudine, sine ambiguitate, quocirca nec scientia, nec verisimilitudo est erroris causa, sed caligo luci admixta quæ lux nulli contingit pura obumbrante corpore, quoniam enim posset ignorantiam scientia parere, aut errorem peritia, aut nebulam fulgor? Nec aliter quàm mutatur luminis qualitas, et vis, ex objecta mole, ut alia plus aut minus admittant claritatis, ita illuminatio mentis ex multarum rerum in vita hac quasi objecta, admirabiliter redditur varia, ut diversissime homines tum colligant, tum judicent, et statuunt, sive de bono, sive de vero; sunt autem hæ res, corporis constitutio, ætas, valetudo, robur, assuefactio, integritas, affectio præsens ex qualitatibus temporariis quas gignunt alimenta loci et temporis, tum actiones, atque externa, tametsi hæc variant prout cuiusque est animus, et mores, in animo affectiones omnes, in mente tarditas, celeritas, acumen, hebetudo, doctrina, secta inveterata, aut certe persuasio quæ prior adhæsit, mores, consuetudo, auctoritas alterius; unde tanta in sentiendo, et statuendo, et tam crebra varietas, atque adversitas, non solum hominibus inter se, verum etiam cuique secum, ut sequens temporis punctum prioris sententiam, decretam omnino et fixam, damnet penitus, ac tollat.

DE CONTEMPLATIONE.

CAP. X.

SEquitur post actionem quies; ratio est veluti scrutatio, iudicium electio, contemplatio autem inspectio quieta et tuta omnium, quæ a ratione sunt collecta et exculpta, a iudicio autem recepta atque approbata; non est in ea ratiocinatio ulla, in

in qua omnia sunt certa jam, atque exposita, et quando delectatio omnis nascitur ex proportione quadam, congruentiaque objecti cum facultate, nihilque est menti congruentius quàm veritas, fit ut in contemplatione magnæ sint delectationes mentis nostræ; in quo tamen spectantur veritas et ingenium, nam veritates tam sunt gratissimæ, quàm certissimæ, maximeque defæcatæ, prolatae simul cum suis originibus primisque causis, id vero si non concedatur, secundum est ut ad veritatem quàm proxime accedant, simillimæque sint; nemo est tam torpenti et abjecto in terram animo, quod non exciteretur ad hanc vocem: *Ego tibi hujusce rei causam patefaciam*: adeo insitum est a natura humanis pectoribus causas velle cognoscere, ut merito felicem illum Poeta pronuntiarit, (1)

—*Qui potuit rerum cognoscere causas,*

ingenia vero similitudine ac proportione delectantur, summa et præstantissima rebus excellentissimis, et alia deinceps, ut est cuiusque gradus, usque ad infima et despiciatissima, quæ vilissimis ac nugacissimis rebus tenentur.

Voluptas hæc contemplationis tanta est generosis mentibus quæ illam semel degustarunt, ut renuntiassent gentiles multos rebus humanis universis propter eam solam, mirandum non sit; hoc, vel incredibile sane, vel absurdum videatur iis, qui spiritalis illas dulcedines nunquam gustarunt; his de causis, beatissima omnium erit illa in cælis contemplatio, quippe de Deo, quo nihil excogitari potest amplius, vel excellentius, tum dimota omni nebula, non verisimiliter, sed verissime certissima veritate ostensa, causisque rerum omnium in ipso auctore perspectis et cognitis, liberatis quoque nostris mentibus ab obscuro hoc et tenebroso carcere, cum nulla erit amplius distinctio et differentia iudiciorum ut alia aliis placeant, idem erit omnibus iudicium: quæ ad sciendum tantummodo faciunt, manent in contemplatione ipsa, nullum habent foris usum, quæ vero ad bonum de agendis sunt, foras se proferunt, in quibus,

(1) Virgil. Georg. lib. 2. v. 490.

bus, quæ certas fixasque habent præceptiones, vel perpetuas, atque invariabiles, vel admodum universales, arte continentur; Ars. est enim ars collectio generalium formularum ad usum aliquem tendentium, quæ vero circumstantiis, seu negotiis, variantur (cæ sunt enim *πρὸς ἄλλα*) hoc est, locis, temporibus, personis, et Prudentia. ejusmodi, circumspeditionis sunt, seu prudentiæ, quam multi judicium appellant; sed in his nominandis magno in errore versatur communis sermo, de quo sum sæpius conquestus.

V O L U N T A S.

C A P. XI.

Cognitio omnis propter bonum expetendum est tributa, sensualis propter sensuale, mentalis propter mentale, ut cognitum bonum expetat, expetendo autem sequatur donec se illi adjungat quantum quidem fieri possit, et congruat, sic enim illi erit bonum, nec aliter, malum vero, quod bono sit contrarium, aversetur, et defugiat, ne se illi applicet, quo fiat ei malum; facultas quæ id exequitur, in brutis appetitus est sensualis, seu voluntas in homine; est igitur voluntas, *Facultas, seu vis animi, qua bonum expetimus, malum aversamur, duce ratione*: nam mutæ animantes duce natura, quæ sensus extimulat: sunt ergo in voluntate actus duo, propensio seu amplexus boni, et aversio mali, orbatio est utriusque, cum illa otiosa neutram, in partem inclinat; voluntas quidem ipsa, domina est omnium et imperatrix, sed per se nihil habet lucis, illuminatur a mente, hoc est, a ratione ac judicio, quæ apposita est illi velut consultrix ductrisque, non ut regat aut torqueat, sed ut dirigat, et meliorum admoneat; itaque nihil voluntas appetit, aut devitat, nisi a ratione præmonstratum, quocirca actus voluntatis a voluntate quidem producitur, a ratione autem judicatur, et suadetur, atque, ut sic dicam, a ratione gignitur, a voluntate paritur: magistra est igitur, et præceptrix voluntatis, ratio, non domina, voluntatem enim humanam liberam jussit esse auctor suus, et quasi sui juris, ac mancipii; obtemperat qui-

Voluntatis
libertas.

quidem illa semper rationi, sed nulli uni est alligata, sequitur autem quamcunque libuerit ex propositis; liberam quidem animo inter actum et orbatorem, velle non velle, nolle non nolle, non inter duos actus contrarios, quando enim vis hæc nihil potest velle nisi sub aliqua boni facie, nihil nolle nisi sub mali, ostensa boni specie, non mali, potest quidem non velle, sed non potest nolle, hoc est, aversari et odisse; vicissim quoque, objecta mali specie, non boni, potest non nolle, sed non potest velle, hoc est, amplecti et amare.

Declaratur autem jus libertatis hujus, et domini, voluntatis, multis modis: Primum quòd libera est ante consultationem, licet enim illi referre ad mentem, de quo deliberet, et non referre; tum in ipsa deliberatione licet, vel jubere rem differri, vel in universum silentium indicere, intentionemque mentis aliorum convertere, non aliter quàm princeps, qui consultari de negotio quopiam imperat, vel omitti prorsus, vel rejici; quin etiam posteaquam est decretum, potest ipsa se voluntas cohibere, nec id expetere quod judicatum est a consultore esse bonum; ipsa quoque consultatio ex libertate est, quòd non rapimur fixo atque immutabili naturæ impetu velut belluæ, sed ratio disquirat, quo sit eundem, aut unde declinandum, et expendit quid in quoque vel boni insit, vel mali; potest item voluntas ulteriorem deliberationem indicere, et quasi amplius pronuntiare ne ibi sistatur, sed inquiretur an quicquam inveniri queat potius, et conducibilius; multis quoque propositis ostensisque, etiam si efficax et valida ratio unum aliquod prober, ac suadeat, si quod aliud tam faciem præ se fert boni aliquam, quamvis tenuissima, potest huc se se flectere, et ex sola suspiciuncula hoc sumere, altero repudiato in quo insit permagna boni et species et essentia; quàm in rem magnam ei ansam præbet quòd res nostræ omnes mixtæ sunt bonis ac malis, tum ex nobis ipsis, qui ex rebus diversissimis constamus, multaque sunt nobis circumspectenda et respicienda in animo, in corpore, in externis; in tanta autem rerum varietate nihil venire potest sub consultationem, in quo rationis vis non et bona et mala deprehendat, quæ suadeat, quæ dissuadeat, pro locis, temporibus per-

personis, qualitate, et ejusmodi; sæpe etiam, ut se ostendat voluntas esse dominam, rejicit ac spernit omnia, haud aliter quàm princeps, qui ne videatur a quoquam regi, salutaria omnia consiliatorum suorum monita excludit et respuit, fitque (quod dicit ille in satyra) (1)

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione libido,

tametsi neque hoc sine boni forma, nihil enim potest voluntas expetere, aut agere, nisi eo proposito, quòd ratio aliqua bonum esse censuerit; illud porro statuit sibi esse in eo bonum quo movetur, ut potentiam suam et libertatem noscant omnes, quod princeps interdum pluris facit quàm consilia omnia præsentium rerum statuit utilia: adolescentes etiam nonnulli, quo se liberos esse declarent, nec obtemperare cujusquam jussis, quæ, vel parentes, vel præceptores, probe monent, fastidiose et contumaciter aspernantur.

Hæc quidem in libertate actionis internæ: in externis quoque patet libertas; nam ubi rem approbavit, potest non exequi, aut postea quàm capessivit, cessare, nec tantum præstare quantum ei licet, nec tam celeriter: bruta nihil horum habent, naturalis enim facultas agit semper quantum, et quàm cito per vires ei conceditur; nam quod mutæ animantes agant fortius et celerius uno tempore quàm alio, non est hoc quod voluntario remittant vires, aut intendant, sed extimulata partim foris a qualitate loci aut temporis, partim intrinsecus a corporis habitudine, vel animi affectu, excitant atque exacuunt vires, et reddunt majores ac vegetiores, ut ignis oleo injecto, vel sufflatus, aut arida materia subdita, vel ubi repugnantiam frigoris aut humiditatis devicit, fit acrior; semper autem, ut hic ardet pro viribus præsentibus, ita bellua agit, aut patitur, quippe quæ fertur cæco et latenti quodam sive raptu, seu vocatione; quin et ex hominibus quam quis in belluæ naturam atque ingenium degeneravit, tam sine consultatione rapitur ad actiones suas præceptis: sunt quædam animalia ad simulationem

et

(1) Juven. Satyr. 6. v. 223.

et dissimulationem a natura facta, ut vulpes, et felis quum venatur murem, quæ cautio nascitur ex metu ne quid patiatur aut amittat, nam in bruto cum ad suum objectum ruenti offertur periculum, retardatur prior impetus ab altero contrario; non est ea consultatio, sed impedimentum prioris motus, ut quum pila missa ex adverso repellitur, vel inhibetur, tandem quæ validior est concitatio abripit secum obsistentem; in hominibus autem quum affectus duo adversi pugnant vehementer concitati, etiamsi fervore illo animi opprimitur mens, non est tamen nulla deliberatio; qui enim ex illis vincit, non sine ulla omnino vincit ratione, tametsi perexigua, sed quæ judicio ab affectu decepto efficacissima videatur in præsentia, dignissimaque cui obtemperetur, eaque est peccantis ignorantia, qui quod expetit existimat esse bonum in præsentia, non considerans aliud esse melius etiam nunc, et futurum bonum, quo sperant se malum hoc compensaturum, incertum est.

Grande Dei munus est libertas voluntatis, qua ille nos filios suos constituit, non servos, et in nostrâ posuit manu *quales nos vellemus effingere opitulante illius favore ac gratia*, alioqui nihil, quod ad excellentiam virtutis attinet, inter nos et belluas distaret si tam omnia in nobis ageret potentia quædam naturæ necessaria atque inevitabilis, quàm in brutis; et voluntatem nostram movent eadem illa, quæ judicium contactu quodam, sicut qui primum annulum trahit in torque, et secundum, et tertium trahit ob eorum inter se connexionem; instigatur quoque a mentibus superioribus, ut Angelis et dæmonibus, a Deo autem potissimum, a quo solo potest cogi, videlicet, a quo uno accepit non libertatem modo, sed esse; quum vero est a vi et potestate majore concitata, assurgit supra modum naturæ ac facultatis suæ; atque eo magis et evidentius, quum a Deo ipso, editque ea opera, quæ ipsa eadem, ubi facta sint, admiretur, et si velit animadvertere, evectam se a vi superiore facile intelligat. Sunt qui humanam voluntatem cælo penitus subjiciant et astris, ab illis nos impelli et cogi prorsus asserant, nedum admoneri vel instigari, quo de genere sunt mathematici; videlicet agunt isti ut mos est fere eorum qui

Voluntas
Cælo non
subditur.

uni se arti alicui penitus tradiderunt, aut qui ex ea magnum vel nomen vel quæstum venantur; vellent quæcunque sunt in mundi universitate, sub illius scientiæ materiam et limites venire; id vero plerumque non tam artis amore immodico, quàm sui ipsorum, ut id scire ac tenere videantur, quod in orbe sit non præcipuum modo, verum etiam pæne solum: sed profecto cælum ut inanime, non aliter potest nos movere aut impellere quàm per sui simile, hoc est, per constitutionem corporis; quòd si cœli naturales sunt facultates ad agendum, ex una facultate et causa non poterunt effectus existere contrarii; atqui, sub unoquolibet sidere, voluntatem hominis, etsi ad hoc aut illud sollicitetur, videmus nihilominus ad utrumcunque fuerit collibitum se applicare; quod est valde pugnans cum actione naturali, quæ certum unum aliquod effectum necessario producit, nec est quicquam magis a necessitate alienum et distans quàm libertas; itaque si in cœlis ac sideribus est necessitas, in voluntate autem, sicut ostendimus, libertas, apparet profecto res esse inter se diversas admodum et repugnantes cælum et humanam voluntatem.

Alii autem in Dei et prævidentia, et providentia perturbantur, quemadmodum cum illarum veritate constare voluntatis nostræ possit libertas, ut quod præviderit Deus futurum, mutare voluntas humana possit sua libertate, et Deum vel fallere, vel mendacem facere? Ceterum Dei prævidentia non magis libertatem mihi meam adimit, quàm aspectus tuus, dum me aliquid agentem intueris; sed neque providentia; quippe est prævidentia mens divina cuncta præcognoscens, vel (ut aptius loquar) *noscens præsentia*, nihil est enim illi præteritum aut futurum; providentia est voluntas consilio immenso universa gubernans; atqui voluntas hæc divina, voluntates angelicas et nostras liberas esse iussit; itaque quod libere agimus, per illam agimus, id est, illius præscriptione ac beneficio; ille autem falli posset, aut mentiri, si quid esset ei venturum, aut transactum, ut nobis, nunc autem, cum ei sit æternitas tota præsens, nemo sit de illius sapientia ac veritate sollicitus. In voluntate actus sunt duo, approbatio, et reprobatio, ex quibus

Voluntatis
actus duo.

ac-

actus exteriores proficiscuntur; approbatio, quæ est de bono, parit executionem ad illud consequendum, reprobatio autem, quæ de malo, vel insurrectionem ad illud superandum, vel contractionem et fugam ad evitandum; multi approbant iudicio, et voluntate, sed languida ac inerti, quæ foras non exit, de quibus est illud Salomonis: *Vult et non vult piger*: est enim voluntatis alter actus, qui priorem illum impedit, nempe difficultas in exequendo, quàm voluntas pro malo ducit, et illi bono, quod ipsi eidem placuerat, opponit: illud est admirationi compluribus quid causæ sit, cur magis voluntas nostra erga vetita accendatur, atque stimuletur, quàm erga libera, quæque permittuntur et licent! An in multis, quia vulgaria et communia non vetantur, sed rara et preciosa, idcirco prohibitionem rei alicujus suspicio statim suboritur rem esse expetibilem, unde cupiditas excitatur, atque irritatur? Alii curiositate cognoscendi adducuntur, quod non dubitant quin sit cognitione dignum, a quo arceatur cognitio; an vero in iis, qui quod vetatur, quid et cujusmodi sit, non ignorant, desiderium solutum ac liberum remissius est, tamquam ventus in plano dissipatus, qui si cohibeatur in angustias, ilico invalescit, et sumit vires ac impetum, ita voluntas soluta lenta est, astricta vehementior fit et concitior? Quæ in nobis naturalia sunt non auscultant voluntati, ut recte valere, aut secus, et si sunt in nostro corpore non pauca, quorum facultates quidem a natura accipimus, actus autem eorum ex voluntate oriuntur, ut posse audire, loqui, comedere, naturæ sunt munera, audire autem vel non audire, loqui aut non loqui, comedere aut non comedere, ad libertatem referuntur: quòd si voluntas imperatrix est humanorum actuum, pænes ipsam est bene aut male facere, virtus et vitium, laus et vituperatio, præmium et pœna.

DE MENTE IN UNIVERSUM.

C A P. XII.

EXpositæ sunt nobis pro virili parte nostra actiones humanæ

Ccc 2

men-

mentis, restat quænam illius sit essentia investigare; ipsa quidem illius essentia per se ignoratur, sed quando in hoc est a Deo condita, ut cum ipso ad immortalitatem beatitudinis jungatur, nihil possumus definire aptius, quàm si ejus esse dicamus substantiæ, quæ et capax sit divinitatis, et jungi cum ea possit; tam capax utique divinitatis, ut cognitio pariat amorem, adeo autem jungatur, ut ævo infinito sit beatissima: *Dicamus ergo humanam mentem spiritum esse per quem corpus, cui est connexus, vivit, aptus cognitioni Dei propter amorem, atque hinc conjunctioni cum eo ad beatitudinem æternam*: nam mens nostra sicuti a summo ad imum descendit, quod est corpus, per amorem Dei auctoris erga illam, qui descensu ejusmodi communicare vult suam beatitudinem et illi, et rebus omnibus quibus ipsa est applicata, atque annexa, ita ipsa rursum per cognitionem, atque amorem suum erga Deum, ad originem se se suam erigit, et revertitur; venit a summo ad imum, rursum ab imo ad summum extollitur; hic cursus in vita ipsa declaratur: homo enim de principio vivit vitam stirpis, hinc belluæ, tum hominis, et cum se magis expurgavit, erexitque supra res terrenas, fit Angelus, postremo unitus Deo, quasi Deus quidam: ascensus nostri gradus sunt a materia ad sensus, ab his ad imaginationem et phantasiam, ab hac ad rationem, tum ad contemplationem, postremo ad amorem; descensus contrarius est omnino, nec aliter perversus est animus quum affectibus cedit judicium, vel ratio phantasiæ, quàm corpus, si capite in terram posito, et erectis sursum pedibus, tentet ingredi.

Anima in unoquoque homine una est, officia autem ejus in ipsa illius essentia sunt sita, ut munia, vel publica, vel privata, in homine, et artes, aut scientiæ, ideo cum in aliquod opus est prorsus intenta atque occupata, in alia se immittere haud facile potest, ut cum dolet, non potest contemplari, si acriter quid cogitet, aut contempletur, nihil cernit, cum est acriter in intelligendo, vel inquirendo, vel admirando intenta, non judicat, ut in rei novitate, admiratione autem, aut inquisitione subsidente, exurgit judicium; quod videmus contingere sublata novitate rei, ideoque monumenta ingeniorum

ve-

vetera, quæ ætatem pertulerunt, hoc est, multorum judicia et censuras, jure præponuntur recentibus in quibus novitas obstat judicio; tum et illi merito sunt in admiratione, qui pariter se in multa ingenii opera eodem tempore potuerunt impendere, ut Cæsar Dictator, et qui intentionem ab iis quæ exterius incurrunt, ad intimas cogitationes possunt revocare, ut solitum se facere in balneo et theatro scribit Seneca, et de Plotino Porphyrius, circa negotia vitæ communis; tum qui dolent aut laborant, si intentionem animi a præsentis molestiæ cogitatione avocent, minus eam sentient: omnis autem animæ intenta, et vehemens exercitatio, debilitat instrumenta, quod est ei cum ceteris opificibus commune; ita videmus oculum defixe intendo, et aurem intente audiendo, defatigari, atque eo magis, quum est dura atque impenetrabilis materia, quemadmodum scriptio in charta scabra retundit pennam, et scissio nodi in ligno cultellum vel cuneum; quocirca non excellens sensile corrumpit sensum, ut placet Peripateticis, sed difficile, et superans vim sensorii; eodem modo in intellectionibus quæ a rebus arduis fatiscunt, et hebescent, sicut oculus fulgore spectando.

Et quoniam mens nostra est actus, quiescere omnino ab actione sua nequit, nisi potestate valide renitente, hoc est, opposito obice in instrumentis, velut quum a mole obruitur in locis maternis, a crapula in ebrietate, ab inimicis vaporibus in attonitione, quæ omnia, et similia, violenta sunt, naturæque illius repugnantia, unde quum emergit, cessante potestatis violentia, statim reducit se in actum suum; neque eam ad rem externæ ullius opis indiget, sed solum impedimento submovendo, quod si sit sublatum, non potest mens ullo pacto otari, necesse est aliquid meditetur, et secum volvat, eamque illius motionem si quis conetur sistere (ut sunt qui volunt nihil prorsus cogitare) perinde fecerit, ac si cohibere velit ignem, ne ardeat, conceptus in apta materia; alterutrum profecto sequetur, aut ut ignem extinguat, aut ut vis ignis validior ac violentior erumpat in obicem: sic vel corruptetur vita tam violenta contentione, vel pro una cogitatione quam

ve-

Animæ definitio.

Anima an cesset.

velis opprimere, magna cogitationum et visorum perturbatio coarctetur, hoc est, plane amentia.

DE SOMNO.

CAP. XIII.

Post actionem dicamus de quiete, hoc est, somno, qui est requies, ac cessatio, non animi utique universi, sed tantummodo sensuum, ea vero animantium est propria; annotamus enim animantes omnes aliquando uti sensibus aliquando ab eo munere cessare omnino, quasique feriari; hoc somnum appellamus, illud vigiliam: somnus videtur concessus a natura quoniam actioni sensuum finitæ quiete aliqua est opus; egent itaque somni animantes omnes, et quia egent, habent quoque, nam benigna est in necessariis natura: sed in aliis quies hæc brevior est, in aliis longior; ex evaporatione alimenti nascitur somnus, incrassantur enim qui sunt circum nervos spiritus, ut sensuum impediatur functio; solutio sensuum est vigilia, somnus alligatio, ascendit vapor hic ad cerebrum, ibi nactus humidam et frigidam materiam, humectatur magis, et densatur, unde nubis in morem defunditur per totum corpus; ideoque animal dormiens, impos sui consternitur, quod nervis consopitis, quorum est origo in cerebro, sensus et membra omnia officio suo non funguntur, cerebro autem degravato, crebra fit in dormitatione mutatio: anteriorem capitis partem, quæ est humectatior, plurimum invadit somnus, unde et in oculis potissimum apparet, qui in somno omnibus clauduntur animantibus, præterquam lepori, et hominum nonnullis; in lepore timori ascribitur, quod obdormiscens non audet oculos claudere, ita deinde dormienti jam obrigescere; tum humore musculos genarum premente, fit ad eum depellendum oscitatio: sensum etiam communem, qui in anteriore capitis portione situs est, obruit atque opprimit somnus; non est itaque somnus attonitio, vel stupefactio animalis, ut in deliquio animi, vel morbo, sed quies sensuum externorum, ex evapora-

tio-

tionem alimenti, in ventriculo bullientis, cerebro devincto atque impedito; in somno sensoria tantum quiescunt placide, in attonitione autem, vel deliquio, animus et mens ipsa violente opprimitur.

Reficitur corpus somno, tamquam stirps salubri quadam irroratione; in vigilia namque extenuantur agendo spiritus, revocantur introrsus per somnum refrigeranturque, unde est conspissatio, atque eo modo reparantur iterum labori vigiliæ; qua de causa dormientes frigent magis exterius, et in extremis corporis partibus, quam vigilantes: ad hæc, crassa, et frigida, somnifera sunt, crassa quidem ex se, frigida vero propter crassitiam ac densitatem. Quies, et solitudo, et silentium, invitant somnum, tunc enim bilis conquiescit, et humores refrigerantur; optimaque est in somno concoctio, quoniam recipit se introrsus calor, quemadmodum in hieme, et vegetatrix animæ facultas melius munus suum exercet per quietem, quam in vigilia; non enim dormiens actionibus sensuum avocatur, et delassatur; itaque, animæ facultates universæ, nutriendi concedunt: eleganter Plinius Secundus somnum esse dixit: *Animi in medium sui recessum*: obrepit item somnus ex defatigatione, quoniam fessi nervi statim cedunt sopienti humori, ad hæc, quia plus est frigoris attenuato per exercitamenta et consumto calore, quod ad animi quoque defatigationem potest transferri, ut in studiis, in mœrore, post metum, idque evenit propter laborem et delassationem corporis in illis animi concitationibus; quod si exiccatum, atque incensum sit corpus, non tam facile obdormiscit, sicut in morbis; quocirca infantes multum somno indulgent, senes vero non item, quanquam frigidis humoribus infestantur, quia deest illic calor, qui humores illos ferverefaciat ad evaporationem atque irrorationem, qua de causa biliosi homines, si abunde humiditas suppetat, somnolenti sunt, scilicet, multa est evaporatio ex multo humore cui validius est ignis subjectus, nec aliud perinde biliosos reficit, ut somnus, quemadmodum de Alexandro Macedone perhibent: rationem qualitatuum corporis sequuntur qualitates loci ac temporis, ut pluvio tempore longior est somnus, item in humidis

re-

regionibus, et postquam sumus largius invitati.

Excitatio.

Excitatio a somno vel est a nobis ipsis intrinsecus, vel foris incurrit; expergiscimur nostra sponte, resoluta vapore tamquam vinculo, adeo ut liberum relinquatur cerebrum ad actiones suas; tum pungimur, atque excitamur vel dolore corporis, aut inquietudine morbi cujuspian, vel animi agitationibus, velut metu, aut cupiditate; sed quæ affectiones calidæ sunt, citius adimunt somnum, ut ira, amor, cupiditas, quàm frigidæ, cujusmodi sunt metus, et mœror, nam sæpenumero ex metu aut tristitia delassati obdormiscimus, quale est illud in Evangelio: *Quum venisset ad discipulos suos, reperit eos dormientes præ mœstitia*: metus tamen vim adfert somno, quasique manum illi injicit, subindè illum interrumpens cura, ac sollicitudine; foris autem contingunt motus, strepitus, punctiones, vellicationes, plagæ, hæc enim omnia densitatem humoris disrarrant, sed nisi sit evaporatio ad certum quendam modum discussa, non cessat dormituri, id est, lucta somni cum actionibus sensuum; non potest quidem tolli omnino ea effumigatio, quæ a ventriculo ascendit ad caput, sed ejus densitas ad certum aliquem modum efficit somnum, subtilitas vigiliam, hoc est, solutionem sensuum, et variatur hoc autem pro qualitate et constitutione corporum, ut aliis alia sint necessaria; voluntas quoque, renitens, aliquo usque potest somnum cohibere at impedire: somnus est animali propter vigiliam tributus, ut mox naviter vigilet, promptiusque et alacrius vitæ munia capessat; vita enim, ut ille dixit, *vigilia est*, somnus autem, imago quædam mortis, vel interliminium vitæ mortisque, ut qui dormit, nec dici possit mortuus, nec videatur vivere: hac de causa Dominus noster, et Apostolus ejus Paulus, quos reliqui mortuos, *ipsi dormientes nominant*, quòd aliquando expergiscendi sint, et surrecturi ad vitam.

DE

Dormiente corpore non consopitur animus, cujus facultates omnes interiores continenter sua ministeria obeunt, eaque actio Somnium nominatur; est enim somnium actus animi interior, corpore a somno occupato: Aristoteli non placet, quicquid animo per quietem obversetur nominari somnium, sed tantummodo phantasmata; ea vero mihi videtur esse quæstio de verbo, quæ scrutantem naturas rerum non debet torquere; multo facilius est, ac promptius, ut quicquid animo mentique per quietem obversetur, ad rationem somniorum referatur; somniant ea omnia in quibus est sensus interior, qui rerum simulacra possit per quietem intueri, quæ res sensibus sunt per vigiliam obversatæ; itaque somniant animantes pæne omnes, quoniam phantasia non cessat; nec in homine mens dormit, multo minus quàm animus in mutis, quiete enim compositi, multa et inquirunt, et scrutantur, et colligunt, et solutiones illis quæstionum occurrunt, quæ vigilantes fallebant, et qui vigiles sunt indiserti, iis nox et quies facundiam largitur; sed quia phantasia est per id temporis a censura rationis soluta, haurit ex memoria sine modo ac ordine, inde existunt tam multa in quiete stulta, absurda, male cohærentia, sicut in morbo qui caput invasit: somnia declarant manifesto, esse intus aliquid aliud a corpore, et ab anima vegetatrice, et sensoriis corporis, quod res absentes sentiat, et cognoscat, quasique videat, atque audiat; in spiritibus cerebri nascuntur visa, qui spiritus a corde veluti a fonte suppeditantur capiti; itaque et illorum spirituum, et vaporum, unde spiritus tenuantur, qualitatem sæpenumero referunt somnia, eorum potissimum, qui in ea via occurrunt spiritui ascendenti, nempe in gutture, aut pectore, aut quo alio loco, quumque halitus crassi sensorium commune per quietem occupent, non potest id de sensilibus recte judicare, nec de sensuum actionibus, eoque quum quid inest in gutture humidæ pituitæ, visa obversantur de aqua, quum quid

Tom. III.

Ddd

san-

sanguinis, de sanguine, si atræ bilis, de rebus tristibus, sin flavæ, de rixis et litibus, ideoque de hujusmodi liquoribus medici ex ægrorum somniis recte judicant; fit etiam nonnunquam ut succedentibus invicem liquoribus contrariis, de rebus quoque contrariis eodem somno visa imaginemur.

Eadem pravitate de officiis corporalium sensuum communis sensus judicat; nam si exiguum audiamus sonitum, ingentes esse fragores remur, si calescimus, inflammari atque arde- re, si quid relictum sit humoris in gula vel arteria, natate in ingenti flumine, atque etiam demergi, sicut quæ per nebulam cernuntur, aut vitrum densum, apparent majora; et quia motum cordis sequitur corpus, si vapore aliquo sustollatur cor, ascendere nos somniamus, et quidem vel scalas, vel collem arduum, atque infestum; cum vapor ille extenuatur, et sensim cor subsidit, descendere; cum subito evanescit, et celeri motu in locum suum redit cor, cadere ac ruere per præceps, et arripimus vel toralia, vel cervical; sin humore multo ac denso cor occupetur, angimur, et magnum pondus supra pectus videmur nobis ægre sustinere, unde multis gravia in valetudine incommoda nonnunquam etiam mors; quod si cum difficultate humor resolvatur, aut commoveatur, videmur nobis conari currere, aut ascendere, detineri tamen atque impediri magna adversa vi: somniamus crebro quæ eodem die vel egimus, vel vidimus, quod ideo contingit, vel quia recens est phantasia et libera, nec aliis imaginibus districta, velut in pueris, vel quia ejusmodi cogitatione occupati, tradimus nos quieti, quæ se statim spiritui considerationis offert, in illoque se se imprimit, quod etiam usu venit in iis visis quæ validior vis aliqua alte impressit, velut crebra et continua cogitatio, vel affectus quispiam concitatus, aut diuturnus, ut metus, amor, cupiditas, ira, invidentia; ea enim phantasia spiritum sensus communis attentionisque celeriter arripit, cogitque sibi uni dare operam, ceteris omissis, quod usu amantibus evenit et iis omnibus, in quos dominatur perturbatio animi aliqua vehemens.

Sunt nonnullis somnia fracta et perturbata, aliis integra et sedata, aliis terribilia, aliis jucunda: pura et sincera existunt

si-

simulacra, quum sanguis est a sordidis humoribus defecator, sicuti sub auroram peracta concoctione in nocte, eaque de causa prisca Philosophi ea visa pro verioribus habebant; possunt quidem illa integriora esse, et magis composita, descriptaque, veriora tamen non ideo erunt, haud aliter quam ex fabellis fictis alia est alia elegantior et ordinatior, quum nulla sit vera; si sit vapor tenuior et temperatior, fit somni cursus magis integer et continuatus, placide enim fertur phantasia, veluti lenis fluviolus; sin effumigatio sit præfervida, rapitur phantasia, discurritque immodica celeritate per phantasmata in modum rotæ concitatissimæ, magna tum consequitur permixtio et confusio temporum, locorum, personarum; Romam cum Lutetia miscemus, Cæsarem et Pompejum producimus in hæc tempora, idem homo rex est et servus, componimus et disjungimus absurdissima, incredibilia, impossibilia, quæ insomnia perturbata sunt, et (quoniam a tanta confusione non solum cogitatio atque intelligentia, sed phantasia quoque ipsa abhorret) molestissima, et aversamur somnum, ne in ejusmodi visa recidamus, qualia solent in morbo aut dolore corporis, aut motu animi concitato et gravi contingere, denique quoties cerebrum est male affectum: reflectitur in se nonnunquam somnium, et nos vel somniare, vel non somniare reputamus, quod evenit fere vel in lætis admodum, cum timemus ne sit inane spectrum, vel in valde tristibus, quum vellemus falsum id esse; et quemadmodum phantasias vigilantium sequuntur imagines somni, ita e contrario, velut in pueris, et ægrotantibus et male affectis, qui territi simulacris somniorum, eadem se expergefacti credunt aspicere, itaque clamant, et fugiunt, et se occultant.

Est dormitatio medium quiddam inter somnum et vigiliam, in qua videmur nobis somniare quæ revera aspicimus, vel audimus, licet tenuiter, ac maligne, eodemque modo in aliis sensibus, ut vocem loquentis, vel candelam ardentem, vel motum deambulantem in cubiculo, vel tangere rem aliquam asperam, aut lævem; id fit, cum nondum sensus communis est omnino consopitus; et ex eadem causa cum dormientes sterti-

Dormitatio.

Ddd 2

mus,

mus, si paullulum se communis sensus explicarit, percipit quidem sensile, sed quia non omnino liber, prave de eo statuit, censet enim sonum illum esse tubas, aut buccinas, aut clamores, denique immanes aliquos strepitus. Sæpe etiam videtur sibi loquentem aliquem audire, nec satis voces discernere, aut intelligere; litteras quoque imaginamur nos legere, quas non bene distinguimus, in quo laboramus, et male afficimur, conantibus enim nihil succedit; id vero inde fit quod phantasia non sumit ex memoria notiones satis impressas ac consignatas, vel memoria non suppeditante, vel phantasia lente nimis accipiente, ac maligne; vicissim etiam existimamus nos exterioribus usurpare sensibus quæ obversantur considerationi, jam dormientibus: ex visis nocturnis alia se ita imprimunt memoriæ, facile ut recordemur experrecti, alia leviter, sed quorum possimus reminisci, alia tenuiter adeo, ut memoria aboleatur prorsus, velut in ægris et ebriis: accidere etiam potest tanta vaporum atque spirituum incrassatio et perturbatio, ut nihil somnietur, vinciuntur enim instrumenta officinæ animalis, sicut in magna alluvione ebrietatis, et in infante, vel recentissime edito, vel (si hoc quibusdam non probatur) certè in utero; (gentes quasdam tradunt orbis descriptores nocturna visa non habere, homines novi, qui se affirmarent nunquam somniasse, nec crederent somnare alios, sed animi gratia id confingere ac referre, ut fabellam ad oblectationem narrantis et audientis) quod evenit, quia quæ per quietem offeruntur animo, non adeo infiguntur memoriæ recordari ut possint expergefati; ejus vero duæ sunt causæ, vel durities spirituum quæ non recipit, vel fluor qui non retinet, ut signum nec in saxo imprimitur, nec in aqua.

Somniorum
prænotio.

De prænotione somniorum magna est et vetus quæstio, quæ etiam num meticulosos animos, et de futuris anxios, multum torquet, an sit in somniis ad res eventuras veritas aliqua, an ex conjectatione illorum quæ quiete compositi vidimus, quæ eventura sint possimus prænoscere? Multa sunt jam olim utranque in partem disputata de re nec difficili admodum, nec obscura: id de quo dubitatur, non simplicem habet sensum, nam in-

intelligi potest, vel ut somnia sint signa, vel ut sint causæ præsentium rerum, præteritarum, venturarum, quemadmodum de astris quæritur: somnia causas non esse, indubitatum est; signa vero sunt vaporum, humorumque, ut dixi, tamquam effecta suarum causarum, nec ullius rei alterius, utique naturaliter, omnia enim in natura metas suas habent defixas, ad quas tendunt, sive recta insistant, sive oblique; non sunt autem animantibus tributa a natura somnia, ut per illa retegantur nobis quæ occulta sunt, et abstrusa, sed somniamus, quia vis animi, aptum organum nacta, etiam corpore quiescente nescit quiescere: at exeunt tamen insomnia nonnunquam vera: fortuito id quidem certe, et per adjacens, non per naturalem eorum qualitatem, quemadmodum affectu territi, vel illicefati, somniamus de periculis quæ urgent, aut de bonis quæ adventant; tum ubi vehemens est animi intentio, inque aliquod unum, quod facere destinavimus, incumbens, id versatur in cogitatione dormientis.

Postremò, sicut Aristoteles recte dicit, quum quotidie tam multa, tam varie somniamus, mirandum non est incidere nos aliquando in id quod futurum est, aut fuit, sed nobis incognitum, ut qui crebro jaculatur, collimet aliquando necesse est, etiam si artis illius inscientissimus. Immittuntur quandoque a mente superiore somnia, eadem arte, et vi, qua movetur ab eis phantasia; quæ somnia cœlitus veniunt, hoc est, a sanctis mentibus, pertinent ad nos de magno aliquo bono commonefaciendos, seu publico, seu privato, cujusmodi leguntur in Sacris litteris somnia Pharaonis, Nabucodonosoris, Josephis; nec male apud Homerum Nestor jubet animadverti diligenter, et expendi somnium Agamemnonis, qui imperator esset exercitus Græcorum, aliorum vero non essent tam curanda somnia: a dæmone ingeruntur visa, fallendi gratia, de rebus aut flagitiosis, aut vanis, et superfluis, ut nullum sit signum evidentius esse a noxia mente, quæ nobis per ejusmodi illecebras ludificatur: ex fine censeri potest somnium unde sit, tametsi naturale est plerumque quod nos, affectui aut temerariæ persuasioni indulgentes, vel cœleste, vel hostile esse suspicamur.

HA-

EX facultatibus nascuntur actiones; quo fit, ut ad omnia quæ agit anima, facultates acceperit naturæ dono: sed sunt tamen actus quidam, qui statim sequuntur naturam potentiæ cum ea jam opportunitate sua quasi maturuit, factaque est sui compos, suntque actus illi, non minus quàm facultates ipsæ, naturales, ut audire, ac videre, quum ii sensus absoluti sunt a natura, ut in puero postquam est natus, et in catulo canis post nonum diem ab ortu; his actionibus nihil est opus meditatione, aut exercitatione aliqua, ut recte exeant, sed vigore maturo jam, et bene affecto, ipsa enim natura magistra est magna et efficax: sunt autem actus alii, qui usu indigent, et exercitamentis, quo prompte et recte edantur, ex quo usu nascitur assuefactio, in qua insunt et facilitas ad agendum, et pronitas, vocaturque Græco verbo ἔξις, a nostris ad verbum transferentibus habitus seu habitio, quæ est pronitas ad similes edendos actus iis, ex quibus est genita; nec ad actiones solas pertinet hæc assuefactio, sed ad passiones quoque, quæ etiam quodammodo actiones sunt in facultatibus animalis, ut quæ patiendi vim suam exercent, quocirca actionem pro utroque usurpabimus: fit porro interdum, ut genus actionis naturale sit, species vero, vel adjectum, aut circumstantia, sit exercitamentis; velut sensus quidem naturæ sponte accepimus, videre, audire, gustare, olfacere, tangere, ac posse facile perferre species absurdas, fœdas, formidolosas, sonitus absonos, horribiles, sapes acidos, amaros, et alia hujusmodi, in consuetudinis partes cedit; ex hac consuefactione pronitas et facilitas est in opifice, aptatio autem in instrumento, quemadmodum exercitatione fit faber, aut pictor, promptior, ac peritior, organum autem habilis, velut manus, interdum quoque externum instrumentum, nisi quum ex resistentia materia deteritur, ut pennis, ascia, serra, dolabra; sic habitus in animo, et illum doctiorem reddit, et spiritus aptiores ad exercitamenta eadem, qui

qui tamen immodico quandoque usu deteruntur, ac proinde depravantur.

Trahit ad se consuetudo hæc animum in quo inhæsit, quæ pronitas nuncupatur, ita ut quum est habitio longo usu confirmata, vires propemodum obtineat naturæ, eo enim ferimur non ultro solum, sed libenter, et familiaria fiunt nobis jucunda; nec solum in his quæ agimus, sed in illis etiam quæ patimur, quæque sunt ingenio nostro inimica, consuetudo minuit molestiæ ac laboris sensum, ut morbus et dolor leviores sunt a familiaritate; idcirco sapienter, qui præcepit deligendam esse optimam vitæ rationem, eam *consuefactione futuram suavem*, et Plato non parum, ait, referre *quemadmodum quisque jam inde a puero sit formatus atque assuefactus*. Radicatio hæc habitus data est animo nostro, ut alia omnia, ad bonum ipsius, nam quod bene, et ut convenit, agere, usu et exercitatione esset parandum, nisi continuatio et tempus confirmaret facultatem, quo liberius deinceps atque expeditius posset, aptius sciret, libentius vellet eundem in modum operari, frustra esset labor omnis susceptus, et animus noster ad præclaras suas actiones semper veniret rudis, nec quicquam excellenter ageret, quòd nihil esset illi tempore profectum: hæc quidem in his quæ nos agimus voluntario, at in iis quæ inviti patimur; quàm misera esset vitæ conditio, si inter tot aspera et acerbata posita, nihil adferret levamenti assuefactio! Habitus ut crevit, confirmatusque est tempore, ita tempore quoque minuitur, desuetudine, vel aliqua ingenti violentia perrumpente, vel intrinsecus, ut veneno, aut morbo, vel extrinsecus, ut plaga, aut vulnere; quemadmodum ferunt quosdam litterarum cognitionem ex ægrotatione amisisse, alios ex ictu saxi, vel baculi, quæ videntur mihi instrumenti habitum afficere magis, quàm artificis, nam hi quibus talia accidunt, convalescunt postea, et ad pristinam peritiam revertuntur, quod non fieret, si impressa sibi ab assuetudine vestigia artifex ipse amisisset.

Habitus eausa.

DE ANIMA
DE SENECTUTE.

CAP. XVI.

ANimæ corpus subituræ aptat materiam Natura in formam membrorum, jam vero ingressæ paulatim accommodat interna instrumenta quousque ad perfectionem eam perducatur, utique quam materiæ qualitas et constitutio possit recipere, ac sustinere, hæc autem instrumenta ad summum sui jam perducta, deteruntur usu ipso, et relabuntur paulatim in torpedinem prioris molis, postremo corrumpuntur penitus, ac intereunt: aptatio membrorum fit in utero, accommodatio vero spirituum, ac humorum, in infantia, juvenus est velut vigor quidam, et usus perfectionis organorum, senectus est detrimentum, corruptio vero, atque inhabilitas instrumentorum, mors, hæc quidem, sed naturali cursu, sine violentia; nec male, qui hominis ætatem, et diei, et anno, assimilarunt, ut pueritia sit tempus matutinum et ver, juvenus meridies et æstas, senectus serum et autumnus, mors autem hiems et nox. Calor præcipuum est vitæ sive adminiculum, sive instrumentum; is in infantia sensim accipit vires ac robur consumenda humoris redundantia, quam infans ab utero eduxit, cujus indicium est somnus fere perpetuus; redacto autem humore ad eum statum, qui alendo, fovendoque sit caloris satis, non obruendo, ardet ac viget calor, quæ est animantis juvena, ideoque calidiores animantes, si alimentum calori congruens suppetat, longius juventam extendunt; languescit autem calor, quum exiccatur succus, non quivis, sed ipsi conveniens, nam in senibus tametsi in extremis partibus redundant humoris excrementa unde sunt excreationes, lemæ, lippitudo, mucci, distillationes, intima tamen tardiora sunt, nervi, ac medullæ, et quæ pituita extrorsum promanat in senibus, ex debilitato calore accidit, is enim fatiscens, et defessus, humores illos non valet concoquere; quocirca in contemperatone calidi et humidi sita est juvenus, senectus autem ubi alterutrum deficit, cito enim senescunt exucci, tum et uvidi, ac frigidi: senectutis comites sunt, calvitium, canities, ru-

gæ;

gæ; calvitium ex siccitate provenit, cum humore consumto eradican- tur capilli haud aliter quàm stirpes ex arena, eaque de causa crispi celerrime calvescunt; et in parte anteriore capitis fit calvities, quoniam ea minus est solida atque spissa quàm posterior, sicut Aphrodisæus in Problematis, seu si quis est alius ejus operis auctor; canities autem pituita est causa; ideoque in temporibus primum capilli incipiunt albescere, hinc in brechmate, ac cervice, quod eæ partes humectiores sint quàm occipitium; pueri autem tametsi uvidiores quàm juvenes, non canescunt tamen, quod ex frigido liquore gignantur cani, non ex eo qui sit caloris ardore fervefactus; rugæ autem certius sunt senectæ argumentum, quàm vel cani, vel calvities; contrahitur enim cutis humore illo salutari arescente, quod potissimum in iis contingit, quorum constitutio multum bilis collegit, seu vitellinæ, seu nigræ, sed potius nigræ, nam et vitellina in hanc tandem, procedente tempore, concedit, quippe devertens ætas ad eam qualitatem solet inclinare, quemadmodum autumnus anni, et serum diei; nec solum qui ita sunt naturaliter compositi, celeriter senescunt (est enim contemperatio maxime juvenuti contraria) sed qui vel morbo, vel animi motu, vel loco, aut exercitamentis, in atræ bilis tyrannidem incidunt, breviter consenescunt, et corrugantur, ceu qui laborant febrili quartana, qui anguntur metu, odio, invidia, et potissimum ægritudine, qui habitant loca obscura, dediti continuis acerbisque studiis, et vehementi speculationi.

Calvities.

Canities.

Rugæ.

DE VITAE LONGITUDINE.

CAP. XVII.

Vita est *conservatio eorum instrumentorum, quibus anima utitur in corpore*; præcipuum autem illorum est calor, et propter calorem humidum calori congruens, pastus, et conservatio illius: quæ igitur viventia duas has qualitates diutissime possunt conservare, vivacissima sunt. Prima diurnitatis ratio, et causa, posita est in cujusque constitutione, ut ea calida sit atque hu-

Tom. III.

Ecc

mi-

mida in nervis, medullis, liquoribus, spiritibus; secunda est, ut ejusmodi contemperatio diutissime perseveret; multum ad eam rem faciunt alimenta, locus, exercitationum actionumque modus, et ratio, nam qui calidis admodum rebus vescuntur, succum illum, salutarem corpori, exarefaciunt, et evaporat calor, ut extenuatum cor vires omnes amittat, atque adeo brevi quoque vitam ipsam, nisi forte tam sint pituitæ abundantes, ut ea illis victus institutio conducat; qui item fervidas regiones incolunt, haud facile librationem illam calidi ac humidi retinent, exhalant videlicet plurimi spiritus, et exiit corpus, unde senectus acceleratur et mors; qui item in uvidis locis et palustribus habitant, multis variisque infestantur morbis, ex redundantia pituitæ, morbi autem via sunt ad mortem expedita, utique quum infestant vitalia, nam alii sunt qui vitam non contrahunt: ergo in locis subfrigidis et arenis puriora sunt, ac proinde vegetiora corpora, atque ævum productius, quippe calor frigidiusculo conservatur cælo per antiperistasin, sicut in hieme magis quàm æstate, et siccitas cæli, ac soli, putres humores discutit; hujusmodi est habitatio in collibus, locis editis, et patentibus, qui aeris subfrigidis assiduo perflantur; aer item apertus ac liber purgat corpora, nec sinit contabescere, et sub dio alacriores fiunt animantium spiritus.

Exercitatio quoque temperata accersit et auget vires, quoniam calorem excitat, et nervos corroborat, ideoque quæ exercent se, longius ducunt ætatem quàm otiosa; sed labor tamen immodicus vires debilitat, et frangit corpus: mares in omni genere, quia plus caloris sortiti, vivaciores sunt natura quam suæ feminæ; sed Veneris usus nimius ævum illorum decurtat ut feminæ sint illis superstites: recte Hippocrates: *Cibus, potus, somnus, Venus, exercitatio, omnia mediocria*: minuta animalia, quæque minus habent caloris, ætate sunt breviora quàm magna, velut apes quàm canes, aut oves, et ex iis ut quæque sunt plus solidi caloris nactæ, ætatem longius proferunt, ut apes quàm vespæ, hæ quàm muscæ, muscæ quàm culices: accedit his, quòd exigua animalcula injuriam temporum non sustinent, fervoris, rigoris, humorum, ariditatum, quemadmodum nec

her-

herbæ, propter exiguum calorem, et raritatem materiæ, arbores autem, quæ densiore sunt mole, multas æstates et multas hiemes perferunt, et ex arboribus maxime omnium palma, quia calidissima est inter arbores; quòd autem constipatior est arborum materies quàm animalium, minorque inter qualitates earum pugna, diuturniores sunt illæ quàm animantes: non ergo quæ corpora salubriora sunt, ea longius ævum propagant, nec quæ morbis affecta, citius intereunt, sed ex caloris humorisque huic congruentis examine, et conservatione, usu id evenit, tum generatim, tum sigillatim.

DE MORTE.

CAP. XVIII.

Corruptis instrumentis, aut deficientibus, cessat vita, sequitur mors, quemadmodum detritis, aut amissis, malleo, incude, forcipe, et aliis armamentis, cessat fabrica, et indicitur otium fabro; itaque mors est *defectus instrumentorum animæ, per quæ vita prorogatur*; et discedit anima, non ex inconvenientia quapiam corporis cum ea, sicut nec animam et corpus proportio aliqua et convenientia copularat; neque enim est proportio inter mē et pennam qua hæc exaro, nisi quis forte congruentiam velit esse inter opificem, qua est opifex, et instrumentum habile, de quo equidem nihil pugnavero. Vita omnis sita est in calido, quemadmodum sæpe dixi, et propter calidum in humido quoque; mors est naturalis, quum humore, hoc est, caloris pastu, areſcente, flaccidit calor, et ad postremum extinguitur, ut lucerna oleo absumto; est autem mors violenta, quàm gentiles præter fatum dicebant esse, quum casu aliquo vel humor detrahitur, vel calor extinguitur oppressione quapiam, sive interna, ut in veneno, ingluvie, et alluvione immodica potus, quemadmodum quum nimium olei in lucerna infunditur, sive externa, ut spiritus cor refrigerantis in arteria, vel ore, compressio, quale est quum ignis lapidibus, aut multo cinere, derepente obruitur, ac opprimitur.

Ecc 2

Om-

Mors naturalis.

Mors violenta.

Morbi.

Omnium qualitatum commixtio, quasique contemperatio, necessaria est vitæ animantis, aliarum per se, aliarum autem propter alias; una quælibet earum qualitatum si desit, non potest vita produci: sed omnium potissima est calida et humida, quæ sita est in sanguine, cujus exhaustione animans quàm citissime extinguitur. De membris autem sunt quædam principalia, sine quibus animal non possit conservari; omnium præcipuum est cor; hoc primum vivit, ultimum omnium emoritur; sicut vicissim oculi incipiunt postremi vivere, et primi moriuntur; tum quæ sunt cordi proxima, jecur, pulmones, præcordia, ea denique omnia, quæ hac de causa, vitalia nominantur; cerebrum quoque, et caput: sunt alia membra viliora, quasique infimi ordinis, quibus amputatis remanet nihilominus vita, ut manus, brachia, pedes, crura, oculi, nasus, auriculæ, nares: animalia vero insecta, discissa vivunt nihilominus, ut vermes, vespæ, apes, quod illis est commune cum stirpibus: verum inter bruti et hominis mortem hoc interest, quòd bruti anima, quemadmodum et sensuum nostrorum vigor, perit omnino in morte, nostra autem anima superstes est suo cadaveri; itaque mortem hominis ita licebit definire: *Est animæ a corpore disjunctio, seu discessus: de quo aggrediamur jam dicere.*

Mors hominis quid.

DE ANIMAE HUMANAE

IMMORTALITATE.

CAP. XIX.

ANIMÆ nostræ an extinctis suis corporibus sint superstites, nec ulla vi fati perimantur, quæsitum est a veteribus sapientiæ sectatoribus, quæ disputatio molestior est facta, atque intricatior, ex hominum partim ignorantia, partim malitia et pravitate qui omnia corporis sensibus metientes, induxerunt animum nihil credere nisi quòd sub illos caderet; alii deliciis immersi, ac voluptatibus, omnia cuperent cum illis pariter concidere, hoc est, cum corpore, nec esse ullum judicem, qui vitæ hujus rationem a nobis reposceret; sed nos, quando locus hic in uni-

ver-

versa et vita, et pietate, immo in hominum beatitudine, aut extrema miseria, tanti est momenti, fusius paullo eum prosequemur, neque est attingendum leviter quod periculosum est non perfici. Si solis sensibus habetur fides, et intra illorum limites concluduntur omnia, ut quibusdam videtur nimis crasse de rebus statuentibus, nec animas tribuimus mutis animantibus, quippe quas nec cernimus, nec sensu ullo percipimus; neque *effectiones* sive *formas* esse in rebus naturæ censebimus; nihil denique præter molem hanc, quam aspiciamus, et attractamus; quod est disciplinæ omni contrarium, tum ab omni iudicio humanæ mentis vehementer alienum, ac abhorrens.

Parvi pueri si videant armatum patrem, postea ea ipsa arma constituta recta in stipite, existimant esse eundem ipsum patrem, adeunt, colloquuntur, et non moveri, ac respondere admirantur, terrentur, indignantur, denique etiam in fletum prorumpunt; pueri idem, et homines fatui, pictas imagines in tabula, vel tapete, vivos esse homines judicant, et ad loquendum provocant, et ad epulas invitant, et de cibis offerunt, ut edant; idem iudicium est bestiis, ut ficta et simulata pro veris accipiant: nec ii qui sensibus tantum ducuntur, ab infantibus et morionibus distant, ne dicam a belluis, qui corpus hoc, torpens ac brutum, hominem esse ajunt, et quum cadaver projectum aspiciunt, nihil fuisse aliud hominem suspicantur; tametsi oculi et sensus isti ipsi corporei, quomodo aliquid in clauso loco deprehendunt latere, nisi ex iis quæ foras prodire conspiciunt, ut ignem ex fumo, animans ex voce, morticinum ex foetore? quis vero non annotat quantum sit inter hominem et brutum intervalli? ut inferiora alia præteream, homo tot artes manu exercet, tam varia profert, tot opera admiranda magno ingenio inventa, et exculpta, vagatur mente per naturam universam, habet rationem, et sermonem; in quibus omnibus divini ingenii vis quædam, atque imago, elucet; quòd si hominem, propter similitudinem corporis, parem in nascendo et moriendo facimus belluis, necesse est ut propter mentis tantam, tamque evidentem differentiam, faciamus præstantiorum: et si renuntiatur tanto bono immortalitatis, renuntian-

dum

dum est quoque ingenio, rationi, menti, per quam sumus immortales: et si ea videmus signa in homine, quæ testantur illum cœlestis ac divinæ esse originis, consequens profecto est ut aliquid in eo insit majus ac præstabilius, quàm quod spectari possit oculis, aut manibus tractari.

Nullus, inquiunt, redit ad nos ex altera illa vita, qui nos certiores reddat qui sit illic status rerum, quid agatur; hoc quidem dicit vulgus, aliquid se acutum invenisse, ac protulisse existimans, sed hoc est qualia ejus fere omnia; transeo quòd multæ animæ, fato jam defunctæ, in sua sunt reversæ corpora, aliæ viventibus sunt loquutæ, et aliqua eis significarunt quæ sunt nostræ pietatis, hoc est, supra naturam; ceterum si nullus in Indiam commearer, nullus ab Indis ad nos, nec India esset protinus, neque Indi? tot annorum millibus usque ad hanc ætatem nemo ad novum istum orbem navigavit, nec ullus ad nos eorum, neque ultro et citro alteri de alteris audivimus, aut cognovimus; quid mirum, si nec inter animos, corpore solutos, et nos corporeos, nullum sit consuetudinis commercium? Magna quidem, et varia, et difficilis, inter nos et novos istos homines, via, sed confici tamen potest, et est confecta, inter nos vero, et cœlos, aut inferos, naturæ legibus impossibilis; inter corporea et incorporea nulla esse potest conversatio, neque nos illorum conditioni apti sumus, quamdiu corpore hoc claudimur corruptibili: adde, quòd mortuorum animi majoribus vel bonis perfruuntur, vel premuntur malis, quàm ut de rebus terrenis, hoc est, de nugis vacet cogitare, vel libeat: quid, quòd nos alii nolunt revivere, alii non possunt? Si quis in sua civitate factus esset magistratus, noller utique ad exilii sui insulam reverti, itaque hic non expetit; qui vero in carcere, aut ergastulo, detinetur vinc-tus, non potest: sed sane quocunque nos convertamus, sursum, deorsum, circumcirca, omnia docent, testantur, clamant, immortalem esse animam humanam, natura, et necessitas causarum, proportio, et similitudo, vita, et congruentia, dignitas hominis, Dei bonitas, utilitas nostra ex illius beneficentia.

Principio, rerum omnium veræ, germanæque essentiæ, ip-

sæ per se non cognoscuntur a nobis, abditæ latent in penitissimis cujusque rei, quo mens nostra, in hujus corporis mole, et tenebris vitæ, non penetrat; ex inhærentibus, et actione potissimum, quid et quale quicque sit ratio nostra colligit, nam, sicuti est ab Aristotele animadversum acute, res omnis sic habet se ad esse, quemadmodum ad operari, ejus videlicet opera et actus qualitatem, quantitatemque, et ingenium essentiæ declarant; primum omnium actiones ipsas animæ perpendamus, de quibus actionibus prima est, cognoscere: id vero est quodammodo capere, comprehendere, concipere, hisque nominibus consignatur; nulla est porro cognoscendi facultas, et vis, quæ id cognoscat quod proportionem non habeat cum natura sua aliquam, cognitio enim velut imago est quædam rerum, in animo expressa tamquam in speculo; non potest autem reddi ab speculo corporali quod sit spiritale, aut quæ aliorum sunt sensuum quàm visus, neque id exprimeretur quod proportione est ipso speculo majus, ut mons totus proxime admotus, nisi procul recedat, ut ex intervallo nascatur proportio, neque id, quod non est ei objectum e regione: sensus nostri externi, nempe extensi, et præditi quantitate, non capiunt quæ sunt quantitatis immunia, nec quæ molem habent ampliolem quàm pro eorum ambitu, neque absentia: sensus interni non capiunt spiritalia, nempe Angelos, et Deum: mens ergo quæ hæc capit, cognoscit, comprehendit sola ex rebus sublunaribus, spiritus est ut illa ipsa, et quæ intelligit illorum immortalitatem, immortalis quoque, alioqui nullo caperet modo id a quo infinita amplitudine excederetur.

Apertius hoc ostendit, quòd ex universa æternitate, illam, quæ immensa duratione nos præcessit, non possumus cogitatione comprehendere, et obruitur magnitudine mens nostra, hanc vero, quæ interminatis post seculis sequetur, facile capimus, et intelligimus; ut liquido appareat, illam vastiorem esse nostra anima, nec ullam habere cum ea sive proportionem, sive analogiam, hanc vero alteram habere, illi non esse aptam, huic esse. Ex eodem cognitionis fonte facile colligitur, plantarum, et brutorum animas, ex vi et potentia materiæ aptas,

Cognoscere.

instructasque produci, mentem nostram peculiariter a Deo gigni in corpusculo supra vires materiæ, ac naturæ hujus, nihil enim assurgit aut transgreditur id, a quo accipit essentiam et vires, alioqui non jam ab illo acciperet, sed a priore aut ulteriore aliquo in quod tenderet; sensus nostri interni, atque externi, tum belluæ, quæ illis sunt solis præditæ, nihil cognoscunt aliud, quàm quæ sunt naturæ hujus quam cernimus, non ascendunt superius; mens nostra non contenta cœlis, sideribus, Angelis, usque ad Deum ipsum pervenit, nec ulterius potest progredi: quid hoc arguit aliud, quàm animas mutorum a natura hac progigni supra quam se se non attollunt, nostram vero a Deo supra naturæ hujus potestatem? Itaque animæ nostræ contingit quod de aqua fontana dicitur, ut tam alte assurgat quàm descenderat, nec possit altius: nec aliter quàm mens nostra non modo infra Dei cognitionem sistit, verum etiam multo inferius, sic sensus multum infra naturæ hujus opera subsistunt, neque intima illius penetrant, sed in extima semper facie versantur; Moyses in mundi originibus, non obscuris verbis videtur hoc significasse; nam cum alia omnia solo Dei dicto narret esse condita, ubi ad hominem venit, non naturæ eam tribuit potentiam ut hominem procrearet, sed Deo soli, dicit enim: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*: et paullo post: *Inspiravit Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ*: per utranque sententiam, et originem a Deo propriam, et animorum immortalitatem denotavit; ceterum, ne quis in hoc fallatur, tametsi supra vires naturæ hujus, sive elementaris, sive cœlestis, sive angelicæ, sit animam hominis a Deo creari, naturaliter tamen creatur a Deo, hoc est, lege ab illo ordinata, atque statuta, non secus quàm alia omnia; non enim quoties homo conditur, novum edit Deus miraculum, hoc est, præscriptæ legi vel contrarium, vel diversum, nisi quis forte *naturæ hujus miraculum* vocet, in quo non dissentio, ut non immerito Mercurius Trismegistus, sive quis est alius, magnum miraculum esse hominem dixerit.

Deus in materiam præparatam jam, atque aptam, immittit animam supra materiæ ipsius, et opificis Naturæ vires, sed

le-

lege ab ipso statuta; quocirca et genitis in adulterio ac fœdo incestu animas tribuit, quoniam hi, quanquam contra bonum et pium, non tamen contra legem illam a Deo positam gignuntur, quod fieret, si cinædis id quoque concederetur, aut ejusmodi: et animam nostram non a Naturæ facultate, sed Dei unius procreari beneficio, non solum est verum, sed interest humani generis verum esse, et quia interest, verum est indubie, inductâ enim animâ in corpus non Naturæ ope, sed proprie ac peculiariter a Deo, debet homo præcipuam et potissimam partem sui non Naturæ, sed Deo, illumque tanquam unicum mentis suæ parentem agnoscit, quam soli ipsi devoteat, et consecret, neque in eam juris quippiam alteri ulli impartiat, quàm Deo, summo et præpotenti patri spirituum unico; multum in corpus hoc, et sensus omnes, vendicant sibi potestatis, et juris, parentes corporum, tum liberi, natura ipsa, patria, necessarii; mens vero solius est Dei, eamque sibi uni reservari jubet ad felicitatem nostram, quoniam illius ipse unus est auctor et progenitor: quòd si anima, non Naturâ hac, Dei ministra, et opifrice, profertur, sed a solo Deo, consequens profecto est ut nihil in natura sit quòd eam possit extinguere, solus id potest Deus; non est autem credibile, Deum ipsum per se condere, quod mox sit perempturus, quòd enim attinebat id fieri? quin potius humanæ animæ, et progignendæ et corrumpendæ, sicut aliarum animantium, potentiam Naturæ concedebat? cur sibi uni reservabat quod communi legi ac conditioni erat subditurus? Hæc de cognitione: jam de appetitu. Cognitio omnis, ut alias est sæpe, et a nobis, et ab aliis, fere demonstratum, propter appetendum aut fugiendum est animanti indita; esse nunc sensus nostri capiunt, quemadmodum et muta, nam quale sit belluarum ingenium, et quemadmodum sint affecta, ex nostris tum externis sensibus, tum internis, certissimam conjectationem licet sumere, videlicet, quos habemus cum illis communes, ac prorsus similes.

Itaque feruntur pecudes solum ad nunc, appetitus enim conservationis est in illis non ex cognitione rerum, sed ex artificio naturæ, ideo facultas progignendi non est principalis

Tom. III.

Fff

of-

officii, nempe cognoscentis, sed vegetantis, hoc est, infimū; homo autem esse interminabile cognoscit, quod quia videt conducibile sibi esse ac bonum, expetit quoque; itaque naturalis est hic appetitus; si naturalis, ergo de re nobis congruente atque apta, nec frustra ingenitus: expleri igitur potest, et ut expleatur aliquando necesse est, alioqui non solum inanis est tanti boni ostensio, sed crudelis. Expetitionis hujus essentia perpetua, quæ nunquam intermoriatur, indicium est aviditas prorogandi nominis in omnia secula post ventura, quod adeo est a natura insitum humanis pectoribus, ut etiam qui extinguī omnia arbitrantur cum vita, famam nihilominus affectent, et bene audire velint jam sepulti, velut signifer impietatis, Epicurus, natalem suum diem celebrari testamento cavuit, et epulum sectatoribus suis dari luna vicesima; naturalis enim illa veræ immortalitatis cupido, infecta et corrupta tenebris mentis, pravis animorum cupidinibus, in hanc alteram degeneravit cupidinem famæ, haud aliter quàm cum bonum semen in solum vitiosum incidit: affectus item ipsi, qualis sit et mentis nostræ et sensuum natura, declarant, quodque sit inter illos discrimen et sensus dico tam internos quàm externos; si enim incipiat animus de morte sua cogitare, sensus interni et phantasia, modo longam vitam hanc fore imaginentur, de altero illo interitu non admodum permoventur, immo facile ejusmodi cogitationem sine sensu aliquo deglutunt, mens vero ipsa iis tenebris involvitur, tantopere confunditur, ut nihil magis expavescat, et refugiat; vel ipsi illi qui in maximis versantur malis, et impetu quodam animi cæco mortem appetunt cuperentque se se aboleri penitus, si paulisper a desperatione in se vacaret redire, ac conquiescere, deque animi extinctione cogitarent, damnarent prorsus sententiam priorem, interitumque illum horrerent, majusque id esse malum ducerent, quàm illa omnia quibus vexantur atque affliguntur: contra vero quum de morte hac corporis evenit in mentem, sensus omnes ilico percelluntur, mens vero, si sana sit et quæta, stat immobilis, et errorem trepidationemque illam sensuum ridet et castigat.

Id-

Idcirco apud Platonem in Apologia, acutissimus philosophorum Socrates, ad iudices et populum Atheniensem verba faciens de morte sua, quod multitudo sensibus ducitur, in incerto reliquit animæ immortalitatem, dilemmate tantum usus: *Si non moritur animus, majora me expectant bona: sin moritur, nihil sentiat mali*: in carcere vero inter discipulos, rerum cognitione exultos, et sapientiæ studiosos, nihil posuit in dubio, sed constanter, multisque argumentis conatus est evincere, ac persuadere animos nostros corporibus suis superstites perseverare. Quid ex his efficitur? an non manifesto mortem mentis contra ipsius naturam esse, idcirco illam ejus mentionem reformidare, ac exhorrere, sensus vero de hac tantum vita esse sollicitos? mortem hanc corporum ad mentem nihil pertinere, corporis esse, et eorum quæ sunt corpori annexa, sensuum videlicet internorum, ac externorum? quid, quod mens in pravo habitu corporis, velut si affectu sit perturbata, phantasmatis confusa, imperita, flagitiosa, scelestas, impia, magis ad recordationem corporeæ mortis concutitur, quàm quum sobria est, sana, serena, quæta, docta, innocens, pia? Quæramus jam utrius iudicium certius sit, ac verius, perturbatæ an quætae, ægræ an sanæ, indoctæ an eruditæ, in recto corporis statu, an prave affecto, sceleratæ ac impiæ, an piæ et sanctæ? Ex delectationibus quoque essentia deprehenditur humanæ mentis; delectationes enim eo sunt majores, suaviores, diuturniores magisque stabiles, quo res eæ quæ voluptatem adferunt, similiores sunt facultati animi quæ oblectatur, majoremque cum illa et vicinitatem et proportionem habent: quum de genere est aliquo, vel forma iudicandum, ab iis sumitur specimen ad pronuntiandum quæ sunt in illo genere optime affecta et constituta, id est, maxime secundum generis ejus veram atque incorruptam naturam.

Non ignoro multos esse homines brutali ingenio qui voluptatibus sensuum capiantur unice, sed nos præstantissimas ac generosissimas mentes contemplemur: illæ vero plus delectantur internis sensibus quàm externis, plus mente quàm phantasia, et ex mente, potissimum contemplando, et ex rebus, quas

Fff 2

con-

contemplantur, illæ eas jucundissime capiunt, et diutissime tenent, quæ sunt supremæ, quæ corporeæ molis expertes, quæ æternæ; has enim animus avidius expetit, ac retinet, minusque illis perscrutandis atque intuendis defatigatur: hæ igitur res spirituales et sempiternæ, conformiores sunt menti, quàm corporales; illarum naturæ ac ingenii magis est consors et particeps, quàm istarum; in illis enim mirifice acquiescit, tamquam suis similitudine, ac proportione, quemadmodum interiores et exteriores sensus rebus corporatis capiuntur, nec alias vel conjectando assequi possunt; quòd si mens tam esset, quàm sensus; mortalis, non minus mentes excellentissimæ; et divinis proximæ, caducis rebus tenerentur ad veram et solidam voluptatem, quàm sensus ipsi. Jam ipsa corporum nostrorum constitutio, et facies in cælum erecta, cœlestes nos esse testificatur, intentos semper illuc tamquam in patriam ad quam proficiscimur; et corpus ipsum, quemadmodum se habeat animus, ostendit; erectus est enim hic, et sublimis magis multo quàm corpus; ascendens per gradus rerum inferiorum, nec conquiescens, donec ad cœlestia et divina pervenerit, ibi demum sistit, et acquiescit; ut ex motu, et ex quiete manifestum fiat, quemadmodum in rebus omnibus naturæ, quis sit ei locus naturalis; ceteræ animantes, ut terrestres, terram semper intuentur in qua est bonum ipsarum, nostrum vero bonum, si non est in illa cœlesti æternitate, quorsum pertinet excelsum caput in homine, et oculi in cælum suspectantes? an ut in tanta vitæ hujus calamitate, et asperrimis rebus locum illum speciosissimum, atque a miseria omni remotum intuentes, magis nos vita discruciet, et exacuatur vanum illius felicitatis desiderium, atque eo vehementius et acrius, quo quisque ingenio vel eruditione plurimum est præditus atque excultus, vel vitæ hujus incommodis ac miseriis pressus, et diu vexatus? nam fortassis hominum aliqui pecorum more sine sensu hæc prætereunt, sive ex mentis torpedine, sive ex ebrietate faventis fortunæ.

Et de nascendi modo in hac mortalitate, intelligi potest qualis sit modus ille renascendi in æternitate; nam sicut in locis maternis huic luci fingitur ac formatur homo, ita in hac

luce paratur illi alteri, præ qua lux hæc nostra tenebræ sunt, et nox obscurissima; nec aliter quàm cum tempus nascendi appetit, flaccessit vita uteri, quasique infans emoritur illo utique vivendi genere, ad eundem modum, cum homo e vita orbis hujus excessurus est, et tamquam pariendus ad vitam alteram, moritur hac vitæ ratione, ut vivat altera tanto præstantiore, quanto hæc est lucis hujus melior, quàm illa uteris; itaque paratur in utero vitæ corporis, in corpore autem vitæ mentis: horret animus discessum ex hac vita propter ingentem mutationem, et sic est affectus, quemadmodum infans nasciturus, si ei sensus aliquis daretur noscendi et cogitandi; exit enim et infans nascens, et homo moriens, uterque in lucem novam, faciemque rerum admirandam, qua novitate uterque perterrefactus, nollet ex suo gurgustio prodiere, nisi urgere-tur artificio naturæ; non est profecto dubitandum quin hominis mors magnam habeat cum ortu cognationem et similitudinem, propter eam imperfectionem quæ est infanti in utero, et homini in hac vita; nam si perfectus esset suis omnibus partibus atque absolutus infans in locis maternis, nihil ei esset opus ortu, sed cum ei sensus sit tributus, et facultas cognoscendi, quæ exercere non potest in utero, egreditur in hanc spaciosam lucem, ubi sentire possit, et cognoscere.

Hactenus quidem communia nobis omnia cum belluis: at vero quia belluæ hic funguntur muneribus suis omnibus et facultatibus a natura inditis, hic vivunt ac intereunt, homo cui donata est mens qua nihil aut parum admodum utitur in hac vita, profecto ortum alium habet in aliam in qua mentis obeat munia: quod in libris de Veritate fidei Christianæ docebimus, sicuti et de illo quoque disputabimus, si anima sit mortalis, omnia ad vitam hanc pertinere, frustra que hominem esse conditum, quandoquidem nullo penitus fine proposito, vel non eo certe qui excellentia ejus sit dignus, atque adeo res omnes incassum essent a Deo productæ, quorsum enim creare attinebat? scilicet ut posteaquàm paulisper se se ostendissent, subducerentur? ut bibat homo, edat, dormitat, voluptuetur, nihilque absit a bestiis, longe etiam quàm illæ miserior? qui

quod

quod potissimum ipsi est, atque optabilissimum, nunquam assequitur: quod Aristoteles et Theophrastus fatentur: quod si homo, cui corpora sunt parata omnia qui solus uti potest, et vult, et novit, frustra est inductus in vitam, quanto magis ea omnia, quæ illius sunt gratia procreata: vana ergo omnis creatio, et Dei majestate, immensaque sapientia, indigna: quod absit: immo nec ulla est rectoris mundi providentia, hæc enim tria ita sunt connexa et conjuncta existimatione ac persuasione, divelli ac dissociari ut nullo modo nec possint, nec fas sit, *Dei religio, Dei providentia, animæ nostræ immortalitas*; quisquis unum istorum tentarit labefactare, aliorum quoque fidem concutiet; nam si animæ non sunt *immortales*, bene aut secus factorum nullæ sunt pœnæ, nulla præmia, hæc enim omnia in decursu præsentis ævi permista et confusa cernimus, ut nihil aliud sit hominum vita, quàm merum latrocinium: nulla est ergo Deo *cura* de nobis: quod si nos non *curat*, quorsum a nobis *coletur*? vana et stulta persuasio fuerit, *religio* Dei ac *pietas*: at nos tamen, homines omnes, et nationes quantumcunque barbaras, et ab humanitatis institutione alienas atque abhorrentes, animadvertimus abduci naturaliter ad religionem aliquam, laudare ac probare modestiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, mansuetudinem, patientiam, æquitatem: fieri ergo non potest, quin hæc sint bona, et contrariis potiora, cujus rei nulla est ratio, si Deus non sit spectator ac iudex: testantur igitur, nos illi curæ esse, et pietatis præmium alibi expectandum: quod si illic est virtutis precium, et hominis finis, anima profecto illic vivet: et retro idem valet: si anima illic vivet, finis hominis illic est, finis enim ad ultimum et perfectissimum pertinet, qui ea de causa finis nominatur.

Quod si plurimorum et sapientissimorum hominum auctoritatibus aliquid tribuimus, præter tacitum illum humani generis consensum, habemus expressum alterum et manifestum; quandoquidem non solum doctis et ab humanitate instructis nationibus, sed feris ac barbarissimis, ut Getis, Scythis, Indis, et in hunc Novum orbem tamdiu sepositis, et latentibus, persuasissimum est animas hominum hinc in alia emigrare loca,
dig-

digna iis rebus quæ in vita gesserint: ex professoribus autem sapientiæ, ignobilissimi, et qui in deliciis extremum bonorum suorum posuerant, animam fecerunt mortalem, scilicet, iidem illi, qui religionem omnem, qui cultum et amicitiam divorum, qui providentiam, qui divos ipsos funditus extirpaverunt; post hæc autem per pravam persuasionem eversa, non erat animorum *immortalitas* incolumis mansura, quæ conjuncta et complicata est cum causa *providentiæ, ac pietatis*: sapientissimi vero, et sanctissimi philosophorum, nunquam sustinuerunt animam mortalem affirmare, et quasi damnare capitis, ut Pherecydes, Syrus, antiquissimus in Græcia mentis cultor, Pythagoras, ejus discipulus Socrates, Plato, Zenon, Stoicus, et innumerabiles qui ab his veluti fontibus dimanarunt.

Socratis unum ex argumentis est in Phædone Platonis, naturale esse hominibus desiderium sciendi et sapientiæ, quæ cum in vita hac contingat exigua, vel nulla potius, futurum esse absque dubio ut desiderium hoc alibi expleatur, quippe, quod naturale est, de nihilo esse, ac supervacaneum non potest; nam quemadmodum frustra essent oculi astructi animalibus, si nunquam daretur cernere, semper in nocte ac tenebris vitam acturis, ita et cupiditas veritatis, si nunquam essemus illam assecuturi, supervacanea res esset ac deridicula; qua in reputatione, ac persuasione certissima, cessat Theophrasti querela, quod *natura longissimam mutis animantibus vitam concessisset quarum nihil interesset diu vivere, homini vero perbreve cui tantum expediret longam vitam degere ad assequendam sapientiam maximum hominis bonum, nunc vero cum incipimus sapere, morimur*: non hæret in divinam sapientiam et bonitatem justa ulla querimonia.

Satis longam ætatem accepimus ut hic, quantum conveniat, discamus, in altera erit copia sapientiæ, et satietas, in hoc enim ævo quantum esset quod in sapientiæ curriculo promoveremus, etiam si quadruplicaretur nobis vita, et ad quingentos, aut mille annos, perveniret? Non perfert sapientiæ fulgorem mens nostra angustiis hujusce corporis et obscuritate oppressa, haud aliter quàm noctuæ oculi lumen solis, quæ est

Aristotelis magistri similitudo; quocirca tantus philosophus non in accusatione naturæ, hoc est, Dei sapientissimi et optimi debebat sistere, sed ex ea admoneri, sapientiæ hujus, cujus tantum et tam acre desiderium humanis pectoribus natura indidisset, alibi profecto esse locum, et explendæ aviditatis opportunitatem. De Aristotele, quid senserit nihil habeo dicere, obscurus est, lubricus, vafer; in hoc etiam, ne a more suo discedat: uno in loco dicit: *Si intelligere potest mens absque phantasia, separari potest ab ea, sin secus, non potest*: quod ab eo non satis est pro acumine ingenii illius animadversum; anima enim in hoc corpore non potest nisi corporaliter omnia intelligere, hoc est, per corporea instrumenta, quæ exteriora sunt; sensus, interior autem imaginatio, non aliter quàm qui per vitrum aliquid intuentur, non possunt aliter cernere quàm ut illud sinit vitrum; alio tamen in loco idem ait Philosophus: *Separari mentem a sensibus a corpore, ut immortale a caduco*: in hanc præstantissimorum philosophorum, immo philosophiæ totius, sententiam optimus quisque mente ac sensu vadit, nam mortalem esse animam malis et desperatis hominibus optatur, et expedit, boni aversantur, et tamquam noxium refugiunt; si enim, quod paullo antea dicebam, cogitatione revolvat quis absumi prorsus omnia in morte, quasique in perpetuas tenebras absorberi, quæ quis bonus et generosi cordis non exhorreat mortem? quæ huic consolatio suffecerit, aut animatio, quo minus mortem reformidet, et refugiat modis omnibus, eamque cum summa impatientia expectet, et perferat, cum necessitas coget? vel in ipsis mediis cruciatibus, cum in votis est mors, et invocatur tamquam portus e tantis tempestatibus, est tamen quies in illis aliqua, et intercessatio; et concitatus animus mortem inclamat, qui ubi paullulum resedit, consolatur semetipsum spe, vel quod cessabit dolor, vel quod tempus et assuefactio leviolem reddet: denique grata est quomodocunque lux hæc, etiam miserrimis, quæ illis, qui nullis corporis aut vitæ incommodis vexantur?

Age vero, quæ desperatio homini probo, si veniat illi in mentem suorum recte cogitatorum aut factorum, qui nul-

lum

lum in vita præmium ceperit, immo contrà, quod sæpius evenit, malam pro beneficio gratiam, velut paupertatem, infamiam, dolores, morbos, cruciatus, supplicium, nullam virtutis compensationem reliquam esse post vitam, nec plus eum accepturum quàm improbum et sceleratum? Nam memoria nominis nec semper contingit, et iniqua est, quæ et pravis facinoribus laudem et gloriam tribuit, et virtuti ac probitati vel neglectum, vel (quod indignissimum est) dedecus, nec ampla est propter diversitatem ingeniorum, morum, sententiarum in nationibus, aliis enim alia videntur pulchra et laudabilia, nec diuturna esse potest, omnia consumente vetustate, nec quicquam ad vita functos pertinet, nec Achilli prodest sua gloria, vel Socrati, nec Catilinæ aut Thersitæ nocet sua ignominia; quid porro, postea quàm vir sapiens per cælos, per sidera, per elementa omnia, sit animi intentione ac vigore pervagatus, per stirpes, animantes, homines, Angelos, usque ad Regem mundi, per res veteris memoriæ, quæ gesta sint, quæ contigerint? quid illi acerbius potest nuntiari, aut quod minus consolationem admittat, quàm si in hac tanta pulchritudine, tam amæno atque admirabili spectaculo, extinguenda sit mens tantarum divitiarum spectatrix, receptaculum, thesaurus, ut nullo amplius futura sit sensu, nullo in loco, non magis quàm bruti animus abjectus, vilis, torpens, nulliusque capax excellentiæ? Quis est qui post hanc considerationem mortem non pertimescat, etiam in gravissimis vitæ malis positus? contrà vero, quanta bono, et sapienti, consolatio ad casus omnes vitæ, atque infortunia, scire paratum esse locum quietis, non privationis atque orbatationis omnium ut somniarunt stulti, (quomodo enim quod non est, quiescit?) sed felicitatis constitutæ a Deo æquissimo, potentissimo, optimo, quam iis largietur, qui ad bene et sancte vivendum bonam voluntatem attulerint vere, atque ex animo?

Hæc quæ de hominum sentiis atque auctoritate attulimus, eo pertinent, ut fiat liquidum ab ea parte naturam et verum stare, a qua stant boni et sapientes, nempe a nostra; rectius videlicet atque integrius est horum iudicium, quàm ma-

Tom. III.

Ggg

lo-

lorum, aut dementium. Accedit iudicio et maximorum hominum, et maximæ partis humani generis, justitia, probitas, religio, et virtutes omnes, quæ omnia immortalitate animæ nituntur, ac hæc quam in partem inclinant, et veritatem eodem inclinare necesse est; pro his enim citius faciet veritas, quàm pro sceleribus, flagitiis, improbitate, atque impietate, quæ mortalitatis animæ comites sunt certissimæ: sed nec mirandum est magnopere, in definienda atque statuenda animæ natura falsos philosophorum quosdam minutos, ut inquit Cicero, ac ignobiles, cum alii amplioris nominis, in iis quæ sensibus usurpamus tam fæde sint prolapsi, ut quòd nix esset nigra, quam viderent candidissimam, quòd ignis frigidus, quo nihil tangerent ardentius; illud porro est in vitæ negotiis sententiisque misserrimum, et non fictis lacrimis deplorandum, quod ad verum et bonum nulli sunt auctores satis locupletes, et firmæ fidei, ad falsum et malum quivis sufficit, ut non injuria sit illud a Mimographo dictum: *Ad tristem partem strenua est suspicio*: (1) nimirum, ut Ovidius inquit:

Quòd nos in vitium credula turba sumus:

mali videlicet et obscuri, idcirco ad falsum et malum tamquam nostri simile proclives: quàm multi sunt, qui Epicurum derident, Plinium refellunt, imperitos vocant, ut ea quæ in rebus vel vitæ vel naturæ adferrent, non satis habere explorata, at eosdem ipsos quum providentiam et religionem tollunt, iidem illi amplectuntur et collaudant! adeo invaluit in eorum mentes caligo vitiorum, et scelerum!

Sunt qui ajant esse e re vitæ, credi animam esse immortalem, quemadmodum etiam Deos esse, quòd aliter homines nec conservaturi essent sanctam societatem, nec quicquam recte facturi, nisi cohiberentur metu illo, restare alteram post hanc vitam, et deos vindices, quos ideo a metu *deorum* esse nominatos, quasi *deorum*. Quid dicitis? Magno igitur mendacio opus est ut homines velint bene agere? O miserandam conditionem virtutis, si non potest hominibus nisi per ingens mendacium persuaderi, cum nullæ duæ res tam sint inter se amicæ et con-

(1) Piensa el ladrón que todos son de su condición.

cordes, quàm virtus et veritas, nempe germanæ, a Deo genitæ, et humanis mentibus sicut utilissimæ, ita etiam integris jucundissimæ! Ergo Deus potentissimus, sapientissimus, optimus, ea lege et conditione creavisset hominum genus, ut induci ad bene agendum per veritatem non posset, sed per mendacium? et tantus artifex, ad perfectionem operis sui, instrumentum non e domo atque opulentia sua ipsius desumisset, sed ab inimico suo diabolo mendacium, quo nihil est a Deo alienius, qui est mera veritas? Quid restat igitur, nisi ut qui ingenii, aut doctrinæ bono, deprehendisset mendacium, veluti qui hoc dixerunt, et ab eis edocti, ac moniti, soluti essent eo metu quo prius alligabantur, et ut quisque esset doctissimus, vel acutissimus, ita et pessimus quoque, quando superstitione jam esset liber, nec deos ullos metueret, nec aliud quicquam nisi pœnas legum, ita quo propius accederet ad hominis perfectionem cultu ingenii, atque institutione, hoc et ad malitiam et scelera esset armatior ac proclivior, quippe cui arcanum esset detectum ficta et simulata esse omnia quæ præciperentur de virtute ac probitate? Atqui existimatio hæc maxima est humani animi corruptela, et a perfectione avertit, ideoque sententia hæc semetipsam refringit, ut quo quis sit perfectior, eo imperfectior, quo melior, tanto pejor, quo magis homo, ac verius, hoc naturæ ferarum similior, et ab homine remotior: en quanta rationum acies pugnat pro nobis, id est, pro veritate, nam nos quid sumus? veritas est fortissima, maximis viribus fulta, et communita.

Quid expectamus? an ut animas ipsas exilientes cernamus e moribundis corporibus tamquam fumum e flamma? Neque tum deessent, qui præstigias se dicerent metuere, et imposturam oculis suis fieri, ut cum nivem albam cernerent, et ignem ardentem: quid enim satis fuerit ei, qui animo obstinavit non assentiri, ut jam non agatur res apud tribunal rationis, sed affectionis pravæ, ac pertinacis? An tot unquam adducta sunt a philosophis argumenta ad id corroborandum, quod tam exploratum certumque nos habere credimus, quàm ea quæ manibus contrectamus, aut cernimus oculis? Si decima

argumentorum pars ab adversa staret parte, quis posset istorum sustinere importunitatem atque insolentiam, qui nunc inopes, ac destituti ab omni ratione, iudicio, mente, magno tamen adhuc fastidio nos aspernantur, et contemnunt, nostramque veritatem quasi stultitiam derident, quod rationibus habemus fidem, cum illi nihil aliud pro se habeant, nisi, *forsan non ita est, suspicor, aut credo non ita esse?* quibus de causis, et rationibus, adducor ut existimem sententiam hanc de animæ immortalitate, cum sit tanti ponderis, totius probitatis ac religionis fundamentum, non esse inter fidei articulos relatam, quod scientia possit comprehendere, nam quibus tandem, aut quot argumentis assequemur scientiam, si hæc non suffecerint?

Quidam affectantes videri philosophi, ajunt, in fide pietatis animam esse immortalem, in lumine autem naturæ mortalem, quo quid dici potest imperitius, aut dementius? quasi nos quid videatur disputemus, non quid sit; nos vero nec fidei lumen nec naturæ inquirimus, sed veritatem ipsam, quæ non gemina est, sed unica: age vero, quid est naturæ lumen? num non humana ratio? Cedo, an plures aut evidentiores inventæ rationes sunt pro iis quæ scire nos arbitramur ex causis naturæ, ut sententia nostra fert, certissimis, ac perspectissimis? et adferri aliæ possent permultæ, et allatas esse ab aliis non dubitandum; latissima enim res est veritas: sed ego eas tantum posui, quæ mihi in mentem venerunt: *Velim autem mihi ad postremum dici, cur alia omnia quæ de anima traduntur, paucissimis et levissimis conjecturis fulta recipiuntur pro indubitatis, hoc unum tanto rationum agmine stipatum, ac munitum, pro infirmo habetur? et illa quidem stabilia atque indubitata nobis esse, nostra nihil interest, hoc unum tam valde interest, quantum est jam declaratum: profecto liquido apparet, vim esse aliquam homini infestam, atque inimicam, quæ veritatem nobis tam necessariam procuret vertere in controversiam, a cujus perniciosissimis tenebris tueatur nos Deus, lux vera, et immensa.*

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE ANIMA ET VITA

LIBER TERTIUS.

SEQUITUR pars animæ de affectionibus, ad cognoscendum et difficillima propter varietatem, et necessaria ut tantis malis adferamus remedium, morbisque tam sævissimis medicinam, estque tractatio hæc non satis diligenter a veteribus sapientiæ studiosis vel animadversa, vel tradita; Stoici, quos Cicero secutum se profiteretur, omnia hæc argutiis suis perverterunt; Aristoteles in Rhetoricis tantum de materia hac exposuit quantum viro politico arbitratus est sufficere: nos, pro virili parte nostra, singula argumenti hujus subtilius exactiusque persequemur. Condidit omnia Rex naturæ, ut illis de suo impartiretur esse, quo essent, de sua vero beatitudine, ut bene essent, quantum quidem cujusque vis caperet, ac natura; ad quæ sua assequenda et conservanda munia, attribuit facultates, ad esse quidem, pronitatem, ut se quicque ab injuria tueatur corruptentis, quoad ejus possit efficere, ad bene autem esse, appetitum boni, aversionem a malo, ut in bonum feratur appetitus, a malo declinet et fugiat; quocirca cognitio tum sensuum, tum interior omnis, propter judicandum est animanti addita, iudicium vero ad nos vel impellendos, vel retrahendos; retractio autem ipsa, boni alicujus fit gratia, quippe quæ est discessus a malo in bonum: quapropter omnia, boni causâ facimus, similes Auctoris nostri qui est optimus, nam et a malo fugimus propter bonum, et bonum propter se ipsum expetimus; sed in boni electione magni nos in vita errores versant. Bonum est simpliciter, quod prodest simpliciter, bonum cuique, quod ei prodest; hujus e regione situm est malum, quod nocet; bonum ut naturâ est unum, ita etiam nobis, nempe illud quod vere est tale, cujusque participatu nos, et boni sumus, et ea de causa beati; ceterum cæca ignorantia, multa in nos invexit bonorum genera, in animo, in corpore, in exter-

Bonum.

Malum.

ternis, quæ non est hîc percensendi locus, a multis sunt fuse enumerata atque explicata, et sæpe a nobis alibi.

Affectus.

Ergo istarum facultatum, quibus animi nostri præditi a Natura sunt ad sequendum bonum, vel vitandum malum, ac-
tus, dicuntur affectus sive affectiones, quibus ad bonum ferimur, vel contra malum, vel a malo recedimus: bonum et malum in præsentia id voco, non tam quod revera tale est, quam quod quisque sibi esse judicat, nam quid bonum esse existimemus, quid malum, judicii est, eoque tanta circa hæc opinionum fraus quoniam multæ sunt, et prædensæ in judicio nostro tenebræ, tametsi in hac quoque parte semina quædam habemus a natura veritatis ingenita, ut antea posuimus, sed ea tamen admodum universalialia, velut ex duobus illis Dei muneribus *bonum esse conservationem sui ipsius, et beate vivere*; cum vero ab hoc capite ad partes descenditur, multi statim existunt lapsus, grandia præcipitia: sunt quidam animorum motus, seu impetus verius, naturales, qui ex affecto corpore consurgunt, ut edendi cupiditas in fame, bibendi in siti, mœror in morbo, vel premente atra bili, exhilatio in liquido et puro sanguine circa cor, offensio ad plagam; ii judicio anteverunt, reliqui omnes quantumcunque celeres, et prærapidi, judicii sententiam sequuntur; non enim movetur animus, nisi præjudicatum sit bonum esse, aut malum, id quod est objectum; idemque in brutis usu evenit, in quibus non sola imaginatio parit affectum, nisi et existimatio accesserit quæ illis judicii cujusdam locum obtinet: sed et mentis nostræ agitationes incitatissimæ sunt, nec requirunt ea tempora, quæ utique nos facile deprehendamus atque annotemus, idcirco prævertere nonnunquam animi motus judicio putantur: mente, ergo, aliter atque aliter edocta, atque instituta, mutantur affectus augmento et decremento, vel tolluntur prorsus, atque in aliorum vim et quasi jus concedunt: quæ judicium moveant, inque varias sententias traducant, dictum est a nobis superiore volumine, consequens etiam est ut eadem illa ad concitandos sedandosque animi motus valeant; sed non semper ad affectum excitandum opus est judicio illo, quod ex rationum collatione de-

re-

rebus statuit; illud sufficit, et est frequentius, quod imaginationis movetur visis.

Itaque solâ phantasiâ trahente ad se tumultu suo speciem quandam opinionis et judicii quod bonum sit, aut malum, quod est ei objectum, in omnes animi perturbationes versamur, timemus, lætamur, flemus, tristamur, quo fit, ut manifesto ad partem corporis vergant, in quo tantopere dominatur phantasia: quamobrem affectus omnes in præsentia, in easdem illas qualitates tribuemus ex quibus corporis natura constat, ut alii sint calidi, alii frigidi, alii humidi, alii aridi, alii ex horum aliquibus commixti, nam humani corporis contemperatio ex his ipsis qualitatibus efficitur, et cujus quisque affectus est naturæ ac ingenii, in simili corporis natura facile tum nascitur, tum augetur, in contraria non perinde: hæc autem corporis temperationes aliàs incitantur atque exacuuntur, aliàs comprimuntur et coercentur, internis atque externis rebus; internæ sunt affectus ipsi, nam tristitia facit frigidos et aridos, lætitia calidos et humidos; affectus enim rationem corporis non recipiunt modo, sed præstant, corporis autem sunt cibus et potus, ætates, morbi, non utique perpetuo, nec per omnia, sed plerumque; hæc multum mutant in corpore, unde etiam affectus variantur, in iis præcipue, qui se animo suo auferendos permittunt, nec rationis exactique judicii clavo se ipsos moderantur; his accedunt cogitationes crebræ, studia magna, difficilia, ardua, reddunt enim melancholicos; sententiæ quoque de rebus, ut Democritus semper ridebat, tamquam in perpetuis hominum stultitiis, atque ineptiis, Heraclitus semper flebat, tamquam in continua hominum miseria: hæc sunt externa: tempus naturale ut quatuor anni partes, et diei horæ, tum nostrum, quo continetur status rerum, seu publice, seu privatim, locus item naturalis, noster, quæ omnia sunt alibi fuse explicata; in loco est habitatio, et vestitus, et comites, jam negotia, et actiones intentæ, vehementes, laboriosæ, delicias, molestæ, difficiles, placidæ, leves.

Ceterum affectionum non est simplex appellatio, nam facultates naturales in animo dilatandi sui ad bonum, et contra-

hen-

hendi a malo, affectus sunt, et earum actiones in animo, eodem censentur nomine, consuetudines quoque, quæ ex actionibus invaluerunt, quæ ἁπλῶς Græco verbo nominantur, hoc est, habitus; quæ omnia tenenda erunt deinceps, ne fallamur; quod autem horum usurpabimus, facile de sensu intelligetur: et quandoquidem animus erat habitaturus in corpore, indita est animanti ab admirabili artifice Deo facultas hæc affectionum, ut quibusdam veluti stimulis excitaretur animus, ne jacens penitus, obrutusque mole corporis, veluti segnis asinus, torperet perpetuo, bonisque suis indormisceret, et in eo, quod illi valde expediret, cessaret; itaque variis tamquam calcaribus hinc inde subinde excitatur, alias autem cohibetur freno ne ruat in noxia: homini etiam iidem isti non desunt stimuli, ac freni, qua parte est animans, cui sunt eisdem de causis necessarii; sed nos nimium et exacuimus hosce stimulos, et gravia fecimus hæc lupata, dum levi atque expeditæ necessitati immane pondus adjecimus superfluitatum: at vero, quemadmodum in maris motibus est alius auræ tenuis, alius concitator, alius vehemens quique horrida tempestate mare omne a fundo verrat cum arena ipsa et piscibus, sic in his animorum agitationibus, quædam sunt leves quas velut initia quædam dixeris surgentis motus, aliæ sunt validiores, aliæ animum universum concutiunt, deque rationis sede, ac statu judicii, depellunt, quæ vere sunt *perturbationes*, et *impotentie* quod quasi jam animus sui non sit compos, sed in alienam potestatem reciderit, et *cacitates* quod nihil despiciat; nam primas illas, *affectiones* rectius dixeris, alteras, *commotiones*, seu *concentrationes*, quæ Græci *πάθη* nominant, quasi *passiones*, patitur enim animus universus illo velut ictu et agitato, qui cum est violentior, fit *confusio*.

Qui autem affectus usu invaluerunt, vitia et morbi animi recte nuncupantur, quod aptius competit in affectus pravos, de quibus alia est tractatio; et sunt affectus nonnulli in transitu, tamquam pudor ex verecundia, metus ex inani sonitu, alii manent, ut metus, aut reverentia, diutine confirmata, omnis denique affectus, vel usu radicans, quique consuetudinem frequentiam actuum duxit, vel diuturna et valida quapiam ac-

tio-

tione infixus; sunt quidam a natura inditi, ex constitutione corporis, et si longa quoque assuefactio in vires naturæ migrat: affectus ut sunt in parte animali carni adjuncti, atque adherentes, quo judicium est contagio corporis infectius, magisque immersum carne, hoc surgunt et graviore, et plures, nec solum internos animi sensus perturbant ac pervertunt, sed externos quoque; ita amantes, irati, metuentes, cernere sibi et audire videntur quæ nusquam sunt; certe *omnes*

—*Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt*, (1)

inquit Poëta: quo est autem purius judicium, et celsius, eo pauciores et magis leves affectus admittit, tanto scilicet accuratius despicit quid quaque in re sit bonum et verum; ita fit, ut commoveatur tum rarius, tum lentius, nam ingentes illæ agitationes, et præturbidæ, ab ignorantia sunt et inconsideratione, aut a falso, quod bonum, malum've, majus censemus esse quam revera sit, nimirum, per nebulam intuentes imperitiæ, nec in unum aliquod bonum, quale oportet, intenti ac defixi agimus, sed bonorum, et fines et media, plurima et varia nobis præstituimus, quæ subinde locis, occasionibusque, mira inconstantia permutamus.

Adde quod non considerantes surgentem motum, nec nos habentes in nostra potestate, objicimus nos ipsi tempestate auferendos, non quod ipsi volumus, sed quod ei libuerit; quumque non statuto mentis judicio res aggrediamur, et obeamus, sed arbitrato naturæ, tantum commovemur, quantum natura potest, sunt enim actiones naturales non ex limitibus voluntatis nostræ, sed ex facultatis cujusque summa vi ac potentia: multo sunt omnia in sapiente diversa, is enim nec in eligendo bono fallitur, et unum aliquod sibi proponit, paucasque ad illud vias, easque exploratas, ac certas; nec permittit se regendum negotiis, sed regit ipse negotia, habetque se in suo jure ac potestate, *ut surgentem vi naturæ affectum, statim rationis freno compescat, cogatque recto judicio cedere.*

Tom. III.

Hhh

ENU-

(1) Virgil. Eclog. 8. v. 8.

Affectuum
causa.Affectum in
genere va-
rietatis.

ENUMERATIO AFFECTUUM.

CAP. I.

MOTUS omnis animi de bono est, aut de malo quatenus contrarium est bono, estque vel ad bonum, vel a malo, vel contra malum; bonum autem et malum, vel præsens est, vel futurum, vel transactum, vel possibile; absentia boni pro malo est, mali autem pro bono: bonum simul atque est menti cognitum, allubescit continuo, primaque est ea velut surgentis motus aurula, quæ allubescencia nuncupatur, ea vero confirmata, fit amor, motus autem de bono præsenti quod sumus assequuti, lætitia, de bono futuro, cupiditas nuncupatur, quæ intra amoris limites includitur: primus motus de malo est offensio, allubescentiæ contraria, quæ confirmata, fit odium, de malo præsenti mœror, de futuro metus, motus in malum præsens, ira, invidia, indignatio, in malum futurum, fiducia et audacia: sub amore sunt, favor, reverentia, misericordia; sub lætitia, delectatio; sub cupiditate, spes; sub mœrore desiderium; superbia monstrum est ex multis mixtum, ex lætitia, et cupiditate, et fiducia: extendunt se hi omnes affectus ad præteritum, itaque et odimus, et amamus, et miseramur jam olim vita functos; ad possible etiam, et ad tamquam præterita, sicut in fabulis, quas esse falsas scimus; et ad futura, tamquam præsentia, jam nunc odimus Antichristum; et tamquam futura, ut si narretur fabula fore aliquem virum, virtute et magnitudine rerum gestarum præstantissimum, amamus; et ad præterita, tamquam futura, ut quum historiam legimus, tenent suspensum animum spes, ac metus, quem tandem exitum res capient; illud anotandum, quoniam affectus sunt animorum motus vel actu, vel potestate ac vi, non haberi pro affectibus æquanimitem, et tranquillitatem cordis, ut mansuetudinem, securitatem, quippe quæ non sint motus, nec opera affectus nuncupari, nec nasci ex iudicio, contra quàm Stoicis placuit, sed esse naturalia, prout quisque est animo habitus, ut fletum in mœrore, exanimationem in metu, exultationem, et gesticulationem, in lætitia immodica.

Af-

Affectuum alii sunt natura sua validi, ut amor, atque odium, alii de causis extrinsecus illis additis, id est, foris advenientibus, sed omnes tamen ex constitutione corporis præcipuas nanciscuntur vires, sicuti dudum dicebam; in affectibus, quemadmodum affectuum inter se alii ex aliis facile suppullulant, ita et alii ab aliis coercentur, et restinguntur; ex amore invidia oritur, et odium, atque ira, si quis rem caram oderit, aut læserit, sicut ex iracundia cupiditas ultionis, et lætitia vindictæ; et si quis quid amat, eventurum cupit et sperat, ut eo potiatur, non eventurum timet, si eveniat lætatur, si non eveniat, quum cogitabat atque expectabat, in mœrore se abjicit: vicissim, magna lætitia mœrore diluitur, invidia misericordia, vel metu, et alio mœrore premente alius mœror aufertur, vel metu dolor, aut ægritudo, ut in pugna, et præsentis discrimine, currit enim claudus, hoste urgente; itaque sunt hæ tempestates instar undarum, et fluctuum, quorum sequens modo priorem auget, alias minuit, et opprimit; nec secus quàm in civili dissensione nemo meliori auscultat, sed potentiori, ita in dissensione affectuum nullus justiori paret, sed valentiori, illi, scilicet, qui sui juris universum animum fecerit, cujusmodi esse incitatus amor consuevit; nam quòd quis ob metum cedit victori, aut latroni, fortunas, uxorem, liberos, id facit, quia plus amat se quàm illos, namque qui contra, mavult mori in vestigio quàm aliquid tale perpeti; et qui hostem ex odio, vel inimicum ex iracundia, vel invidiosum ex invidia acriter persequitur et acerbe accipit, etiam cum suo magno discrimine hoc facit, quia semetipsum amat vehementissime, et in eo sibi obsequitur, atque adeo indulget, immo verius servit, nam qui se ipsi non tam tenere diligunt, minus sunt in asperitate actionum pertinaces, nec tanto rapiuntur impetu ad explendas animorum cupiditates.

Origo et pugna affectuum inter se.

DE AMORE.

CAP. II.

Allubescen-
tia.
Amor.
Cupiditas.
Desiderium
Amicitia.
 QUOD bonum esse judicatur, simul ac voluntati est oblatum, movet eam continuo, et allicit ad se se congruentia quadam naturali, qualis est veri cum mente, formosi cum oculo; motus hic voluntatis est exhilaratio illius quædam, et tamquam frontis exporrectio, atque arrisus, quo voluntati placet illud quasi bonum, et sibi congruens, allubescencia sit nobis appellata, quam exterioribus signis testantur muta, saltibus, vocibus inconditis, adulatione; homo vero placiditate vultus, exporrectione superciliû, exhilaratione, risu, denique tam homo quàm bellua ad primum boni conspectum deponit feritatem, si quam habet, et incipit illi admansuescere; allubescencia confirmata est amor; hunc licet intelligere voluntatis sive inclinationem, sive progressum ad bonum, exit enim voluntas obviam bono venienti ut id complectatur, unde nascitur conjunctionis expetitiô; quæ si propter nos est ut per bonum illud bene sit nobis, immo vero non alia de causa judicatum est bonum quàm quod nobis conducibile, beneque esse nobis per illud potest, amor hic cupiditas, seu concupiscentia, nuncupatur: quæ duas habet partes: nam si bonum experimus quod nondum possidemus, de futuro est, vocaturque desiderium, sin de eo quod consecuti jam sumus in præsentî, nominatur appetitus conservationis, seu retentionis; hunc in modum diligimus omnia, quæ utilia esse existimamus, aut jucunda animo, corpori, fortunis, quin et Deum hac ratione non pauci, quòd auctor largitorque sit ingentium bonorum; est quum res propter se ipsam amatur, quia in se bona, detracto respectu omninostrarum utilitatum; verus est hic, et germanus amor, qualis amicorum inter se, cujus specimen omnium manifestissimè conspicimus in parente erga filium: ex amore amicitia nascitur, quum id quod amatur, redamat, et reciprocatio est in benevolentia. Bonum hoc in quod amor fertur, non extantis est modo temporis, sed in transactum recurrit, ut erga viros

ea

ea virtute insignes quam nos plurimi æstimamus, et quæ in venturum se porrigit, adde etiam ad res fictas et fabulosas propter imaginationem veritatis, de quo supra disserebam.

Bonitas ex operibus colligitur; bonos censemus eos, qui Boni qui. probe sunt officio suo perfuncti erga Deum, patriam, parentes, principem, herum, amicos, liberos, necessarios, propinquos, familiares, socios, cives, peregrinos; quæ officiorum ratio in humano genere patet latissimè, quando ut recte est a M. Tullio scriptum: *Nulla vitæ pars seu publica seu privata, carere potest officio*: habentur pro viris bonis, qui quàm plurimis profuerunt, prosunt, proderunt; et quia unusquisque sibi est carissimus, amat eum qui ipsi beneficit, aut iis quos ipse amat, ut filiis, aut amicissimis, amor enim omnia reddit unum; nam qui nobis, aut iis, quos habemus benevolentia conjunctos, profuit, eum rite fungi suo officio ducimus, et bonum esse virum, qui amet quod amari est dignum, quisque enim videtur sibi et bonus et dignus qui ametur, nec conservare se ac tueri cuperet, ni hunc in modum esset affectus; etiam qui ipse sibi manum violentam adfert, caritate sui hoc facit, ut se vel urgentibus, vel impendentibus malis subtrahat: ex hoc amore nostri oritur amor erga filios nostros tamquam partem nostri, erga consimiles, erga opera nostra; similitudo enim amoris est causa, tamquam in alterum ipsum, quoniam similitudo idem quodammodo efficit, eoque animantes omnes ad similes sibi formas facile aggregantur, et pueri complectuntur ac deosculantur specula, in quibus imaginem sui aspiciunt, quoniam inesse intus arbitrantur puerulum aliquem sibi similem: et quantum existimari convenit fuisse illam amoris flammam, quæ in animo Adæ ad primum Evæ conspectum excitata est, in qua ille velut semetipsum est intuitus aspectu novo penitus? Sed ad amorem conciliandum fortior est animorum similitudo quàm corporum, ea vero ex eadem constitutione corporum existit, et pari proportionem contemperationis, ex iisdem studiis doctrinæ, persuasionibus, vitæ institutis, ac moribus; usus quoque, et assuefactio, animum animo adaptat, unde amicitia inter consanguineos, necessarios, cives, condiscipulos, consecutaneos, familiares, domesticos.

Est

Similitudo
amoris cau-
sa.

Est in quibusdam hominum admirabilis animorum congruentia, quæ illos occulto quodam naturæ concentu statim conjungit nexu voluntatum, ut quos antea nunquam videramus, ad primum conspectum diligamus, sicut contrà inconvenientiâ et adversitate quadam animorum, aversamur, et odimus quosdam prorsus ignotos, alios, etiam de nobis benemeritos, adduci nullo pacto possumus ut bona fide diligamus; non tam est hæc interdum similitudo temperamenti corporei, quàm competentia quædam animorum inter se, ad constituentem harmoniam qualis est sonorum in concentu musico et proportionis humorum in sano corpore, ut alter alterum non propter similitudinem appetat, sed ob proportionem, quo quasi absoluta fiat ea conjunctione harmonia, et gratus quidam existat sonus, idem, scilicet, velle, et idem nolle; quo fit, ut non raro homines diversissimis ingeniis, maximeque contraria corporum constitutione, firmissimas tamen inter se colant amicitias: de hoc amore merito Plutarchus inquit: *Nescias unde venerit, aut quomodo irrepserit*: at quemadmodum ex operibus interiorum bonitatem judicamus, sic imaginem animi existimamus esse faciem; hac de causa formosos naturaliter diligimus: *Formosa facies*, inquit Mimus, *nuta commendatio*: nisi forte experti sumus improbum animum, et tamquam deformem hospitem habitare in formoso hospicio; commendabilior est facies non adeo speciosa, ut venusta et grata atque in modestiam ac moderationem composita; hoc videlicet certius est animi recte constituti argumentum: sed sunt tamen causæ aliæ, cur amorem ad se pulchritudo attrahit, ut paleas succinum, quas ex Platone et Platonice desumemus; nam ut mundus per amorem ex infirmi factus est non formatus modo, sed formosus quoque, ita et amor, infusus per mundum, ad pulchritudinem rapitur, ut sit fonti illi unde derivatus est conformis; adde quòd pulchritudo omnis velut radius quidam est, et vestigium immensæ illius ac divinæ pulchritudinis, eoque pro magno bono accipitur, illamque admiramur, et quemadmodum divina species veros amores elicit, ita imago illius imaginem quoque amorum.

Forma amorem conciliat.

Quid

Quid, quòd pulchritudo corporum pulchritudinem nostrorum animorum refert, atque exprimit, et quasi proponit ob oculos, concinnitate, elegancia, proportionem, concentu seu harmonia? perfectio enim interior perfectionem exteriorem gignit, illa vocatur bonitas, hæc pulchritudo, quæ veluti flos quidam videtur esse bonitatis, quasi seminis sui, unde est illa Græcorum *καλοκαγαθία*: itaque animus noster in formositatem tamquam in similem propendit, in qua, non sine admiratione, ac benevolentia, corporaliter expressum cernit quod ipse spiritaliter a Deo tributum possidet: consimilem ergo naturam amplectatur animus, aspernatur deformitatem tamquam dissimilem, et a se alienam; est enim in animo cujusque species quædam, vel a natura, vel ab arte, vel a consuetudine depicta, bonitatis ac pulchritudinis, vel contrà malitiæ ac deformitatis; pictura rei exterior picturam illam interiorum contingens, si congruit cum nostro bono et pulchro, amatur, sin cum malo et turpi, rejicitur, unde existit tanta in judiciis boni et mali, pulchri et deformis, varietas et dissensio: hanc animorum congruentiam cum corporibus licebit intelligere ex opere et operis imagine in opificis animo. His accedit, quòd bonitas auctoris omnium adduxit illum ad creationem hujus tanti operis, pulchritudo autem radius est bonitatis per universa diffusus, ut quicque plurimum ejus accepit, ita est amabilissimum, nam amoris parens est bonitas, ut pulchritudo, et amor, ex eadem videantur parente progenita; ex quo fit, ut non una sit decoris ratio; primus enim in rebus condendis radius *in mentem* incidit, ornans eam intelligentia, et contemplatione, quæ est suprema speciositas; secundus fertur *in animam*, illustrans eam cognitione; tertius *in effectiones* graduum inferiorum, fœcundans illas seminibus ad propagandum genus; infimus, etiam valde turpidus, *ad molem materiæ* pertingit, delineans depingensque illam varietate formarum: hæc sunt pulchritudinum omnium notæ, ac rationes, divinæ illius ac immensæ lucis splendores.

Intelligentia ad duos primos illos amorum gradus scandit; imaginatio autem sistit in posterioribus; inde sunt amores corporum, et cupido gignendi in pulchro, vel de pulchro, ut

Amor u-
niens.

for-

formam educat pulchro similem, erga quod est affectus; amoris efficacia, ultima, et suprema, est, ex multis unum facere, ex diversis idem, quocirca qui amato bene vel cupit, vel facit, et amanti videtur idem præstare, atque eo magis, si illius causa, ut in commendatione; eadem ratione et illos diligimus, quos caros esse scimus iis, quos amamus; amor enim, ut naturam suam est conjunctor et copulator, quocumque se convertat adnectit semper et adjungit, sicuti odium e contrario disjungit, dissolvit, separat: cavendum tamen, ne quod amatur ex eo sit genere quo velis solus potiri, tunc enim rivalitas existit, et inde malevolentia. Vertitur crebro amor concupiscentiæ in verum: amo sanitatis causa medicum; eam postquam is reddidit, amo illum vere, atque ex animo tamquam virum bonum; quo autem bonum quod accepi, est mihi præstabilius, et frequentius, hoc magis gliscit amor.

Ideoque maximus et ardentissimus est in Deum, si quis naturam illam beneficentissimam rite contempletur: amor omnis, qui originem ex debita gratia sumit, eo est flagrantior, quo, vel nos minus sumus remunerati, vel qui profuit, minus expectavit, aut expectavit; quo in numero præcipui sunt parentes humani, sed omnes excedit Christus: pro beneficio est malum avertisse, ac depulisse, sicut pro maleficio impedimentum, atque obex boni; sed non est purus amor, et verus, quousque utilitatis respectus omnis sit abolitus: et quemadmodum amatur beneficus, ita et benefaciens amat eum cui profuit non secus quam opus suum, ut filium pater, et magister discipulum; quin etiam plerumque evenit ut juvantis et benefacientis caritas sit ardentior, quam ejus qui usus est beneficio; amor enim illius est ex bonitate; hujus ex necessitate, in illo est decus, et gloria, tamquam in majore, et potiore, in hoc autem, velut inferiore, quidam (ut sic dixerim) pudor: ergo fortius habet, et præstabilius, amoris principium benefaciens, nempe voluntatem suam, et bonitatem, amor autem, ut est de bono, facilius et fortius proficiscitur ex bono in bonum, quam ex necessitate in bonum; benefaciens agit quia vult, qui recipit autem quia eget, recteque illud dicunt vulgo: *Amorem, etsi na-*

tu-

turæ igneæ, descendere, non ascendere: magis amat parens filium, magister discipulum, tutor pupillum, quam contrà, maximusque et ardentissimus amorum omnium est Dei erga nos, quem sapientissime Divus Joannes non amantem, sed *amorem ipsum* nominavit, et Dionysius in Sacris nominibus: confidenter id quoque verissima ratione dicemus, quod ipse Auctor omnium pro bonitatis magnitudine omnia amat, omnia operatur, omnia perficit, omnia continet, convertitque ad se omnia.

Verum inter omnia quibus amor elicitur, nihil est amore fortius, ac validius, nihil amorem æque conciliat ut amor, nulla certiora sunt aut potentiora philtra, hoc non fit verbis, inquit ille in Epigrammate: *Marce, aut ameris, ama*: (1) modo vere tamen, ac bona fide, nam ficta et simulata nihil obtinent virium, ac nervorum; ignis in tabella pictus non calcificat, nec rugit aut sævit leo marmoreus; hæc amoris reciproca generatio, sive occulto quodam naturæ tactu accipit semina, et devinctio- ne illa rerum omnium inter se, quod nonnullis philosophis placuit, ita ut si unum aliquod attigeris, paria et similia moveantur, ut in chordis testudinis, sive quod a quo nos amari cognoscimus, hunc bonum esse virum arbitramur, debitumque officium congruenter exequi, qui quod amandum sit amet, ea- que de causa, ut bonus redamatur; qua de causa sæpenumero amans non redamatur, quod amatus amari se non sentit; Platonici rei hujus altius radices inquirunt; ajunt enim magnam amoris parentem esse similitudinem, propterea quod quum quisque sit sibi ipse a natura conciliatissimus, similitudo autem est ceu natura quædam in pluribus eadem, alterum ipsum similitudo efficit; quod si tu sis mei similis, ego necessario sum tui; hinc sequi, ut quæ similitudo te ut me ames inducit, eadem ipsa me ad te amandum adducat: accedit huc, quod amans amati faciem atque imaginem in animo suo insculpit ac impri- mit; qua de causa amantis animus speculum quoddam redditur in quo amati relucet forma; quum ergo amatus in amantis se se animo intuetur, et recognoscit, amare illum compellitur

Tom. III.

lii

in

(1) Ama a quien te ama, i responde a quien te llama, i andaras carrera llana.

in quo quasi se habitare intelligit, quemadmodum infantes imagines suas in speculis deosculantur: ad hæc, amans semetipsum sibi aufert, et dedit, ac mancipat amato, hunc ergo jam amatus ut rem suam caram habet, curatque; si conspici a nobis voluntas ipsa posset, ex ea de amore judicarem, quod solus facit Deus, scrutator cordium; sed quoniam voluntas nostra magnis et multiplicibus est involucris contexta, ut ad eam nec oculorum, nec mentis nostræ acies penetrare valeat, ex operibus de illa statuimus, prout sunt hæc magna, crebra, gratuita, prompta; quòd si quis non potuit opera præstare, at dedit sanum et præsens consilium, declaravit se conari, vel tentando, vel manifesta indicatione affectus alicujus qui voluntatem patefaceret, ut si quos ipsi odimus, oderunt, amant, quos amamus, irascuntur, quibus irascimur, lætantur in nostra lætitia, tristantur in nostro mœrore, et lacrimas dant quæ ad manifestationem interioris habitus voluntatis prævalidæ sunt.

Ergo qui nobis obsequuntur, qui laudant nostra omnia, quibus boni viri videmur, eos dignos amore atque amicitia nostra ducimus: *Obsequium amicos*, ait Comicus, *veritas odium parit*: (1) qui curant nostra oblectamenta, qui avertunt tristitia; contra autem, reprehensores, et in contrarium tendentes, quique nos pudefaciunt, aversamur, et devitamus; nam in illis idem videtur affectus inesse, in his contrarius, ac repugnans, iis quidem, qui speciosa utilibus præferunt, aut vanas delicias solidis et mansuris emolumentis, quales sunt adolescentes, et viri voluptatibus assueti, quibus gratior est leno, aut scurra, aut aleator, aut corruptor bonorum ingeniorum, quàm vir sapientissimus et prudentissimus, nimirum mavult sus lutum, quàm amaracinum: ab omnibus amorem impetrant simplices illæ, et mansuetæ virtutes, æquitatis, modestiæ, moderationis, frugalitatis, sive ob innoxiam excellentiam, seu quod inferiorem omnes amplectimur, superiore gravamur, specie quadam libertatis, quæ, in depravata natura tamquam solo vitiato, in

ar-

(1) Lo que se gana regalando, se pierde corrigiendo. Mal me quieren mis comadres porque les digo las verdades; bien me quieren mis vecinas porque les digo las mentiras.

arrogantiam degeneravit: accedit huc, quòd modicis, et moderatis, et blandis, et mitibus, atque obsequentibus, existimamus nos bonos viros videri, honore et benevolentia dignos, gravibus autem censoribus, castigantibus, multo secus: inter mansuetas virtutes est sobrietas, taciturnitas; tales diligimus: minime autem loquaces, aut futes, aut in malis amicorum scrutatores quæ improbi homines non ad ferendam opem inquirunt, sed ad curiosam quandam cognoscendi aviditatem, plerumque etiam ut habeant quod cum notis possint garrere, ac arrodere, de quibus est illud Horatii: (1)

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem est.

hi sunt in perquirendis familiarum damnis vehementer solliciti, in prosperis vero remissi, ac securi: aptos quoque ad amicitiam remur qui injurias facile vel obliviscuntur, vel remittunt; ut rursus odiosi sunt qui recordari præ se ferunt; his accedunt qui beneficia non exprobrant; illius quoque amicitia valde expetitur, cujus sit erga amicum fides, ac benevolentia, spectata, quemadmodum Dionysius Siciliæ tyrannus tertium se addi optavit amicitia Damonis et Pythiæ, philosophorum de schola Pythagorica, quorum, monumentis litterarum, celebrata est fides in capitis periculo; et ut jucundi sunt anteacti labores, sic etiam illi jucundissimi qui in ipsis laboribus nos non deseruerunt, sed adfuerunt pro viribus, unde illud: *Amicus certus in re incerta*: (2) ex quo affectu Dominus noster dicit suis discipulis: *Vos estis, qui permansistis mecum in afflictionibus meis*: quos metuimus, amare non possumus, ut viros potentes non item bonos; et prudentia sine justitia suspecta est, astutia enim, et fraudulentia censetur.

Fiducia de aliquo ex eadem pullulat radice, qua et amor, nempe judicio boni; itaque amor auget fiduciam, et fiducia nascenti amori multum adminiculatur. Est amor affectus cali-

Amor calidus.

Iii 2

dus,

(1) Epistol. lib. I. epist. 18. v. 69.

(2) Echate a enfermar veras quien te quiète bien i quien te quiere mal. En el peligro se conoce al amigo.

cus, et in calidis constitutionibus, atque ingeniis, facile concipitur, tum circumstantiis calidis, loco, tempore, actionibus; sed plerique calidorum levibus de causis amorem deponunt, partim quia facile offenduntur, partim quòd subeunt affectus alii, velut spinæ quæ amorem præfocent, invidia, ira, superbia; transeunt quoque, ex lubricitate, ac levitate, ad alios amores qui priores excutiunt; quòd si sanguis sit tenuis, et spiritus rari, extinguitur levi motu flamma in levi materia concepta, sin vero densa sit materia, et firma, nec facile mutationibus cedens, in calida contemperatione validissime amor dominatur, nisi quòd periculum est ab aliis præfervidis affectionibus, ira, et arrogantia, et invidentia: minus offenduntur temperati, et sanguinei, eamque ob causam amorem diutius et fidelius conservant, est enim in his amor non tam ardens quidem, sed plus tamen habens fomenti; priores illos, ceu stupas quasdam, dixeris, hæc ligna, impetus quidem in illis major est, in his perseverantia; videre est juvenes amicos, quorum alter pro altero vitam evidenti discrimine objecerit, quod pater vix auderet pro unico suo, et quidem ex vulgari amicorum nota, sed stupa est hæc subita flamma correpta, patris autem amor major est, solidior, diuturnior: frigidi ergo lentius amant, et segnius, sed si in eis semel amor evaluerit, amant flagrantius, et constantius, accenditur videlicet densa et sicca materies, magnus diutinusque igni fomes, ut ferrum.

CUPIDITATES.

CAP. III.

Cupiditas est appetitus boni, quod conducibile videatur, vel assequendi, si absit, vel conservandi, quum adest; conducunt bona partim ad esse, partim ad bene esse; ad esse pertinent necessitates vitæ tuendæ, ac propagandæ, quæ naturales nuncupantur, cibus, potio, medicina, ignis, tectum, indumentum, qui appetitus potius dicuntur, quàm cupiditates, in quibus impetu rapitur animus tacito naturæ stimulo punctus, atque in-

citatus transilit iudicium, neque illi auscultat, ut in siti, et fame, quæ ideo *malesuada* dicitur, et in prægnantium appetentiis, quæ *pice* nominantur; ut bene autem sit nobis, accersimus tum commoditates, ut cibum apte paratum, vinum, vel cervisiam in potionem, lanam et linum textum, adjumenta extrinsecus a belluis et hominibus; tum voluptates et delicias per sensus omnes, quæ longius petuntur; nos alia confinximus, ut nobilitatem, decus, famam, dignitatem, opes, gloriam, et hæc omnia non solum numero, sed ingenti mole, ac magnitudine adauximus, unde examen erupit cupiditarum, sine termino ullo, ac modo, ut merito Plinius Secundus dicat: *Nulli animalium libidinem esse rerum omnium majorem, quàm homini, quum alioqui paucissimis indigeat*: homini cupiditas est astructa ut quod bonum sibi esse credat, expetat, sequaturque, adeptus vero retineant, et conservet; bonum autem hominis verum, et solidum, est Deus, itaque usque ad Deum concupiscendum se extendit, qui quoniam est immensus, fit ut et cupiditatis quoque nostræ laxitas immensa sit, nec re alia expleri queat præter quàm Deo ipso, ibi demum sistit, et conquiescit: quo res nobis videtur conducibilior, hoc acrius expetitur, et diligentius asservatur; sed in conducibili variant hominum sententiæ; juvenili animo conducibilissimum videtur voluptas, viro decus, ægro sanitas, seni victus, principi gloria, cuique ut est, vel corpore, vel animo, affectus; de quo supra diximus: calidi acutas habent cupiditates, et vehementes, et quas celerrime vellent expleri, sed mirabiles, et varias, sicut de amore diximus; frigidi autem, pauciores, et segnes, sed pertinaces, intenti in illam unam, quamcunque sibi delegerunt, vel quæ animum inflammavit.

Fiducia cupiditates minuit, timor auget; qui securi sunt non defutura quæ sint opus, ii nec in parando, nec in conservando sunt anxii, velut adolescentēs, et viri animosi, et ebrii, quibus multus et præfervidus est sanguis circa cor, adde etiam necessitatum in expertos, et qui quemadmodum, vel acquirantur utilitates, vel amittantur, ignorant; qui vero metuunt ne desit, avide tum quærunt, tum custodiunt, ut invalidi, ægri,

Cupiditates
causa.

ægri, mulieres, senes, denique quibus sanguis est ad cor exiguus, rarus, tepidus, naturaliter enim hi anxii sunt, et solliciti ne desit, haud quidem argumento aliquo, vel conjectura venturæ necessitatis, sed metu et sollicitudine premente cor; quo fit, ut ex lautissima et profusissima juvena, nascatur sæpenu-mero senectus præparca nimis, et sordida, et qui sani ac valentes erant liberales, in morbo attendant ad rem nimis abjecte, ut cibos quoque salutare aversentur, si carius sint emti quam vellent, sobrii quoque avari, liberales fiunt ubi incaluerunt mero: præter hos omnes, qui quod concupierant non absque difficultatibus sunt adepti, arctius id retinent, seu timore suscipiendi rursum laboris, seu quod ægre parta cariora sunt quasi magno emta, ut gnavo et laborioso negotiatori sua pecunia, matri filius, et nos Christo qui redemit nos universo suo sanguine; sicut vicissim, quæ facile obvenierunt, negliguntur, ut fere hereditates. Ad assequenda quæ concupiscimus, addita est homini cura, et sollicitudo, et audacia; ad retinendum autem, et custodiendum, metus, et cautio, et contra nocuum in vadens audacia: cupiditates acceperunt ex rebus nomina particularia, velut ex ære avaritia, ex honore ambitio, ex gustu gula, ex Venereis libido, et alia quæ sunt infinita, et sua cuique genti, ac linguæ, in quo Græci copiosi sunt; sed potissimum annotantur ea in usum vitæ, in quibus, vel vitium versatur, vel virtus, sicut de pecunia, et honore, ac dignitate, quæ sunt justitiæ, de gustu, et tactu, quæ continentia, de cognoscendo, et sciendo, quæ curiositas: nam indifferentia, ut cupiditas equorum, venationis, spectaculorum, et alia, infinita sunt, ideoque sub artis præcepta non veniunt, neque ullum fuerit ea persequi operæpretium.

DE UTROQUE AMORE MIXTUM.

CAP. IV.

Dicamus nunc de amore in genere, nam falsus, fictusque cupiditatis amor, verum amorem actionibus suis crebro æmular-
tur,

tur, atque exprimit: gignitur amor omnis ex bono, et in bonum tendit; boni autem natura fert ut cum eo cupiamus conjugari propter illius congruentiam nobiscum, unde existit delectatio, et beatitas; idcirco amoris meta extrema est conjugari usque ad unitatem quoad ejus effici possit, quo vero vincitur arctius, et in eandem essentiam, hoc amor verius perfectiusque finem suum nanciscitur, et in absolutionem consistit ingenii ac naturæ suæ: scite admodum et apte a Platone ficta est fabula, quod quum Vulcanus duobus inter se amicissimis occurrisset, quique amotis mutui magna ederent signa, delectatus illorum inter se benevolentia, jussit ab se petere donum, Dei munificentia dignum: cui responderunt illi: *O Vulcane faber deorum, oramus te ut tuis istis instrumentis, et camino, refringas nos ambo, et ex duobus unum facias*: ergo conjunguntur homines propter communia commoda, quibus eadem sunt profutura, et noxia, ad illa consequenda, hæc autem depellenda, modo ne impediuntur invicem, alioqui offenderentur citius, et resilirent; hujusmodi sunt, qui communes habent inimicos, de quibus est vetus verbum: *Conjungunt homines mala*: tum qui eadem vehuntur navi, quique eandem urbem incolunt, qui eadem navigio commiserunt suas merces. Est amor precii, quo maxima bona plurimi facimus, et maximas utilitates, et ex utilitatibus ut quamque plurimi æstimamus, ita habemus carissimam, ac proinde qui eam nobis procurat, hunc magnopere diligimus; juveni voluptates atque oblectamenta corporis sunt bona præcipua, senibus opulentia, aliis sanitas, aliis honor, fama, decus, gloria, ut Romano existimatiores, gratioresque qui fines dilatarunt imperii, quam qui ad virtutem juvenes ipsorum formaverunt; et vulgus eas virtutes magis diligit quæ in commune prosunt, ut humanitatem, justitiam, affabilitatem, liberalitatem, commoditatem, simplicitatem, quam reconditas illas, quamlibet venerabiles, et admirabiles, animi magnitudinem, constantiam, firmitatem, integritatem, ac sanctitatem vitæ.

Itaque favorabiliores erant populo Rom. Pompejus et Cæsar, quam Marcellus et Cato, etiamsi hic venerabilior; hac de cau-

Fabula de
Vulcano.

causa virtutes, quæ aliis profuerunt, propter earum similitudinem quæ nobis prosunt, benevolentia prosequimur, ut pietatis officio esse functum erga patriam, parentes, propinquos, necessarios, servasse fidem, etiam hosti datam, quod fecit Attilius Regulus; aversamur autem officii negligentes, aut immemores, velut ingratos, impios, inhumanos: Rex Alfonsus Aragonius quum esset multis Neapolitanorum procerum invisus, et potissimum Andegavensi factioni, diligi est cœptus, postea quàm deprehenderunt, eum venantem in silva, adjuvisse sua manu carbonarium, asinum suum in fossam delapsum sublevantem: sed in amoris æstimatione non est simplex ratio, est enim præcium aliud perpetuum et fixum, aliud quod præsens animi motus suadet ex eo quod nobis in præsentia bonum videtur, sive in utilitate, sive in specie a nobis ficta; longe pluris sanitatem facio quàm cibum, vel condimentum mensæ appositum, impetus tamen me rapit ut cibum, non perinde salubrem ac sapidum, comedam cum jactura valetudinis, in quo facto, aut non venio in comparationem reputationemque saporis et sanitatis, vel spero non tantopere fore damnosum corpori, aut me facile adhibiturum remedium; eodem modo multi viri, haudquaquam mali, detrimentum faciunt divini favoris propter aliquod in rebus vitæ compendium, nunquam id admissuri, si quid agerent considerarent, sed vel subit animos eorum oblivio ingentis boni, vel se id recuperaturos confidunt.

Amoris vires atque actiones hæ propemodum sunt: primùm, voluntas est animi universi dominatrix et rectrix, voluntatis amor, rapit enim illam amor ad suum bonum; qui motus est omnium incitatissimus, quoniam celerrimus per se, et in præcipiti voluntatis, nascitur enim et gliscit volente ipsa ac libente, ut tamquam impelli videatur per pronum; quocirca affectionum omnium amor fortissima est, et potentissima, ut merito sit illud consensu tot seculorum approbatum: *Amori cedere omnia tamquam victori.*

Et alioqui, si quis subtilius perscrutetur, ex amore inveniet, quemadmodum antea dicebam, affectus omnes profluere; sequimur, et concupiscimus, videlicet quæ amamus; fugimus,

et

et odimus contraria iis quæ amamus; ut morbum, quia diligimus sanitatem, dedecus, quia diligimus decus, ideoque qui non norunt bona, nec ea diligunt, neque iis adversa mala vel oderunt, vel reformidant, ut pueri gladios, aut præcipitia, et ille Satyrus, qui cum igne volebat ludere nunquam antea sibi viso, ignarus nocementi illius; nec reformidant rudes homines ignorantiam, nec viri mali sua flagitia, graviora mala quàm quibus corpus affligitur, quoniam quantum sit, et scientia, et virtus, bonum, nec noverunt, neque considerant: et sicut amor ex judicio pulchri aut boni surgit, ita ubi vires est nactus, idem ipsum iudicium confirmat, ut jam amplius statuere non possit de bono aut pulchro quod amat, nisi vehementer sit immutatum, et adeo subito deprehendi ut mutatio in deterius queat, nam si lente ac paullatim commutetur, opprimitur mutationis sensus sub amoris potentia violenta; postea vero quàm amor late per animum extendit regnum suum, transit quoque eadem censura ad alia, ut bona jam et pulchra amanti in amato videantur quæ non videbantur prius, unde amor cæcus dicitur, eoque amans semper apud animum suum et amati bona auget, et vitia vel deformitates extenuat; inquit Horatius: (1)

Strabonem

Appellat pætum pater, et pullum, male parvum

Si cui filius est;

—hunc varum distortis cruribus:— (2)

Patres novi, qui insignes filiorum deformitates, et quidem in oculis, et facie, jurarint se nunquam animadvertisse, alios qui rectissima esse omnia, maximeque decentia affirmarent, in notabili pravitate; hinc fides erga ea quæ amatus dicit, habet hic enim in amantis animo iudicem secundum ipsius causam semper pronuntiantem: est interdum amor prævalidus cum iudicio aliarum rerum, ut qui filium amat, vel uxorem, quam esse

Tom. III.

Kkk

de-

(1) Satyrarum lib. 1. Sat. 3. v. 44.

(2) Ojos hai que de lagañas se pagan. Quien feo ama hermoso le parece.

deformem, aut rudem, aut tardam, satis videt, quia tamen caritas eo non pertinet, sed ad uxoris, aut filii personam, non refrigescit ardor; sed illud tamen præstat benevolentia, quod tolerabilia iudicat hæc vitia in caro capite.

Amor quandoquidem ex iudicio boni oritur, in manu nostra est eum non admittere, nihil est enim tam excellenti, et pura bonitate, aut decore præditum, quin admistum habeat aliquid quod nobis possit displicere, aut non expedire, unde minus censeatur nobis bonum, ac proinde appetendum; qua in ratione Deum solum excipio, quem si, non ut ipse est (nam id factu non esset possibile) sed ut humana mens corpore hoc clausa potest, contemplaretur, concitatus in amorem raperetur illius, quam mens ad complexum certissimarum veritatum, cerneret enim bonum absque nocenti ullius admistione; cetera omnia aliquid semper aut præ se ferunt, aut inclusum continent, propter quod possint vel ab examine iudicii reprobari, vel a libertate voluntatis rejici: quid, quod quantumcunque aliquid bonum iudicetur, possumus nihilominus ab ejus intuitu, atque intelligentia, avertere animi attentionem? Potest voluntas iudicii oblationem segniter accipere, aut in ea prorsus cessare; quocirca, *elici amor potest*: ut ille dixit: *Exprimi non potest*: et Claudianus: *Non extorquebis amari*: at vero ubi semel amor est dominatum nactus, et se quasi in voluntatis possessione constituit, excutere eum non est in manu nostra, quum libet: *Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur*: inquit idem Publius mimographus: egregie Plutarchus: *Amor sensim illabitur, sed ingressus non facile discedit, etiamsi alatus*: (1) cogit videlicet de re cara subinde cogitare, cogitatio crebra efficit omnia illius familiaria, ita arrident, probantur, allubescunt omnia, et quo magis allubescunt, hoc altius radices agit amor in pectore; nec crebram tantum cogitationem facit amor, sed intentam quoque, ut velit omnia amati perscrutari, ac nosse: *Caritas*, inquit sanctus Apostolus, *omnia*

scrut-

(1) Quien en zarzas i en amores se metiere, entrará quando quiera, mas no saldrá quando quisiere.

scrutatur, etiam profunda Dei: amor corporis corporaliter vult jungi, amor animorum animis, ut sit in duobus corporibus animus unus, quæ est major, et verior, et diuturnior copula, unde existit idem velle, et idem nolle, et amicus est alter ipse: apte Horatius, *dimidium animi sui*, Vergilium appellavit cui erat amicissimus: ergo quæcunque ad amicum pertinent, amicus vocat sua, unde Pythagoricorum lex, *Amicorum esse communia omnia*, (1) et sæpenumero quæ amicorum sunt, diligentius amici curant, quam sua ipsorum, recordanturque illorum, obliti sui.

Amor est appetitus fruendi bono, id est, se illi adjungendi, ut et ipsum amans, amati, hoc est, boni contactu, fiat bonum; amor concupiscentiæ applicari et adjungi vult ea conjunctione, qua satis fiat vel desiderio, vel retentioni; vinum bibo, cibum edo, quod olfacturus sum non tam prope admoveo, longius etiam sonos, et quæ aspiciamus, vestem applico corpori, aut servo in vestiario, pecuniam in arca, aut eo loci unde me capturum confidam quum libebit, est qui se divitem iudicet ex nominibus codicis, est qui ex mercibus in navigiis, aut in manibus sociorum, aut procuratorum; non est eadem in rebus omnibus caris applicatio apud homines omnes, ea modo quæruntur, quæ vel ad usum sufficiant, vel pariant voluptatem; amici, qua datur, junguntur præsentia corporum, conspectu, alloquiis, conversatione, mentione, memoria, quumque non possunt, quantum cupiunt, una esse, ac conversari, sequitur molestia et mœstitia, atque eo major, si parum sit quod conjunctioni obstat; ita quo absunt propius, et distinentur, hoc ægrius atque impatientius ferunt separationem; quin etiam qui functos vita diligunt, quatenus datur, cum illis versantur crebra illorum commemoratione, ac recordatione, visendo loca ubi soliti erant convivere, et congregari, aspectu denique earum rerum, quæ memoriam illorum renovent, quæ omnia erga absentes amicos facimus: hæc in amore conjunctionis appetitio data est homini, ut cum vero suo bono

Kkk 2

ve-

Conjunctio-
nis appetitus
causa quæ.

(1) Las entrañas i arquetas a los amigos abiertas.

velit uniri, qui est Deus, quo velut Deus quidam effectus, ut sic loquar, consors sit sempiternæ beatitudinis illius: hæc demum vera est, solida, et fructuosa conjunctio, amorisque precium amplissimum, conjunctiones autem reliquæ inanes sunt, et absque fructu, ut si quis ad examen revocet, quid amici in mutuo illo amore expetant, nihil inveniet esse magis vacuum, nempe esse unà, conspiceret se se, colloqui.

Amor cum fruendi desiderio torquet, non ex amore, quo nihil fieri potest suavius, sed ex desiderio, quod cum differitur, affligit animum; sed si spes affulgeat fruendi, aliqua, non solatium modo, sed delectationem quoque adfert, nam sicut amor in fruitione magnam habet oblectationem, ita in spe non parvam, imaginatione velut in rem præsentem adducente; quo fit, ut cupidorum plerique vanas sibi spes comminiscantur, et aliis pollicentibus rei expetitæ successum facile adhibent fidem: hac via avari homines crebro capiuntur a fraudulentis.

Amor cupiditatis, intro respicit ad se, amicitiaæ autem foras ad eum quem amat, et amans paullatim moritur in se, vivit autem in ipso amatum: *Vivo ego, jam non ego*, (ait Apostolus) *vidit autem in me Christus*: desinit enim de se cogitare, se curare, sibi prospicere, de amato cogitat, amatum curat, amato prospicit; hæc est quæ vocatur *Ecstasis*, quum amans oblitus prorsus sui, totus extra se est, totus in amato, et amarus in eo; quod si flamma illa intro se convertat ac recipiat, minus ardebit foris; ita evenit, ut qui se ipsos amant acriter, frigide alios diligant, omniaque ad semetipsos referant, et ad ea quæ sibi putant bona, veluti voluptates, delicias, honorem, dignitatem, potentiam: videas quosdam nec uxori, nec liberis, nec aliis carissimis nominibus parcere, dum cupiditatibus suis serviunt, videlicet se ipsos flagranter amant, ad reliqua tepidi, seu gelidi potius: amor concupiscentiæ bona optat amato propter semetipsum, ut dulcedinem et generositatem vino, robur et agilitatem equo, formam atque elegantiam amicæ, opes benefico, itaque optat ea, quæ bona esse sibi censet: longe aliter amor bona omnia amato cupit et procurat propter ipsum, non propter se, neque germanus amor est unquam merce-

Amor germanus.

ce.

cenarius, non petit præmium sui, non expectat, quod esset contra amoris ingenium, nam si expeteret, jam non amaret illud quia in se bonum, sed quia sibi expediens; considerationem boni habet amor unde nascatur, non utilitatis quo tendat: exemplum est manifestum in filiis, quos parentes absque ullo prorsus respectu suarum utilitatum, mercedis, fructus, amant propter ipsos tantum: talis est amor Dei erga nos: talis esse debet noster erga illum: nam coadunationem non desiderat amor, tamquam operæ mercedem, sed est meta, quo ille naturæ suæ sponte fertur; quemadmodum enim non amas te, ut tibi prosis, sed prodes, quia amas, sic non amas, ut velis conjungi, sed vis conjungi, quia amas, nec desideras conjungi, ut delecteris, sed ad id tamen sequitur delectatio ex tactu boni nostri, et tamquam possessione, ac complexu; is est amoris fructus, et finis ejus desiderii, qui amorem ante unionem comitatur; amor autem, ut connexor est, ita etiam æquator, æqualitatem enim adfert quantum naturæ rerum ferunt quas conjungit, ut *superiora demittant se ad curam inferiorum*, sicuti Dionysius docet ex Hierotheo; *æqualia inter se consociantur, inferiora autem ad sublimiora et præstantiora erigantur*.

Æqualitas in amore.

Amor pro iis, quos caros habet, meticulosissimus est, et anxius, ut ebriosus ne pruina noceat vitibus, amator ne amicam æstus aut rigor lædat, negotiator pavet tempestates, amicus amico timet, pater filiis, maritus uxori, uxor marito, et casta illa matrona,

Amor meticolosus.

Quando ego non timui graviora pericula veris? (1)
Res est solliciti plena timoris amor:

idcirco molestus est amor omnis erga homines, ac res humanas; nihil est enim cui non multa timeantur, quamlibet contra fortunæ casus circumsepto et munito: jucundissimus est erga Deum, de quo nulla ad nos potest redire cura, vel molestia: omnia sunt illic tuta: omnia gaudiorum et felicitatis sempiternæ plena: in aliis amoribus plurimum est molestiæ; in amici-

(1) Apud Ovid. in Heroides epist. I. v. 11.

citia sollicitamur metu continuo; in cupiditate curis et anxietatibus; in conservatione sollicitudine; in libidinoso autem quæ sunt incommoda non est enarrare. Amor in periculo, si sperat se facile posse evadere, cautus est, et formidolosus, ut Thyestes dicit filiis apud Senecam: *Vos me facitis meticulosum*: si proposita sit difficultas, fiat audacissimus; amor nunquam esse otiosus potest, stimulus est enim voluntatis quo illa ad actiones et opera instigatur; semper molitur aliquid, et excogitat quod gratum fore amato putet, quod prosit non amato solum, sed iis quibus amatus velit prospectum; quòd si operà non possit præstare, at votis, desideriis, bene precando, faustis ominationibus, amati commoda prosequitur, optimè ei cupit, et evenisse gaudet, et non evenisse omnino, aut contra animi sententiam evenisse, dolet. Ex amore concupiscentiæ nascitur rivalitas, et invidia, expetunt enim multi quòd unus possidere solus cupit, ut in amica, et locuplete amico, et quæstu; ex amore animorum nascitur candor, et commnicatio, qui bonum virum amat, rivalem non timet, immo multos vult habere socios affectus sui, ut qui Deum amat, omnes vellet adducere in consortium talis amicitæ, miserimosque esse ducit illos, qui sunt ab ea alieni; amicus autem qui solus vellet carus amico esse, non vere ac perfecte amat, sed expetit aliquid sibi utile, nempe ut solus fruatur amici colloquiis, eruditione, divitiis, opibus, fama, gloria, et ejusmodi: cupit amans offerri grande aliquid et arduum, quod in amati gratiam obeat, gaudetque si id contingat: *Ibant discipuli gaudentes a conspectu concilii, quòd digni essent habiti contumeliam pati propter nomen Domini Jesu.*

Nihil recusat amor subire, non grave, non difficile, non humile et abjectum, sive sit supra vires, sive præter dignitatem et auctoritatem personæ, omnia ducit sibi levia, omnia decere, quibuscumque gratificaturum se amato credat; nec solum dulcis jucundusque est amatus amanti, sed omnia quæ sunt illi grata, ut filii, propinqui, amici, etiam famuli, et canes, unde est illud: *Diligit canem, qui et herum ejus*: (1) quicquid de-

(1) Quien bien ama a Belcran, bien ama a su can.

denique memoriam refricat illius, gratum est, ut vestes, sudariola, imagines, loca, et hujusmodi; nisi forte amor admixtus sit moeror, tum tristia sunt amati monimenta, ut filii, quum obiit immature, uxoris, mariti: et quatenus amans in perpetua est cogitatione de amato, et cura, avocatur calor a ventriculo ad cerebrum, unde sequitur cruditas, et sanguinis exhaustio, et in ore pallor, ac toto corpore, anhelitus item compressio, tum ex intentione vehementi animi suspiria, potissimum vero ad aspectum, aut mentionem rei caræ, tanquam videatur spiritus ceu gravi onere levare; accedunt quoque non raro lacrimæ, quoniam ex calore illo capitis colliquescit humor a cerebro distillans per oculos; cantillant sæpe ad refocillandum animum contentione imaginationis defessum; intentissimè atque inconvenienter spectant rem caram, nec alio deflectunt oculos, utique nec cogitationem; variant in facie rubor, et pallor, ex accessu, aut discessu sanguinis; eadem de causa modo fervent, modo rigent, nesciunt loco consistere, jactatio membrorum crebra, atque immodica, perpetua querimonia, laudationes importunæ, atque ineptæ: in amore autem Cupidinis, subita indignatio, procacitas, petulantia, crebræ suspiciones, ac vanæ: *In amore*, inquit Terentius, *hec omnia insunt: injuriæ, suspiciones, inimicitia, induciæ, bellum, pax rursum*: et quæ ab alio Comico in Cistellaria describuntur amoris actiones et opera: *Credo*, inquit, *ego primum amorem apud homines carnificinam commentum, jactor, crucior, agitor, stimulator, vertor in amoris rota miser*: et quæ sequuntur: ac ut diutius amantes sint una, detinet alter alterum inani loquacitate, narratiunculis, et fabellis undecunque petitis, ut mireris unde tanta vis verborum possit profluere: sunt quibus vel perturbata, vel nimium intenta mens, non sinit longos sermones facere, unum aut alterum verbum dicunt longis intervallis, ut, *O amores, vita, spes, suavitas, ô formam cœlestem ac divinam.*

Amores omnes concupiscentiæ, ablandiuntur, laudant, atque in assentationem transeunt; etiam homines gravissimi, si quid valde cupiunt, serviunt indignis, et fortissimis timent, et impudentissimi reverentur, et avari mittunt munera, et de-

Amans languens.

mit-

demittunt se superbi; cupiunt enim quacunq̄ ratione animum explorare, et desiderio satisfacere, inque hoc unum intenti, nec personæ, nec ingenii sui habent rationem, per molestias et asperitates ad voluptates contendunt, ut ambitiosi per abjectionem et servitutem ad potentiam: *Dominari ut possint*, inquit Ausonius, *servire volunt*: quales sunt, qui in principum comitatibus miserimam perpetiuntur servitutem, ut aliquando tandem in gratiam, partemque potentia aliquam evadant; reges quoque ipsi exercitiis suis hominibus insolentissimis atque impurissimis serviunt, ut per illos tum latius possint regnare, tum magis ex libidine animi sui. Amor ex calore illo ingenti impellit ad grandia opera edenda atque admiranda, quæ vires, ingenium, facultatem excedunt; aggrediuntur res magni animi, seu ultro capescendis periculis, seu fortiter sustinendis; profundunt patrimoniam, nec pluri faciunt quàm stipulas: *Et si dederit homo universam substantiam suam pro caritate*, sicut est in Canticis Solomonis regis, *hoc vero pro nihilo æstimabit*: auget idem calor ingenium, excogitant rationes acutas, inveniunt consilia præsentanea, fundunt versus, existunt derepente facundi, quorum omnium nihil sunt prorsus, si amor restinguatur: augetur amor et crebra cogitatione de re cara, affigitur enim, et inhæret animo altius, nihilque est perinde amori inimicum atque oblivio; quod si quo magis cogitatur, hoc plura occurrant bona, accenditur tanto acrius benevolentiam, quemadmodum evenit in Dei caritate; idem contingit, si qua insperata atque inopinata existant bona, quamvis prætenuia, ea enim pro ingentibus habentur, quia præter expectationem, atque eo magis, si contra id quod expectabamus, ut si computare sciat, quem solum arare posse autumabamus, et ingeniose respondeat, quem nos tardum esse suspicabamur; scilicet, tantum amatur bonum, quantum de illo possumus intelligere: cognoscitur autem res primum, ut ametur, sed cognitionem esse oportet tantam, ut quæ ad eliciendum amorem sufficiat; ubi vero cum re cara sumus connexi, melius eam novimus, nempe propius, et tunc fruimur: ex priore cognitione credimus esse bonum, in posteriore experimur, quod valet in omni amore;

ris

Amor grandiam operum auctor.

ris fructus fruitio est, qui est delectationis actus, non solum voluntatis, sed etiam intelligentiæ ut in Deo. Fruitio.

Itaque amor medius est inter cognitionem inchoatam, et plenam quæ est in unione, in qua desiderium semper aboletur, non semper amor, immo inflammatur acrius quo plura et grandiora bona in unione inveniuntur, quàm obtulerant se primæ cognitioni quæ amori dederat originem; consuetudo etiam quæ mala reddit leviora, vel molestias ipsas interdum jucundas, causas amori contrarias extenuat, itaque ex ea amor, et purior fit, et flagrantior; assuetos minus offendunt incommoda, non mentis modo, sed etiam corporis, quorum præsentem percipimus doloris ac tædii sensationem: nec tantum frequenter recolendo gliscit amor, verum amans quæcunque videt, auditque, ad amatum refert, sive comparatione, sive similitudine, sive recordatione aliqua obliqua; semper est videlicet in consideratione, et quasi aspectu amati: crescit item amor, cum quod amari judicamus dignum, non amatur ab aliis; cogit se amor in amantis pectore, et validiores vires colligit, ut calor in puteis, et animantium corporibus hiberno tempore: sic mater exosum aliis filium, impotentius amat; nam si ab aliis etiam diligatur, videtur vel dividi et secari in plures; vel motus ille animi accensus, in dignitate rei conquiescere, ita fit amor minus acer, ac vehemens, nisi forte id amemus quo velimus potiri soli, ut in amore cupidinis. Augetur item amor ex commiseratione, ut parentum erga liberos parvos, invalidos, ægros, pauperes, miseros, peregrinantes, periclitantes, ut in bello, aut navigatione, aut itinere gravi ac difficili; quo plures sunt causæ, quo majores, hoc amorem, qui inde nascitur, par est magis intendi, ut si cujusquam bonitati accedat paternum hospitium, propinquitas, familiaritas, et alia ejusmodi: cupiditates rerum naturalium terminum habent aliquem, eorum vero quæ nos excogitavimus, nulla est meta, nullus modus, velut divitiarum, opum, honorum, potentia, gloria; quod non ex illorum contingit ingenio, sed ex falsa nostra de illis existimatione, nos enim illa invenimus ad tranquille, placide, beate vitam degendam, illa vero, tum quod

Tom. III.

Lll

ani-

animum ipsum non attingunt, idcirco nec juvare possunt, tum quòd ut maxime applicentur, levia sunt, inania, nec tantam animi profunditatem explere valent; tantum abest ut nos beatos efficiant, ut animus in illis tum excogitandis, tum parandis, tum etiam tuendis, incredibiles misérias subeat.

Ergo incitatæ semel vanis inditiis avaritia atque ambitio, exeunt in immensum, ita enim reputat apud se animus, si vel pecuniam vel honorem quem experit nanciscatur, jucundissimè se ac beatissimè victurum; nactus autem, eodem loci videt se consistere, ac non raro etiam pejore; neque illuc mittit cogitationem res ipsas non posse id natura sua præstare quod ipse ab eis postulat, sed vitium in magnitudinem rei transfert, quod nondum sit tantum consecutus quantum satis sit ut voti fiat compos, quare ad alia acquirenda se accingit, quæ adeptus, eodem errore involvitur; ita cupiditas nullum invenit exitum, nusquam consistit, ut jure conquestus sit Psaltes Israël: *Unversa vanitas omnis homo vivens*; qua de causa non vitæ necessitates veræ pariunt, et augent cupidines, sed falsa nostra de illis persuasio, quemadmodum in senibus, quos Cato Ciceronianus merito objurgat, quòd *parent eo plus viatici, quo minus restet via*: sed metus id facit, ut opinio necessitatum. Conservatio autem harum rerum quæ extra nos sunt positæ, ex eodem manat fonte, et judicium extendit se non solum ad necessitates incumbentes, aut quas existimamus eventuras, sed quæ possent accidere, tum ad voluptates, ad quas multi et opes et potentiam referuntur, quòd per illas parare oblectamenta possint quæcunque concupiscant: delectatio quoque jam degustata detinet nos in divitiis, in imperiis, potentia, gloria, nempe honor, obsequium aliorum, omnes dicto nostro esse audientes, nos nemini: cupiditas conservandi refrigescit, quum id quod possidemus adeo est exiguum, ut non sit ullis necessitatibus futurum remedio; quod faciunt qui ad inopiam reciderunt, aspernantur, et effundunt id pusillum quod restat, de quo est vetus verbum: *Seram esse in fundo parsimoniam*: minuitur amor inter initia haud magno negotio: ideo amorum magister principis monet obstare; et in tragœdia: *Quisquis primo obstitit,*

Conservatio.

Amor quomodo minuitur.

pe-

pepulitque amorem, tutus ac victor fuit: et sicut valida et crebra cogitatione augetur, ita aversione animi aliorum deteritur, ut in occupationibus, et negotiis variis:

Otia si tollas, inquit, periire Cupidinis arcus:

quòd si in scrutatione rei caræ, aut quum ex vicino inspicitur, malitia insignis occurrat intuenti, aut deformitas, refrigescit ardor, et retardatur impetus.

Exoritur quidem nonnunquam amor temere, nullo, vel exiguo saltem, judicio, sed si deinceps judicium accedat exactius, dissolvitur, nisi in amato causæ amoris inveniantur; atque hoc penitus amor revellitur, quo fœdus in eo vitium deprehendimus, velut quum ex iis vitiis quæ nos maximè abominamur, vel quum est cupiditatibus nostris contrarium; et noxium ut quum ad ambitiosum honorem denigrat, ad avarum nocet rei familiari, segni, et pigro adfert laborem, ac molestiam; itaque filii occiderunt patres, et patres filios, regni causa, et avarus pater sumtuosum filium domo exigit, lacena filium interemit quòd e prælio domum redisset fugiens, et ebriosis homines uxori ac liberis detrahunt necessarium victum, si non est aliunde quod potent: ad hæc, si vitium eo sit situm loci, quem nos pulcherrimum esse credebamus, et unde amor fuerat progenitus, vehementer nos offendit, veluti si deformitatem in eo deprehendimus, quem de specie amabamus, aut si infantiam in eo, quem de facundia, imperitiam in eo, quem de eruditione, infidelitatem in eo, quem de fide, versutiam in eo, quem de simplicitate, adque hunc modum in ceteris; nam sicut bona inexpectata amorem pariunt, atque augent, ita expectatorum frustratio diminuit, et abolet; quapropter in amicis, quo meliores sunt, hoc magis roboratur amicitia, quæ diuturna est maximè inter bonos, inter malos autem non est amicitia, sed familiaritas, et consociatio, aut conspiratio, atque ea infirma, et brevis; nec solum mala amorem restringunt, sed bona etiam, quum minora sunt expectatione, aut alterius generis, ut quum habet quis multa quidem amanda, sed nobis inutilia, quæ nos utilissima fore sperabamus; diluitur item amor

Lll 2

cre-

crebris offensionibus, et eo citius ac levius in iracundo, et superbo, qui non tam se redamari cupit quam honorari. Amici felicitas amicum invidum abs se arcet, ac fugat, nam sunt qui amicos miseros valde diligunt, felices oderunt, præsertim ubi quis est dignitate evectus, plerique enim inferiorum amicorum suspicantur ab altiore se despici, ac pro nihilo haberi: *Aman- tium iræ* (inquit ille in fabula) *amoris est redintegratio*: (1) quod de amore venero dictum, non raro in amicitias convenit, quoniam in reconciliacione renovati animi validius inflamantur, tamquam resumptis viribus ex intervallo offensionis, ut terra fecundior est a quiete, et caminus ardet fortius guttulis aquæ aliquot aspersis.

Accedit, quod sensus dulcedinis jucundior est post acerbitatem, aut asperitatem; tum dolemus nos offendisse eum quem habere oportuerat placatum, ita majore animo redimus ad amicitiam, et diligentius in posterum cavemus ne quid existat molestum in amore, qua ratione confirmatur; discordiam tamen esse oportet brevem, et de re non gravi, alioqui dirimitur concordia, ut si diutina fuit offensio, vel dixit alter eorum, aut fecit, quod alterum quoties recordatur, male pungat; ejusmodi iræ non solum amorem extinguunt, ut copia aquæ ignem, sed quando invaluerunt, solent in grave odium et rabiem exire, sicut arctius aqua congeliat, quæ frigori exposita est calens. Amatori, cujus est præ impotentia affectus mens emota, opus est ut paullatim animus tamquam ex peregrinatione domum revocetur per musicen, per convivia, et epulas exquisitè et lautè apparatus, per vinum clarum et liquidum, etiam si sit opus, sed usque ad ebrietatem (ut non immeritò dixerint veteres, *Sacra Liberi pertinere ad purgationem animi*) per omne genus lusionum, et exhilarationis, foliis, taxillis, fritillo, contemplatione tapetum, tabularum, spectaculorum, amcenitatum, ædificiorum, agrorum, fluminum, piscatione, venatione, navigatione, fabulis, narrationibus festivis, admirandis, occupatione, labore magno usque ad sudorem ut corporis meatus ad expurga-

Amoris remedia extrinsecus.

Usque ad elegantè ponitur pro eo quod est, hoc excepto Plin. Ep. 35. usque ad Pompejum: id est excepto Pompejo.

(1) Riña de por San Juan, paz para todo el año.

gationem pateant, ita ut etiam aperiti venam conducat, quo prior sanguis effluat, succedat novus, unde et novi spiritus, alio quoque affectu vehementi summisso, ut cupiditate opum, honoris, metu, indignatione, ira; et hæc oportet esse diutina, donec animus in alteram partem inclinans confirmetur, ne in priorem amorem statim relabatur: hæc de amore quæ potuimus: cujus vires, ut sunt magnæ, ingentes, incredibiles, ita et nobis inexplebiles; amore sumus conditi, amore perficimur, amore beamur; maxima sunt, amoris, profundissima, reconditissima, et incomprehensibilia mysteria: sint tamen hæc a nobis in præsentia satis dicta.

DE FAVORE.

CAP. V.

Proximus amori est favor, nasciturque ex judicio boni alicujus et est quædam benevolentia, ita ut nullus sit amor absque favore, favor autem esse aliquis sine amore possit, quum alicui, quem non amamus, cupimus tamen benefactum; favor ergo cum amore fortior est, et diuturnior, levior autem, et brevior extra illum; est enim favor amor inchoatus, nam incipimus amare illum de quo bene sentimus, et quem dignum re aliqua bona censemus; et vicissim erga quem est in animis nostris umbra amoris aliqua, vel gradus, huic favemus, ut propinquis, consanguineis, civibus, sociis, familiaribus, notis item, magis quam ignotis, nam notitia ad amorem est aditus; ac quemadmodum favere linguis, est vocibus bene precari, sic favere animo, est bene optare, ac cupere. Judicium hoc de alicujus dignitate, vel simplex est, et universale ad omnia, unde favor universalis oritur, qualis est erga simplicitatem, atque innocentiam, veluti adversum pueros, illi enim ætati favetur ab omnibus sine invidia, et adversum animantes omnes novas, in qua ætate etiam lupis, et leonibus, et vulpeculis, parcimus, atque blandimur, est idem judicium de formosa facie, quæ est, ut habet Mimus, *muta commendatio*, denique causæ omnes, quæ

Favor.

quæ ad amorem, ad favorem quoque valent; est alterum iudicium de dignitate ad unam rem aliquam, ex quo favor nascitur circa illud unum, velut in competentia de magistratu, in ludo, ut quis quid adipiscatur, quo eum censemus vel dignum simpliciter, vel competitore digniorem; eaque de causa favor non raro ex odio suboritur, ut in adversarium ejus quem odimus inclinet, vel in eum cui non favet inimicus noster, aut contra illum cui favet; existit item favor ex misericordia, ut quum quis est ab aliquo injuria affectus qua non est dignus, alia in re cupimus illi id detrimentum resarciri: olim Athenis dux quidam, capitis reus, præturam petiit, ut post repulsam magistratus facile iudicio absolveretur, tamquam animi, ex satietate ultionis in misericordiam versi ob repulsam, inciperent jam favere: eodem e fonte est, iniquum petendum, ut æquum auferas: sed in aliis quoque miserandis exempla sunt innumera. Favor, quum non est amore fultus, res est quæ levissimis de causis tollitur, et eo citius, si contra rem nostram aut nostrorum tendat, sicuti si quid in eo favore insit vel damni, vel periculi, vel molestiæ; quod iudicium de dignitate temere est, exiguaque de causa, susceptum, levissimè quoque ponitur, cui enim precio induci favimus, huic, vel persoluto precio tamquam causa sublata, desinimus favere; vel non persoluto, ex indignatione male volumus; si cui ex odio aut invidia alterius favimus, residente illo animi motu flaccescit favor: *Quæ quotidie in certaminibus, et ambitione civili contingunt.*

VENERATIO SEU REVERENTIA.

CAP. VI.

Veneratio ex iudicio magni boni oritur, quod bonum nobis non nocet, nam si nocere existimemus, aut nociturum, metus est; habet nihilominus veneratio omnis metus aliquid pudorisque admistum, est enim compressio, seu contractio animi, ex cogitatione magnitudinis bonæ, aut certe nobis innoxia: posita est autem veneratio in collatione magnitudinis cum

par-

parvitate, vel suametipsius, vel aliena, quam nos tamen non habemus pro exigua, quippe venerationi omni est admiratio adjuncta: quæ non admiramur, ea neque reveremur: et sicut ex reputatione suæ ipsius magnitudinis dilatatur animus, ita ex reputatione alienæ comprimitur, unde nascitur suimet detractio æstimationis, et despectus, qualis est nostri ipsorum quum ad divinæ majestatis reputationem mens se sustollit: scite Ovidius: (1)

Protinus intravit mentes respectus honoris:

Fit precium dignis, nec sibi quisque placet.

Porro honor non est, sicut Aristoteles existimavit, et eum plerique gentiles sequuti, precium virtutis, sed testificatio qua testamur nos sentire, atque existimare virtutem in illo inesse quem honoramus; ea vero exterior est significatio, qua declarat animus summittere se celsitudini; varia apud varias gentes; nostris quidem, *poplitem flectere, genu ponere*, quæ sunt deicientis se, *caput aperire*, quod est, Græco et Romano more, servitutis indicium, sicut *pileus libertatis, loco et via cedere, assectari, deducere, reducere*, quibus fatemur illum esse potiozem, *silentium*, quo vel audientiam damus, vel metuimus reprehensionem, *verba nostra*, quæ præstantiam illius declarent, sed nulla est tamen amplior, quàm quum admiratione excellentiæ animus ita obtupescit, nullam ut significationem exteriorem possit edere, *attonitus*, et *extra se ipsum raptus*; stupefacit enim animum ingens veneratio, et cogit sui ac debitorum officiorum oblivisci: ita coram senatu, vel multitudine præstantium virorum, aut apud magnum aliquem principem dicturi, sæpenumero sibi exciderunt, ut ne verbum quidem possent proferre eorum quæ cogitarant: tum insignem aliquem aut præcellentem virum salutantes, obliviscimur crebro et aliis qui adsunt debitum honorem impartiri, intento prorsus animo in unicam venerationem illius: sed hæc bonorum amplitudo pro cujusque animo censetur; alii aliter existimant, ut in omni vita: in Deo, præter

ce-

(1) Pastorum lib. 5. v. 31.

ceteras excellentias, duæ sunt, maximæ potentia, ac bonitatis; sub potentiam venit sapientia; quæ in terris imaginem referunt potentia, pariunt venerationem; quæ bonitatis, caritatem.

Est potentia ad agendum bona, est ad resistendum malis; *in externis bonis*: quo in genere sunt principes et homines opulenti; *in corporeis*: cujusmodi sunt valentes et formosi propter conjecturam naturalem, similem intus habitare animum: unde est illud: *Species digna imperio: in animo*: sunt animosi: *in mente*: sunt prudentes, facundi, eruditi, sapientes: *in voluntate*: sunt justii, moderati, fortes, constantes, et invicti a casibus, insultuque ejus, quam vocant fortunam: bonos autem, hoc est, justos, moderatos, temperantes, diligimus magis quam reveremur, etsi quidam, qui reliqua bona omnia non magnificiunt, plurimum istis reverentia deferunt: majestas est supremus honor erga summa bona; a *majori* dicta, quasi honor in mediocribus versetur, majestas in maximis, etsi honor majestate est latius quiddam, nempe genus, sed sermone communi distinguuntur: Poeta festiviter finxerunt Honoris et Reverentia filiam esse Majestatem: quam fabulam Ovidius in quinto Fastorum facerissimis versibus persequitur: ex reverentia amor prodit, si magnitudinem censeamus bonitate temperatam, qualis est in Deo, qui ut est *maximus*, ita *et optimus*, timor autem, et hinc odium, si noxiam nobis vel esse suspicemur, vel fore, qui affectus tenet eos, qui solam Dei potentiam reputant, judicii severitatem extra clementiam: acute ille: *Qui apud te audent, Cesar, dicere, magnitudinem tuam videntur ignorare, qui non audent, bonitatem.* Admiratio tuetur reverentiam; itaque admiratione consumenda dederitur veneratio, ideoque usus, et familiaritas, venerationem adimit, quemadmodum finxerunt in Apologis de vulpe, quæ ad primum leonis conspectum exanimata, tertio jam congressu cœpit cum illo familiarius lusitare, adeo ut apud homines rudes et crassos non solum pateat familiaritate reverentia, sed transeat sæpenumero in contemptum, sicut ille ait in Comœdia; conservatur nihilominus in usu et consuetudine veneratio, si cum quibus versere, intelligentes sint veræ magnitudinis, quam

Majestas.

eo colunt ardentius, quo propius admotam certius ac subtilius contemplantur, vel si quotidie aliquid se novum proferat in magnitudine, vel si tanta ipsa sit, ut facile semetipsa a contemptu vel neglectione vendicet.

Verba et facta gravia, virilia, constantia, sublimia, sine vanitate et manifesta arrogantia qua nihil est invisius, magnitudinem decentia, tuentur venerationem; contra, elevant eam verba et facta puerilia, muliebria, ludibunda, scurrilia, lascivia, levia, vana, inconstantia, demissa, abjecta, ab excellentia illa aliena atque abhorrentia; tum etiam arrogantia, fastidiosa, jactabunda, iracunda, minacia:

*Non bene conveniunt, nec in una sede morantur,
Majestas et Amor:— (1)*

ait Poeta quidam, videlicet, amor, officii sui et dignitatis oblitus, abblauditur, precatur, dejicit se, ineptit, nugatur, inter quæ veneratio prorsus eliditur; quæ alioqui tenues admodum et debiles jacit radices, quæque levi motu extirpentur; tollitur enim veneratio, sublata opinione ejus excellentia, unde fuerat orta; ea porro opinio facillimè diminuitur, propterea quod omnis hominum præstantia vilitate est commixta, quæ ex imbecillitate nostra citius se se foras profert, quam lenta excellentia; nostra etiam judicia, ex depravatione naturæ, quæ vitiosa sunt, aut mala, celerius apprehendunt, tamquam sibi cognata, et similia: ad hæc, amor cujusque erga semetipsum inconsultus, unde superbia capit originem, efficit ut et cupiat, et libenter credat se ab altero non excelli: affectus pæne omnes, concitati, venerationem impediunt, et cogunt conquiescere, ut ira, invidia, odium, amor, non solum erga venerabilem, sed etiam adversus alios, scilicet, perturbatur judicium ne possit aut nolit rectè de præstantia statuere, adeo ut præsentem vel inimico, vel despecto, signa reverentia in alium consulto omitamus, ne videamur eum, quem odimus, aut contemnimus, venerari; quod fecisse Æneam sacrificantem ferunt, qui, præ-

Tom. III.

Mmm

te-

(1) Amor i Señoría no quieren compañía. Rei i enamorado, mal se compadecén.

tereunte Diomede, adorationis cultusque divini exteriores notas intermisit, ne honorem eum hosti habuisse videretur, quod contingit crebro in vita communi, nisi forte alius affectus major urgeat, qui nos signa illa cogat edere, velut cupiditas, aut metus, ut quum timemus ne illa nobis officii præmissio noceat, aut speramus aliquid vel cupimus ab illo, quem veneramur: vitium et vilitas in rebus aliis quam unde cœpit veneratio, quam est cum excellentia illa iudicio nostro conjuncta, tam deterit venerationem; si enim ex iudicio est nata prudentiæ, infirmitas corporis, aut ignobilitas nihil eam lædit, deterit autem sermo rusticanus, educatio parum urbana, iracundia; etsi sunt quidam, qui in uno aliquo statuentes fontem bonorum omnium, ei qui sit fontis hujus expers, nullum credant inesse bonum posse præstans, et veneratione dignum; ut quidam in claritate natalium, quidam in eloquentia, alii in grammatica, aut scribendis versibus, alii in decore formæ, plerique in divitiis; multi stultè ac iniquè diversissimam conjungunt, velut vestitum, ingressum, sessionem, cum eruditione, ut qui illa non habeat satis ad ipsorum arbitrium composita, hunc nec eruditum esse iudicent, sicuti nec magnatem, qui non loquatur superbè, et pravè scribat, nec bonum militem, qui non ad verba singula dejeret.

DE MISERICORDIA, ET SYMPATHIA.

CAP. VII.

Misericordiam Aristoteles finivit dolorem de malo quod nobis videtur accidere indigno; id vero malum dicit esse *φθαρτικόν*, ceu quis dicat, *corruptivum*, aut *corruptens*, quales sunt morbi, mors, fames, sitis, tormenta, plagæ, spoliatio, et quæ sunt ejusmodi, quod fortasse ab eo positum est, quia non de rebus naturæ disserebat, sed de præceptis civilibus, reliquarum enim rerum commiseratio in curiam et forum non venit: sed omnia malorum genera in hanc affectionem incidunt: miseramur deformes, et mancos, et tardos, et rudes, et stultos, et improbos:

in-

indigni sunt malis, nostra opinione, boni viri, et qui rectè functi sunt officio, tum innocentes ad eam pœnam quam perferunt, et homines universaliter innoxii, et simplices, ut infantes, et pueri, et mente capti, tum qui malis illis sunt impares, ut mulieres, senes, ægri, delicati, laboribus magnis, et ærumnis; adde iis, qui magna sunt fortuna deturbati, illi etiam quibus non licuit bonis suis frui, ut quum vir magni ingenii in medio studiorum suorum cursu tollitur, sicut Jo. Picus, vel destinatus magnis opibus ante obitam hereditatem obit mortem, vel designatus magistratus non potuit honorem capescere: eo est autem miseratio intentior, si pro bonis speratis incidit in mala inopinata, ut regni heres in captivitatem et ergastulum; *quale est quod impiorum animis quotidie accidit, nec nos miseret*: qui fortiter et viriliter perferunt suas calamitates, magis videntur illis indigni; eosque sæpius miseramur, qui misericordiam non implorant; pericula, quoniam malis sunt proxima, misericordiam movent, ut in bello, et navigatione, et via latrocinii infami: si qui, sibi, ac suis, malum accidisse putant, in mœrore sunt potius, quam in miseratione; quod si quis, indigno sibi, aut carissimis suis, accidisse existimet, adjuncta est mœstitiæ miseratio, quod licet deprehendere ex verbis quibus conqueruntur: *immerito se malis illis premi*: quæ est suimetipsorum commiseratio.

Similitudo et sympathiam efficit, et misericordiam movet, ut erga similes ætate, moribus, constitutione, studiis, dignitate, genere; sympathia est velut tactus unius facultatis, cui aliæ facultates similes concinunt, quemadmodum ferunt duas chordas diversarum lyrarum, ad eundem tonum extentas, alteram alterius tactui accinere, et respondere. Plurimum animus afficitur iis alienis malis; quæ tamquam ex vicino contemplatur sibi etiam imminere; inter similia autem transitus est facilis, videlicet, quæ longius spectat animus, negligit, tamquam ad se non pertineant, ut mediterraneus homo grave naufragium, vel monachus ærumnas militares: festivè Philosophus quidam et acutè, rogatus a quodam quasi per contumeliam, et cur homines divites citius cæcis, et surdis, et claudis, elargirentur, quam

Mmm 2

quam

Sympathia.

quàm philosophis egentibus, illosque multo facilius miserarentur, quàm philosophos? *Quoniam*, inquit ille, *divites homines citius surdos se et cecos fore existimant, quàm philosophos*: ideo et qui *per ebrietatem magnæ felicitatis* exemptos se humanæ sorti arbitrantur, immisericordes fiunt, videlicet, non putant casus humanos ad se perventuros, qui se loco tutissimo arbitrantur consistere: qui in extremis quoque malorum versantur, aut in eorum malorum magno discrimine, nullorum eos miseret, non enim timent se pejus habituros, et asperitas malorum sensum illis humanitatis adimit, tenerumque illud animi ac molle amiserunt, in quo est compassio. Nihil æque est secundum hominis naturam, ut afflictos miserari, quem affectum miror Stoicos in bono viro conatus revellere, quod fieri nec potest, et contra rem est humani generis; quippe nascitur ex similitudine quadam, congruentiaque humanorum animorum inter se, nec aliter potest animus facere, quàm ut dum aliena mala intuetur, vel de se ipso cogitet se quoque illis ipsis malis obiectum, atque obnoxium vivere, vel certe compatiatur, et similem sui naturam illis afflicti incommotis doleat.

Quòd si amor omnia reddit non solum communia, sed unum, quomodo potest amicus non dolere dolente amico? quomodo potest idem animus dolere in uno amicorum, non dolens in altero? Si ergo sapientiæ ac bonitatis præceptum est, ut amore inter se homines devinciantur tamquam nodo sacratissimo, eamque ad rem ficti et appositi a natura sumus, profecto et natura, et sapientia, et bonitas misericordiam nobis induunt, atque indicunt: jam vero sublata misericordia; quid in ejus locum ac vicem reponis? duritiam, immanitatem, crudelitatem, inhumanitatem, hoc scilicet expedit humano generi ut humanitate exuta crudelitatem induat? At dicit Seneca: *Possum adjuvare afflictum, et misero opem ferre, sine dolore illo, et miseria animi, quam vos misericordiam nuncupatis*: potes tu fortasse, aliquando, non poteris semper, non poterunt alii quibus opus est interno ad progrediendum calcari: quid, quum non habes quo opituleris, an non saltem animus tuus alienis malis flectetur, et ad te quoque mala illius pertinere declarabis? Non

est

est opus longiore disputatione: hæc est clausula: non potes adjuvare, nec opem ferre afflicto potiore, quàm si dolenti condoleas; nihil est quòd animi ægritudines et mala gravissima perinde allevet ac consoletur, ut communicatio doloris; nullum est auxilium, vel gratius, vel efficacius; quid potest miserabilius cuiquam, aut desperatius, in vita contingere, quàm existimare se nulli esse miserabilem? quid gratius potest videre miser, quàm alienas lacrimas cum suis consociatas? Sed Stoicos dimittamus, qui se, quos natura homines condiderat, scholasticis cavillatiunculis saxa voluerunt reddere, nec sunt tamen assequuti: exequamur quæ restant propositi.

Affectus est misericordia mansuetissimus, et hominum generi magno suo bono a Deo tributus ad opem mutuam et consolationem variorum casuum qui incurruni in vitam, in quibus amoris defectum supplet misericordia; quod de malis, quibus nos vicini sumus, atque obnoxii, est dictum, idem ad propinquos, et necessarios, et caros nobis, transferatur, compatiuntur enim facile, ac miserentur, qui uxores, aut liberos, aut nepotes, aut sibi amicissimos habet eisdem malis obvios, et quasi obiectos; ideo senes misericordes sunt, quia omnia timent suis; mollities cordis sympathicos et misericordes efficit, adeo ut quidam eos quoque miserentur, qui in malis versantur quæ sunt commeriti, ut pueri et mulierculæ, quos latronum et paricidarum miseret, vel quum caduntur virgis; contra, durities cordis miserationem restinguit, ut in ira, in militia, in latrociniiis, in iis qui minus considerant quid sit malum, vel ex hebetudine naturæ suæ, quales sunt rustici, de quibus non immerito dixit auctor eorum Vergilius: (1)

Misericordiz causa.

Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti:

vel ex cupiditate eorum quæ sibi censent bona; imprudentes, et inexperientes, facile ac multum exiguorum malorum miserentur; generosi quoque animi, et simplices, valde misericordia tanguntur, ut adolescentes, et principes; experti vero, et

pru-

(1) Georg. lib. 2. v. 422.

Misericordiae opera.

prudentes magnorum, parva pro nihilo ducunt, ut sancti viri jacturam animarum in populis gravissimam censent, de corporibus utcunque commoventur, sed propter animas, fortunas autem negligunt, ac rident. Opera misericordiae amoris operibus sunt similia, et misericordia ex amore profluit; vicissim, amor misericordiam invalescit, ut matris erga filium ægrum, aut afflictum, aut peregrinantem: nullus affectus adeo habet promtas lacrimas ac miseratio, adeo ut qui suis malis non illacrimant, ad aliena quasi victi lacrimantur; quorum utrunque est mirifice decens, honestum, liberale: fit etiam persæpe ut quidam qui alienis malis dant lacrimas, suis non possint, tamquam oppressi magnitudine ægritudinis ac doloris, quemadmodum tradunt Amasin, Ægypti regem vetustissimum, amici mortem deflevisse, non filii: dicunt misericordiam oculis maxime commoveri, quemadmodum Horatius inquit: (1)

*Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus—*

Idcirco olim Romæ ad captandam misericordiam parvi liberi producebantur in forum, aut concionem, et prodibat reus sordidatus, et atrati amici, et ostensæ sunt plagæ, aut cicatrices in pectore denudato, et vestis cruentata, et imago rei gestæ in tabella depicta; non dubium quin hæc ad vulgus plurimum valeant, quippe quod sensibus ducitur, qui vero magis cogitatione, ac mente, hi citius commoventur apta et congruenter expressa narratione rerum; nec pauci sunt, qui fabula vel historia moventur, in re ipsa, si coram contingeret, pæne immoti; *Scenicis actoribus*, inquit M. Fabius, *eadem vox, eadem pronuntiatio, plus ad movendos affectus sub persona valet*; scilicet, adjuvatur affectus audiendo, phantasia, et cogitatione; proficit res ipsa miserabilis ad eliciendum affectum, adhibita dicentis arte; velut *explicita malorum gravitate, indignitate illius qui sit perpersus, quanto dignior bonis, quàm malis, multo minus dignus hisce malis, ab his, hoc tempore, hoc loco, quæ sunt ex fontibus proba-*

(1) In Arte Poet. v. 180.

babilitatis; tum admonentur auditores *filiorum, uxorum, rerum carissimarum*, denique *suimetipsorum, et communis sortis*: præcipiunt artis magistri, ut quæ miseratio dicentis arte, non naturæ suæ viribus lacrimas elicit, sit brevis, nihil citius arescere ejusmodi lacrimula.

LAETITIA ET GAUDIUM.

CAP. VIII.

Laetitia est motus animi ex judicio præsentis jam boni, vel pro certo appetentis; aversio mali pro bono est, nisi quod in bono semper est lætitia, in discessu autem mali non semper, ut quum solum ægritudo incumbens tollitur, non subit autem contraria lætitia, aut si subit, lævis est, quæ hilaritas nuncupatur, est enim hæc lætitia remissa; ex judicio vero vel alieni boni quod nobis placet, modo ne id ita carum sit ut unum sit nobiscum, tum ex bonis aliquando eventuris, aut præteritis, aut etiam ex malis transactis, motus quidam existit jucundus in animo, lætitiæ quidem similis, non tamen proprie lætitiæ, sed gaudium, qualis est etiam in nostris bonis, quum ea moderate sumimus; lætitiæ enim concitationem habet vehementem, estque fere de eo quod valde desideravimus, aut pro quo contendimus, ac laboravimus, aut quod derepente contigit præter opinionem nostram, vel expectationem, quo exagitatione dilatatur admodum cor, adeo ut etiam mors interdum consequatur, velut in illis mulieribus bello secundo Punico, quæ quum filios suos, quorum esset mors nuntiata, derepente sospites aspexissent, exanimatæ sunt; celeriusque ex ingenti lætitiæ expiratione quis, quàm ex immodica ægritudine: ab eadem cordis dilatatione existit risus, atque exultatio, quum jam pectus coercere non potest suum cor, tum gesticulatio, et quandoque dementia. Lætitiæ moderata, seu hilaritas, et gaudium, calore suo purgat sanguinem, valetudinem confirmat, colorem inducit florentem, nitidum, gratum, sicut est apud Sapientem: *Cor lætum pro medicina est, spiritus tristis exiccat ossa.*

Hilaritas.

Gaudium.

Mors ex lætitiæ.

Qui

Qui molli sunt corde, facile mœrorem et lætitiã recipiunt, ut sigillum in cera, qui duro, et calido, lætitiã cito capiunt, et diu retinent; sicut contrã, qui duro et frigido, mœrorem, ut in atra bili; est enim mœror affectus terrestris, frigidus, et aridus, lætitiã autem, calidus et humectus, idcirco ea facile in pueris, et juvenibus, et bene valentibus nascitur, tum otiosis hominibus, et securis, nam metus lætitiã impedit, præsertim si sit rei majoris, quã de qua est lætitiã, item in vere, locis item temperatis, amœnis, in festis, celebritatibus, conviviiis. In lætitiã adventu, ne ea impediatur, multi eos obices qui occurrunt, amoliuntur, et moleste ferunt se interturbari quasique interpellari de cursu rei jucundã; itaque de re tristi nolunt audire, ut initio festi, ludorum, conviviorum, de morte, de parsimonia, de egestate, de negotiis publicis aut privatis, de severitate virtutis et frugalitatis; odiosa sunt hæc omnia per id temporis, consumta autem lætitiã audiunt facile, et magis ad ea commoventur quã unquam antea, nempe ex recordatione fugacitatis rei lætã, celeriter enim videntur avolare quæ placent, seu quia refrigerato jam corde, facile severiores cogitationes admittunt: lætitiã tanto est major, quanto nos majus bonum nactos esse judicamus, videlicet amplum, novum, rarum, inusitatum, quodque paucissimis contigerit, iisque præcipuis, et honoratissimis; minor est, in contrariis horum.

DELECTATIO.

CAP. IX.

LÆtitiã est primus vel adventantis boni motus, vel jam impliciti atque adjuncti; post illum autem quum resedit animus, et bono sibi congruenti fruitur et acquiescit, voluptas est, seu delectatio, quam definire licet: acquiescentiam voluntatis in bono sibi congruenti; sæpe admonui, non referre affectus, rem ita esse, nec ne, modo esse existimetur; quidam enim sola phantasie actione id consequuntur ut in maximis sibi bonis videantur versari, sicut ille apud Horatium, haud ignobilis Argis,

Qui

*Qui se credebat viros audire tragædos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro: (1)*

nota est fabula: quod est affectibus omnibus commune. Delectatio sita est in congruentia, quam invenire non est sine proportionis ratione aliqua inter facultatem et objectum, ut quædam sit quasi similitudo inter illa; tum ne notabiliter sit majus, quod adfert delectationem, nec notabiliter minus, quã ea vis quæ recipit voluptatem, ea utique parte qua recipitur; ideo mediocris lux gratior est oculis quã ingens, et subobscura gratiora sunt hebeti visui; eundem in modum de sonis, quo fit ut notis carminibus magis capiamur in cantu, quã ignotis; additur autem, *qua parte recipitur*, nam potentia in eo facultatis expenditur, et objecti applicatio; aliis auribus iidem soni vasti sunt, aliis moderati, et qui sonus in proximo erat immodicus, paullulum si recedat, moderatus censebitur, et Deus, qui est undique immensus, capitur ad delectationem ab ea parte animi, quæ habet quoque suam immensitatem, et capitur ea ratione, qua potest illi accommodari; at quemadmodum differentia est inter sanitatem et voluptatem (neque enim valere est delectari, quod falso Epicurus credidit) ita est inter recreationem et delectationem, nam et si multæ recreationes voluptatis naturam obtinent, et vim, non omnes tamen; quippe remissio, vel mutatio laboris, etiam a minore ad majorem, lusus, confabulatiunculæ, haud raro non perinde animum delectant, ac refocillant et reficiunt; ita capacius quiddam est recreatio, quã voluptas, recreat utique omnis voluptas, non omnis recreatio voluptate afficit.

Recreatio.

In unaquaque facultate, qua animans cognoscit, inest delectationis vis, velut in sensibus externis, internis, in mente, et ut quisque plurimum est alicui facultatum earum deditus, ita delectationibus illius vehementissime capitur; populus sensibus, sapientes menti sunt addicti; ut est cujusque, vel facultatis, vel rei jucundæ, natura et qualitas, ita delectatio excellens est ac

Tom. III.

Nnn

ge-

(1) Epistolar. lib. 2. epist. 2. v. 129.

generosa, tum etiam pura, et diuturna, vel contrà vilis, et sordida, brevis, molestiæque admixta, ac perturbata: infima omnium est, quæ ad sensum tactus pertinet, videlicet terrestri; paullo honestior quæ ad gustum, sed nihilominus pecunia; levis est in odoratu, qui sensus in homine hebetissimus est, nec tam est odor suavis gratus, quàm teter, et fœtidus, molestus; aures, quæ ad aërem pertinent, aliquid habent pulchrius; oculi, qui ad igneam naturam, et ætheream proximam, ceteris præstant sensibus; celsiores istis sunt inferiores animi voluptates; purissimæ autem ac celsissimæ omnium, quæ ad mentem spectant, et in mentis muneribus, quæ ad contemplationem. Voluptates tactus et gustus non sunt durabiles, cito enim hi sensus defatigantur, multumque secum trahunt gravitatis, ac molestiæ; diuturniores sunt aliorum sensuum, et inter eos aspiciendi vis longissimè voluptatem suam haurit; delectationes phantasiæ stabiliiores sunt, quàm sensuum, quo fit, ut cibi, potus, rei Veneræ, musices, spectaculorum, cito satietas irreat, non item possessionis, vel acquisitionis pecuniæ, potentiæ, honorum, gloriæ, quæ sunt in phantasia, et decepta opinione; in mente sunt defæcatissimæ, ac diuturnissimæ, quibus illa non defatigatur, sed reficitur; tales illic sunt, quales nemo nisi expertus adduci possit ut credat; sed documento esse possunt ii, qui rerum omnium jacturam facile ac libenter pertulerunt, ut liberè illis, atque ex animi sui sententia, liceret perfrui; quæ in contemplatione sunt voluptates, ex natura illarum sunt, quibus nos in æternitate beatissimi reddemur; idcirco Pythagoras eam vitam dicebat esse omnium præcellentissimam, et Aristoteles finem bonorum in contemplatione collocavit.

Hæc quidem in vero et recto hominis habitu, qui per delictum corruptus, et tamquam gravi depressus onere, vergit deorsum, resque inferiores ad se se reficiendum atque oblectandum quærit; ita discedit a contemplatione rerum altissimarum, ac præstantissimarum, ad ea quæ sunt actionum vitæ, et versatur in politica, rei que vel publicæ administratione, vel domesticæ: sunt qui ne hunc quidem assensum ferunt, fabellis recreantur, et rerum gestarum cognitione sola ac memoria: alii

ope-

operibus tenentur, quæ exercemus manibus, ut ædificatione, textura, sutura, plasticæ, pictura, et ejusmodi: alii ne tantum quidem possunt animum intendere, laxissimis utuntur animorum remissionibus, ut lusionibus, vel inertis, ac torpido prorsus otio: delabuntur quidam ad voluptates, et sensuum illecebras, usque ad dejectionem illam brutalis ingenii, quæ fit a voragine voluptatis immodicæ mente absorpta; hinc jam non potest magis homo descendere, transit ad obliquitatem ut omnino a ratione et judicio deflectat; excogitavit nobilitatem, decus, famam, gratiam popularem, et quicquid in fortuna ad vanitatem pertinet; denique vellet, si posset, mentem exuere, ut deposita illius severitate dissolutius se in oblectamenta immergeret; id quia per se non auderet facere retrahente existimationis cura, interponit personam per quam faciat, infantem aliquem dicalulum, vel morionem, aut scurram, cum quo citra dedecus stultescat: adeo vel tener factus est animus, ut nullum ferat pondus, vel depressus, ut nutu suo deorsum feratur: mens non eget intervallis fruendi suis voluptatibus; sensus egent, et quidem crebro: mens delectationes delectationibus mutat diversorum generum, majores minoribus, et viceversa, lusus enim, et cogitationes remissiores de levibus, aut jucundis rebus, actiones sunt, et oblectamenta ingenii; sensus autem otio, et quiete, et receptu quodam in se indigent, ut nihil agant, quum mens cessare atque interquiescere non possit.

Ab otio et intercapedine majores sunt voluptates in sensibus:

—*Quas* (ut inquit ille in Satyra) *commendat rarior usus:* (1)

et incitiores ex irritatione contrarii, ut cibus a fame, potus ex siti: voluptates corporis et animi extrudunt se se mutuo; de diti corporeis, illas quæ sunt in mente non percipiunt, et e converso; pugnant vero inter se maxime, ut quæque sunt præstantissimæ, ac vilissimæ, nullumque patiuntur commercium mutuum: omnem delectationis vigorem diutius et purius afficiunt naturalia, quàm artificialia; aurea enim, et argentea, et picturas,

Nnn 2

ras,

(1) Juvenalis sat. 11. v. ult.

ras, sive elegantes, seu artificiosas, et domos instructissimas, et vestes vel artis exquisitæ, vel precii, vel venustatis, si quis ter aut quater aspexerit, ita exatiabitur, ut amplius molestiæ ducat intueri, prata autem, montes, hortos, valles, fluvios, cœlum, mare, nunquam exatiamur videndo, et contemplando, nimirum quòd unumquicque eo delectatur, quod sibi est aptum et conveniens, nobis, qui naturales sumus, magis opera naturæ congruunt, quàm nostræ artis: accedit huc rei perfectio, quæ major est in quocunque naturæ quàm artis operæ, quin et arti ipsi naturæ opera magis et probantur, et placent, quàm sua ipsius, semperque illa cupit et affectat ars imitari, ac effingere; quòd si artificibus concederetur, mallent utique edere sua opera naturalia, quàm artificialia, et qui proximè accesserunt, præclarè secum esse actum existimarunt, eoque magis probantur ad spectatores: raritas et industria precium addunt iis, quæ prodeunt ab arte, miramur enim eatenus posse ingenium progredi, et id potuisse exprimere: denique mutatio omnis, modo sensibus nova, jucunda est, ut in pantomimis, in psitacis, in pueris, quum fari incipiunt, et admiratio, voluptasque ingentium et stupendorum naturæ operum, vel assuefactione deteritur, vel occultatur sub nostra inconsiderantia, intenti enim agimus semper in res viles, magna hæc et mirabilia non vacat suspicere, et speculari. Levis molestia magnam sæpenumero et acrem delectationem diluit, propterea quod et constitutio nostri corporis, et cursus ætatis in pejus semper vergunt, ita parvus dolor majores vires nanciscitur, ex nobis ipsis, ad nos contrahendos, ac prosternendos, quàm delectatio ad erigendos, ac dilatandos, magnisque viribus est opus ut hoc nutans corpus fulciatur: jam vero voluptatibus facilius caremus, quàm afficimur dolore; illud privationis est, hoc existentia; in priore nihil amittimus, in posteriore affligitur sensus, et rectus illius habitus tantisper aufertur.

DE

DE RISU.

CAP. X.

EX lætitia, et delectatione, risus nascitur; qui affectus non est, sed actio exterior ab interiore manans: nam ex lætitia, vel delectatione, dilatatur cor, ad cujus motum et facies extenditur, eaque potissimum pars quæ est circa os, qui rictus nominatur, unde risus; itaque risus exteriorem sedem habet in rictu primum, hinc in oculis, et cuncto vultu; interiorem autem Plinius Secundus affirmat esse in præcordiis, quas Græci *φρενας* appellant: *In his*, (a) inquit, *præcipua hilaritatis sedes, quod titillatu maxime deprehenditur alarum ad quas subit*: et gladiatores, qui eo loci essent sauciati, ridentes oppetiisse; qui risus corporalis est prorsus, non ex affectu, sicut in titillatione sub axillis, aut aliis in locis; et ego ad primam et alteram buccam, quam sumo a longa inedia, non possum risum continere, videlicet, contracta præcordia dilatantur ex cibo; nec risus ille est verus in mœrore, aut indignatione, qualem fuisse Annibalis in curia Carthaginensi ferunt, victi a Scipione, ringere enim est illud, non ridere. In quibus flava abundat bilis, si ad risum sunt proni, quòd ex calore immodico facile exporrigitur cor, sicut rursum pituitosi, et qui atra bili infestantur, propter tarditatem frigoris, lenti sunt ad ridendum; risus, qui ex affectu nascitur, de lætitia est, aut delectatione nova, surgit enim primo illo contactu, quo lætitia vel delectatio recens movet animum; insperata vero et subita plus afficiunt, citius commovent risum, et majorem, scilicet, de veteribus, vel assuetis non ridemus, nisi qui illa accipiunt sæpe tamquam nova, et tum primum cognita; quod fit, vel ex ipsis qui ad risum sunt natura proni, cujus generis sunt pueri, mulierculæ, fatui, vel ex re quæ adeo est animo nostro congruens, ut quoties occurrat, amplectatur eam velut novam.

Quidam non rident, ad quæ non attenderunt, eadem, multo post tempore, quasi recordati incipiunt ridere, vehemens enim cogitatio ut affectum impedit, ita etiam risum; qui-

(a)
Id est in eadem membrana.

quibus de causis prudentum et sapientum hominum rarior est risus et pressior, isque subrisus verius, quàm risus, quum ob magnas intentasque cogitationes, tum quòd illis ob providentiam, reputationemque rerum omnium, pauca sunt nova, aut insueta; accedit his constitutio corporis, in præstantibus ingenio viris, ad atram bilim inclinans; imperant etiam hi sibi, ne effuse rideant, quod est præter decorum; naturalis quidem est omnis risus, nullus voluntarius, sed cohibetur tamen vel usu, vel ratione, ne immoderate prorumpat, concutiens corpus universon, quales sunt imperitorum, et rusticorum cachinnationes, tum puerorum, et muliercularum, ut sui sint impotes, risu ejusmodi correpti, ac concitati. Et ut varii variis ad delectationem capiuntur, ita multis de causis risus prodit; alii rident ob ea quæ cernunt, alii ob ea quæ audiunt, alii de rebus mentis, si placent, vel propter lætitiâ boni, vel propter delectationem, quæ fere ad risum faciendum sita est in deformitate quadam dicti, aut facti, ut in gesticulationibus, in grandibus irati verbis cui vires desunt, nam si adsint vires timemus in casu, innoxio quidem, sed fædo, in dictis fatuis, aut scurrilibus, in interpretationibus, vel rogationibus absurdis, responsis acute detortis aliorum quàm quòd pertinebant rogata, in assimilatione per verba, quæ est genus quoddam inimicæ representationis, sicut in gesticulatione, atque aliis ejusmodi compluribus.

In quibus omnibus placet insperatum illud, rectâ enim et consueta viâ progredientia sine sensu transmittimus, tamquam vetera, quia quodammodo prævisa, deflexa autem, et prava, movent, quia non expectata: Democriti risus perpetuus, affectatus erat magis quàm naturalis, et irrisus, non risus, ad incessendas hominum stultitias, quas illi sapientiam esse ducerent: inter animantes omnes solus homo ridet, quoniam is solus habet vultum, quo risum testetur, ceteris autem facies immoto habitu torpet; non quin aliæ ad sensum boni, et voluptatis suæ concitentur, impensius etiam quàm homo, et edunt signa quædam, quæ risus vim et vicem obtinent, ut exultationes, et voces etiam in suo illo genere inconditas, sed quia vultum,

uti

uti nos, non mutant, non dicuntur ridere. Qui autem Græca voce *agelasti* nominantur, quasi non ridentes, haud ideo quòd ridere non possint dicuntur, sed quia raro, vel ex natura melancholica, et duro corde, vel occupati cogitatione majorum malorum qua diluitur lætitiâ, et voluptas, aut mente ad diversarum rerum speculationem abducta, aut quod ex acuta, et diligenti reputatione rerum omnium, nihil jam eis occurrit novum: contra autem ebulliunt crebri et magni risus, seu mollesfacto corde deliciis, ut vino, lusibus, amoribus, fabellis festivis, concentu, lascivia, seu remissis, et quasi revocatis cogitationibus, vel reducta securitate, et tamquam animo a metu, aut molestia liberato, vel delectamentis exquisitis, maximeque novis, atque inusitatis.

DE OFFENSIONE.

CAP. XI.

HActenus ut de homine, jam ut de bellua atrocissima, atque immanissima; affectus enim qui ex opinione veniunt mali, mirum in modum exasperant, atque efferant humanum animum: primus mali morsus offensio dicitur, tamquam quum quis impingit, est enim dolor ex incongruentis mali contactu, unde alii affectus suppullulant odii, invidentiæ, iræ, et est animi ille dolor dolori corporis haud absimilis, qui existit a prima vellicatione aut punctione; est porro malum quod nos offendit, quicquid est adversum nobis ac inconveniens, et congruentiæ nostræ inimicum, quemadmodum quum deforme aliquid intuemur, vel absurdos sonos audimus, praveque concinentes: congruentia autem hæc, vel est in corpore, vel in animo; in corpore est harmonia illa qua recte valemus, quæ quum adverso motu attingitur, offendimur, ut in concussu omni, ac impulsu, in plaga, vulnere, pressione, æstu, algore, siti, fame, et ejusmodi; in animo vero congruentia est primum in sensibus, habent enim singuli sensuum cum certis rebus convenientiam, a quarum contrariis avertuntur, et declinant, ut oculi

co-

colores, et delineamenta speciosa, aures sonorum concentu, gustus saporibus sibi convenientes, nares odores certos, tactus proportionem principum qualitatum; est altera congruentia in interioribus sensis, velut imaginatione, atque extimatrice, unde in somniis et delectationes versantur, et terrores; quæ duo experimur in belluis, ut res a natura sua alienas aut contrarias refugiant, vel impetum in eas faciant; est item congruentia in ratione, et hæc duplex, altera circa veritatem, et id quod solum scitur, altera circa id quod agitur; actio vero est vel eorum quæ manu exercentur, quæ opera nuncupamus, vel quæ posita sunt in vitæ usu ac ordine, in administratione prudentiæ.

Mendacio omnes offendimur, siquidem narretur tamquam verum; alioqui autem delectat compositio, et assimilatio veritatis, ut pictura, vel imitatio inimica: quæ cognitiones, artesque, aut disciplinæ proportionem non habent cum ingenio nostro, offendunt nos quidem ad aversionem tantum, non item ad insectationem malevolam, nisi forte accedat malignitas animi, et protervitas, aut superbia, ut nihil patiamur pro pulchro haberi, nisi quod nobis placet, aut quo ipsi sumus præditi: in vita est congruens illud et decorum, quod situm est in rectitudine, officii, virtute hujus, ut nullæ sunt fere præscriptæ formulæ, sed ex judiciis, et cujusque æstimatione pendet, incredibile dictu, quàm variæ existant ex eo offensiones, ut vix duos reperias quibus idem placeat; sequitur enim quisque affectum, aut ingenium suum, non rectum examen rationis; idcirco in judicando tanta diversitas; quippe ratio vel unica est, vel non admodum multifaria, ingenia autem infinita, diversissima, difformia: accedit his, nihil esse omnino quod plurimum rationum, argumentorumque, sit in contrarium capax, quàm officia et decorum vitæ, habent enim hæc quamcunque te in partem converteris, probabilem et pro se rationem, et in oppositum, unde error et fraus eorum, qui singula non rimantur altius: quarta proportio est voluntatis, de eo quod judicatum est cuique bonum in præsentia; hinc offensio, prout est, et voluntas vehemens, et quod bonum esse ducimus, magnum, multumque expetendum; contrarium autem, malum, dam-

damnosum, et accuratè depellendum; offensiones omnes eo graviores sunt, quo interius penetrant, scilicet, præcipua pars cujusque rei, verissimè, res ipsa est quod est in ea intimum, itaque quod illud attingit, rem ipsam attingit, et lædit, unde offensio acerrima; quocirca gravissimæ omnium offensiones sunt in voluntate, minus graves in ratione, tum in sensis, postremo in sensu corporeo: nec offendimur iis quæ lædunt corpus, si voluntas non aversetur, ut quum ab amicissimis cædimur, quod in aliis censeremus esse intolerabile; et mendacium, quod pro alio dictum vehementer nos permoveret, pro nobis ipsis gratum est, quia placitum voluntati.

In sensatione est offensio; quod enim non sentitur, nec offendit, ut homo muscis infestatur, non item elephantus, qui illas non sentit; idcirco qui delicato sunt sensu, vel natura sua, vel assuefactione, vel debilitate, celeriter offenduntur; nec de solo exteriori loquor sensu, sed de omni etiam rationis, et voluntatis; teneri naturæ sunt pueri, et mulierculæ, assuefactione autem quibus multum indulgetur, ut pueri molliter educati sicuti qui a matribus viduis, principes, divites, et ii quibus assentantur, et ablandiuntur omnes repugnat nemo, quibus etiam omnia cedunt ex sententia; debilitate autem sunt ægri, senes, lassi, famelici, sitientes, quique magnis animi perturbationibus conficiantur, velut amoribus, ardentibus desideriis, quæ explere non possunt; accedunt his vigiliæ, anxietates, metus, terrores, omnis denique exiccatio corporis, et fervefactio; nam affectus hic ad calidos et siccos refertur, idcirco in similibus constitutionibus corporum, et qualitibus locorum, ac temporum, facile invalescit; ex insuetudine quoque sensus offensionis est multus et frequens, novi enim, et inexperti, passim offenduntur etiam minutissimis omnibus, scilicet, præstinguntur quibus non assueverunt, ut qui, nunquam prius domo egressi, peregre proficiscuntur, quæcunque vident fieri a patriis moribus aliena, damnant, atque abominantur tamquam absurda, stulta, barbarica, quum sint tamen plerumque potiora, quàm quibus domi insueverant: non sunt adeo delicati homines in usu rerum et experimentis versati, nec consuefacti pro-

bra et contumelias ferre, ut Socrates, qui in privato patientiam discebat, quam in publico præstaret, nec qui assultus sunt fortunæ crebro perpessi.

Sunt aliæ offensiones cuique peculiare, quas esset immensum persequi, ut alii serræ stridorem ferre non possunt, alii grunnitum suis, alii morderi linteum, alii frangi prunam ardentem forcipe; sunt quos offendit gestus ad certum modum compositus, sessio, incessus, motio manus, locutio; sunt quos vel ruga alienæ vestis; quis valeat explicare morositates difficili hujus animantis? nec ipse tolerabilis est cuiquam, nec potest alia tolerare, et hoc in singulis hominum: quid mirum si nihil sit tam probè, tam rectè, tam sanctè factum, quod omnibus in multitudine placeat? Quidam ex prava consuetudine aspernandi omnia eum traxerunt morem ut quibuslibet citra iudicium, citra discrimen omne, offendantur, quibus etiam hoc sapientiæ loco est, nihil, ne rectissimè quidem factum, approbare, in omnibus mira iniquitate iudiciorum exquirere quod damnent; quo nomine plurimum sibi placent, et apud stultos spectatores ingenii gloriam consequuntur; quasi vero non sit multo promptius, et cuilibet factu facilius, promiscue damnare omnia, quàm inter bona et mala discrimen ponere, quod ingeniosi demum est hominis et cordati: contrariis ex causis minuitur et detrahitur offensio: extremum offensionis est excandescencia; infimum autem aversatio, quum offensio aversione sola, et sepe ratione placatur, ut quum hilaris recedit a tristi, jocosus a severo, fullo a carbonario, quæ molestia nuncupatur: excandescencia concutit universum corpus, et accendit cor; quum autem est compressa, nec potest erumpere, convertitur in rabiem, et infert sibi manus violentas; tum extendit se late, etiam in eos qui nihil offenderunt; ipsa se enim irritat, et exacerbatur, et dilatat: data est homini offensio, ut ad primum velut mali gustu statim resiliat, neu progrediatur ulterius, ne forte ex assuefactione malum ejusmodi incipiat ei allubescere; offensioni contraria est allubescencia, *privatio autem, animi æqualitas, et profunditas quedam, ut facile devoret, quæ alii non possunt perferre.*

Excandescencia.

Aversatio.

Rabies.

Offensionis causa.

DE

DE CONTEMPTU.

CAP. XII.

Contemptus ex offensione nascitur, quum malum ejusmodi est quod non nocet quidem, sed vile, atque abjectum iudicatur, ut in homines nequam et perditos; non cupimus ei, quem contemnimus, benefactum, sed nec volumus eum lædere, tantum illudere, et ostendere quàm despiciendus sit, ac pro nihilo habendus: contemptus odii atque invidiæ acerbiter sæpe diluit, ut non tantum cupiamus illi malefactum; cum id quod vires nullas habet, conatur tamen nocere, et ferociter in imbecillitate, nascitur apud quosdam odium, apud alios non odium, sed augetur contemptus et irrisio, quale est illud in proverbio: *Mulier gladium*: contemptum sequuntur irrisio, subsannatio, gesticulatio, delusio, aversio oculorum et aurium ab iis quæ dicit aut facit, despectus, tamquam indigna sint videri, vel audiri. Pusillanimitas suspicaces sunt, et contemni se ab omnibus existimant; quicquid alii agant, aut dicant, ad sui contemptum rapiunt; unde crebræ querimoniæ, et maledictio: contemnitur facile qui minimum nactus sit ex iis bonis, quibus nos plurimum tribuimus, ut alii nobilitati, alii facundiæ, divitiis, animositati, et ejusmodi; in precio est autem, si alia sit nactus bona non minoris æstimanda, ut potentiam, dignitatem, gratiam, eruditionem: vel si potest multum lædere, non enim contemnimus quos metuimus: *Nihil ab eo speres*, inquit Cicero, *quia nolet: nihil ab eo timeas, quia non poterit.*

DE IRA ET OFFENSIONE.

CAP. XIII.

Ira est concitatio animi acerba, quod bona sua videt contemni, quæ ipse putat non esse contemnenda; in quo et semetipsum censet contemni, cuique enim precium atque æstimatio ex suis bonis: ira est motus, iracundia habitus, vel ingenium

nium naturale: ira omnis ex offensione nascitur, non est autem omnis offensio ira, differunt enim duo hæc, ut generale, et speciale, sed communi tamen sermone confunduntur, adeo ut altera pro altera sumatur; et habent alioqui motus atque effectus consimiles, tantum distant adjectione contemptus, tamquam distinctione formæ a genere; quippe ira sine contemptu non est, offensio esse potest; itaque irasci dicimur rebus mutis, et infantibus, et inanimis, quum non ad arbitrium nostrum nobis parent; nobismetipsis quoque, quum facti alicujus pœnitet, aut quum aliquid agere conamur, nec procedit; offensio autem est hæc, non ira; neque enim inest in his species contentionis, sed ira sunt tamen, sicuti dicebam modo, ira et offensio sensu sermoneque communi, non vulgi modo, sed doctorum quoque permixta et involuta, ut sæpenumero de utraque intelligendum sit, quod de altera dicitur, pariterque sit præcipiendum de ambabus; quemadmodum etiam est genus quoddam inflammationis in pectore, quum concitat se animus, magnosque ardores ad grande aliquid arduumque efficiendum concipit, quod sine ira atque offensione contingit, nulla enim mali est species objecta; irasci tamen vocant omnes, etiam Aristoteles ipse, et grandia opera ad partem irascibilem referunt, abutentes nomine, quod omnem incensionem sanguinis sub ira comprehendunt, est hoc autem inflammata cupiditatis; sed redeamus ad propositum.

Neglectio pro contemptu ducitur, apud eos præsertim qui maximam habent de se ipsis existimationem, aut si sua bona putant omnibus præferenda, et venerabilia; de quo numero sunt nobiles, milites, facundi, formosi, superiores quocunque genere bonorum; censent exhiberi sibi reverentiam oportere; adeo quum non fit, contemptos se interpretantur: signa, ex quibus contempionem colligimus, nimis multa fecit humanæ superbix suspicacitas, dicta, facta, risus, nutus, gestus, motus corporis, et quum vires nacta est suspicio, nihil non eodem rapitur. Est motus quidam offensionis naturalis adversus eum qui læsit corpus, qualis est in feris; est alter, qui subito quidem existit, et quasi sine tempore ad primum tactum contemptus, ita ut non-

Contemptus
signa.

nulli naturalem esse ducant, et iudicio antevertere; is nonnunquam fit ex bile immodicè inflammata, alias vero non ex iudicio a contemptu orto subito, sed ex illo, quod in animo habemus præceptum, et confirmatum, bonos esse nos, doctos, generosos, industrios, præstantes, oportere nobis honorem exhiberi, et reverentiam, non oportere nos contemni; ex hoc iudicio informato intus, atque infixo, subito ira incalcescit ubi primum contemptus vel procul se se protulit, ac ostendit; ira et vehemens offensio pervertit mentem, ne recordetur justiciæ ac piæ, non benevolentix, non necessitudinum, nam occiderunt quidam uxores et carissimos liberos irati, et prodegerunt opes avari, ambitiosi honores spreverunt, et hæc omnia ex alio impotentiore amore.

Atque indulgentia sui tenerrima obtenebrat iudicium, negligit se, modo irruat in ultione; est plane cæcitas mentis: extenditur adeo, ut se vellet ulcisci vel cum jactura cœli, terræ, generis humani; et indignatur, quod in ultionem suam non etiam astra ipsa conspirent, et concitentur; irascimur non solum uni alicui qui nocuit, sed toti nationi propter eum: ut Dido Trojanis, et posteris eorum, propter Æneam: sed fortassis hoc magis odium fuerit, quàm ira ut Aristoteli placet, Seneca iram esse dicit: quidam libenter immorantur, non in ira, sed in reputatione ultionis, quæ est res homini grata, quibus incommodis afficeret eum, qui læsit: inducit furorem mentis, quum est vehemens, et insaniam, sicut in Ajace, alios item morbos, et mortem, L. Sylla in Puteolanum quendam exandens interiit: in corpore vero horrendos edit effectus, et viro indignos; effervescit enim sanguis circa cor initio offensionis, corque ipsum turgescit, unde est frequens illa palpitatio in pectore, sed nondum est ira tamen, nec offensio, quousque ardentes illi a corde spiritus cerebrum invaserunt; quantumcunque enim pectus incalcescat, sedatus erit homo, et quietus, si calor ad cerebrum non penetret, quemadmodum nec ebrius est, qui multum hausit vini, sed cui vinum caput percelluit; celerimè igitur exardescunt, quibus humores in cerebro sunt præfervidi; inde est etiam mutatio vultus, trepidatio oris, impe-

Irae effectus
in corpore.

di-

dimentum sermonis, et alia visu teterrima, belluæ plane, non hominis: et sunt adeo stolidi nonnulli, qui præter eam deformitatem, quam ira foras promit, et depingit in facie, gaudent efferrare vultum, et gestum universi corporis; irati alii pallent facie, refugiente sanguine ad cor, hi sunt animosi; alii rubent, ascendente ad caput, isti ignaviores.

Et ut est ira dolor quod bona sua, quæ putat non aspernanda, contemnuntur, ideo vult ostendere sua bona non esse parvi aestimanda, idque se assecuturum credit ostensione potentia, et precipuè nocendo, unde appetitus ultionis, qui est ei communis cum offensione, odio et invidia: Aristoteles aliquot ponit discrimina inter odium et iram: *Odium*, inquit, *crescit tempore, ira minuitur*; ultio iræ est dolorem reponere, ultio odii est malefacere, et valde nocere; ira vult sentiri suam ultionem, odium id non curat, modo malefaciat, itaque mortem inimico adfert, vel, quod mortis sit instar, truncationem membri, morbum, egestatem, carcerem, exilium, vitium quoque aut dementiam, ut olim Cretenses qui inimicis suis nihil imprecabantur aliud, quàm ut rebus malis delectarentur, et assuefacerent; iratus dolet, odiens non dolet; ira et offensio facit potentes formidolosos, impotentes autem ridiculos, ut pueros, et mulierculas, at eo magis, si jactent verba grandia, et tragica, et ad potentum imitationem minentur dira, atque horrenda; Seneca totam iram subito dicit existere, cui merito Plutarchus refragatur; crescit enim ex suis causis, ut ignis fomento subjecto; gliscit porro ex eisdem, quibus de causis erat orta, nempe ex contemptu opinione, per loca argumentorum omnia; ex eo in quo est, tenero, delicato, lasso, ægro, famelico, amante, juxta vetera proverbia: *Animo cupienti nihil satis festinare, a lasso rixam queri, fame ac mora bilem cieri*: adeo ut, in aliquibus horum, fervor hic naturalis sit, ut dixi, et iudicio prior; qui insueti sunt accipere injuriam, iis offensio est intolerabilior; in imbecillibus acuta est ira, et prompta; putant enim se despici, quia invalidi, et ex morositate sunt suspicaces.

Omnis etiam infirmitas magnam habet suspicionem de contemptione sui a superiore, ideo facile stomachatur, et illum su-

Odii et iræ
discrimen.

Ira quibus
ex causis.

perbiæ insimulat; denique quisquis ita de se sentit, ut facile contemni se putet posse, senes, ægri, inopes, ignobiles, ignominiosi; aquæ potores, vehementes, et iracundi sunt, quia renues habent spiritus, qui cito corripuntur ab incendio iræ; qui vinum potant, vel cervisiam, crassiores habent, et ad incendendum minus faciles; studiosi homines, quod ob laborem cogitandi calor ad cerebrum rapitur ubi sedes est iracundiæ, huic affectioni sunt obnoxii, teneri quoque et delicati, quibusque multum indulgetur; ideo gravissimæ sunt iræ principum, et diurnæ, quibus omnes non solum indulgent, sed adulantur: ex loco, magistrum contemni in schola, tum in locis calidis, stomachosi: ex iis qui in loco, apud hos, aut illos, permagni enim refert, apud quem fiat contemptus; molestius patimur, si apud eos contemnamur, apud quos cupimus esse quàm honoratissimi: ex tempore, quum iret ad petendam dignitatem, quum coronatus, ut Demosthenes contra Midiam: *In messe detineri agricolam*: est et status rerum, gravior ducitur contumelia, si propter præsentem fortunam simus despectui, quum alias fuerit prosperior: ex agente contradicenti irascimur, quia videtur parvifacere nostrum iudicium, et maxime quum de nobismetipsis censetur; si minor est ea in re de qua nos aspernatur, ut de nobilitate, de opibus, de eruditione, si amicus, si affectus beneficio a nobis, aut nostris, aut ipse, aut aliquis ejus necessarius, si volumus, aut volumus prodesse, in quo est sæpe offensio magis, quàm ira, sicuti in hoc, si non referant debitam gratiam, et tanto magis, si damnum reponant pro beneficio, item si is qui debet subvenire potius quàm aspernari, ut filius, pater, princeps, est enim officii vel prætermissio, vel violatio; sed ira est, si a familiaribus, a quibus contemptus est multo acrior, quoniam quum ii nos negligunt qui existimantur nos optimè novisse, jure habemur pro despectis.

Si ab his a quibus soliti sumus honorari, si non honorent, vel neglectim prætereant, vel etiam afficiant probro, aut contumelia, contemptio censetur intolerabilis: ex instrumento, ut si quis percussit pugno, vel palma, vel harundine: ex modo actionis, irascitur vehementer qui quid valde cupit, irascitur,

si quis contra veniat, sive contra venire videatur, etiam iis qui secum non consentiunt, et non una incandescunt: movent nobis stomachum non solum ii qui affecerunt contemptu, sed qui nuntiarunt, qui retulerunt, ut ille qui vulneravit recitantem carmen contra ipsum compositum: *Qui refert, inquit, carmen de me maledicum, is facit*: pater hoc latissimè ad omnem eum qui quoquo modo fuit causa etiam remota, et segnis, non quæ quid egerit, sed cuius quid occasione est actum, aut præbuit occasionem, aut potuisset impedire, si voluisset, quippe in his omnibus residet vel despectus, vel neglectus quidam: incandescimus, si parvi pendatur id, quod nos plurimi facimus sive in nobis, sive in aliis, et de quo volumus æstimari magni vel nos, vel cari nostri, ut philosophus, si philosophia vituperetur, homo militaris, si militia, atque eo magis, si ab hominibus inexpertibus illius rei id fiat, nempe a rudi, ab imbelli: qui adferre se bonum aliquod putat alteri, velut lætum nuntium, vel munus, succenset ei qui negat esse tale, videtur enim parvi facere id quod ille ducebat esse amplum, et quod attulisse gloriabatur: si quis gaudeat infelicitate nostra, gravissimè offendit: irascimur nuntiantibus adversa, ut Agamemnon Calchanti, quem vocat *μάντιν κακῶν*, et iis qui tristitia nostra spectaverunt, vel audiverunt, quoniam non videntur curare dolorem nostrum, gerunt enim se tamquam vel contemnentes, vel inimicos, vel pro nihilo habentes, nam amici, aut qui reverentur, condolent, indignantur, vindicant; atque eo impatientius irritamur, si arriserunt, si ostenderunt placere sibi nostram deformitatem: succensemur iis quoque, qui nostra seria vertunt in joca, et scommata admiscent, nam videntur contemptum eludere.

Exardescimus et in eos, qui omnibus benefaciunt, si non etiam nobis, nam id speciem præ se fert incuriæ: tum qui nobis multum rogantibus denegarunt, in quo interdum subit invidia, vel odium: oblivio quoque iram parit, nam est neglectio, ut etiam iniquo animo accipiant quidam, si alieno nomine compellentur, scilicet, videmur illos non curare, et præterire tamquam viles: ex fine, spoliavit, ut derideret, aut illu-

de-

deret: ex contingentibus, quum contemptus præter aut contra opinionem accidit, eo est enim acerbior: ex iis quæ ante rem si pares amici: ex iis quæ post rem, si ad eam contemptionem videtur sequi diuturna ignominia; nobis, familiæ, nationi: incendimur nonnunquam auctoritate sola, quum nos nihil causæ cernimus ad animum concitandum, urgent tamen, et stimulant nos propinqui, affines, necessarii, superiores, quibus nos animum nostrum non permittere pro flagitio habetur; ita non satis est, affectus tum varie in nobis pullulare, nisi etiam iussi accipiamus: ; O quàm dolendum est, tot ex causis nasci augerique monstrum hoc adeo perniciosum humano generi! Sunt qui iram, etiam postquam præteriit, simulent ex superbia ne sine causa videantur excanduisse, et opera agunt iratorum: sapienter Seneca: *Multos absolvemus, si cæperimus ante judicare quàm irasci; nunc autem primum impetum sequimur; deinde quamvis vana nos concitaverint, perseveramus ne videamur cæpisse sine causa, et, quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ; retinemus enim illam, et augemus; quasi argumentum sit juste irascendi, graviter irasci*: sic ille.

Fervor ille a pulmonibus extinguitur, quum illos conus attingit cordis; quosdam videmus brevissimo tempore facere finem ultionis cupiendæ, propter pulmones paratos, et raritatem sanguinis circa cor, qui statim restringitur, ut stupa incensa; lentiores sunt ad iram frigidæ temperaturæ, sed in ea pertinaciores; itaque juvat ratione victus uti moderata, ut cibi, ac portiones sint frigidæ, et in biliosis crassæ, somnus largior, quies, actiones remissæ; defervescit ira, minuta vel opinione contemptus, vel ultionis cupedine, vel quia nos simus obliti, vel quia avertimus cogitationem, quapropter utile est se ad lætiora transferre; ita defervescit facile festis diebus, celebritatibus, ludis, conviviis, hilaritate, rebus prosperis, et successu; risus, et festivum aliquod responsum, dissolvit offensas, quomodo Tarentini juvenes placarunt infensum Pyrrhum: obtunditur etiam quia illi quorum iudicium magni æstimabamus, et a quibus dolebamus nos despici, sunt jam obliti, vel quia mortui, vel quia discesserunt ubi vel non aspernabuntur amplius nos, vel jam illo-

rum aspersionem illic non curamus, vel nos cernimus, vel illi sunt diminuti, ut ridiculi sint potius, si fastidium præ se ostendant, quàm curandi: cessat ira, quum declaratum est non fuisse contemptum, quem credebamus, ut quum quid fecit homo stultus, aut imprudens, aut imperitus, aut morbo aliquo dementiae laborans, ut non possit recte judicare; adhæc, assuetus, aut invitus, et qui coactus facit, ejusmodi enim non contemnunt; ut quum injuria ad necessitatem inevitabilem refertur, velut ad divinam voluntatem cui nemo potest resistere, aut imperium regis, vel tyranni, vel ejus omnino qui potest extrema vi cogere.

Item qui alteri nocet ut sibi prosit, non enim is dicitur contemnere; et malunt homines a perturbatis agitatione animi aliquapiam injuriam accipere, quàm a quietis, et otiose statuentibus; nec est contemptus quum prætenditur factum quid esse a confisis benevolentia, aut humanitate, et placabilitate alterius, potius est opinio quædam excellentiæ: accedit his, quum novo honore opinio vilitatis adimitur: porro quum animadvertimus, vel amicissimos nostros, et quorum affectus ducimus pro nostris, non irasci, et judicare non esse contumeliam, mitescimus ex auctoritate, quemadmodum contra ex auctoritate concitamus, ut modo diximus: item quum videmus injurioso illi multos irasci, atque indignitate permoveri, placamur, scilicet, manifesto tunc apparet male illum de nobis judicasse, et tot judiciis in contrarium acquiescimus: quid, quod est velut genus quoddam ultionis, tam multos uni esse infensos? Jam vero quum pœnitet eum qui nos offendit, nam hic pœnam passus est ex pœnitentia; qui fatentur se errasse, minuunt nostram iram; qui negant se fecisse, quod accusantur; quia non admiserunt contemptum quem suspicabamur, vel quia meruunt nos, et superiores fatentur esse. Quum autem est offensio, non item ira, magis accendimur si existimemus eos mentiri, ut erga filios, vel famulos, vel discipulos, irritamur enim impudentia eorum, vel contumacia: quum quis se nobis subjicit, lenit animum, quod animadvertere est in feris: si quis afficiat nos magno aliquo beneficio, in eum mitescit ira: subjicitur
etiam

etiam qui eget, qui rogat, qui in calamitatem incidit.

Defervescit bilis, si invisi revereantur nos, et metuant; hæc enim subjectio est contraria despectui: adde, quum ipsi nos damnamus, judicantes juste pati ac merito, quod fecit David erga Semei; quippe non tum nostra bona magnificienda arbitramur, maliciam nostram reputantes: et ut bilis accensa parit facile offensionem atque iram, ita quum se remisit, extinguitur illa quasi perturbationis flamma; quocirca, bilim refrigerare, quod paullo antea monebam, valde conducit vel cibo, vel potionem, vel ablutione, vel somno; vel cælo aperto, et aspectu amœnitatis; ideo qui convivis, et genio, crebro indulgent, tum offenduntur rarius, tum offensionem remittere promptiores sunt, ut gentes ad Septentrionem. Multum ad iram excludendam facit, præcognitum habere, et persuasum, homines fere omnes iniquissimè de rebus statuere, vel ex prava aliqua libidine animi, ut magis ipsi, qui contemnunt, contemnendi sint, vel miserandi verius; tum de se ipso non magnificam habere existimationem, sed nosse se, quàm ex multis vitiis, erroribus, imbecillitate, vilitate compactus sit, et concinnatus: *Tributa est homini ira ad appetitum rerum excellentium, ut quum* Irae causa.
videat se, ac doleat ob viles abjectasque actiones rejici; ac contemni, det operam ut se ab illis vindicet, transferatque ad præclaras quæ contemni jure non possint.

DE O D I O.

CAP. XIV.

Odium est: offensio radicata, qua quis cupit graviter illum lædere, in quem tendit offensæ existimatio: non enim ad conjunctum modo tempus, aut præteritum, offensio hæc se porrigit, sed ad venturum quoque, et possibile; itaque odimus eum qui læsit, qui lædit, qui lædet, quem ledere arbitremur posse: suspicio magnum hic regnum obtinet, in qua, vel meticulosum nostrum ingenium sequimur, vel conjecturam ex ratione aut experimentis, quòd alios læsit, quòd ejus parentes,

aut propinqui, læserunt, quòd qui tales sunt solent lædere ut qui robusti, et animosi absque mente, et feræ famelicæ, vel irritatæ; eoque multorum injurias experti, minus quidem, et rarius offenduntur, sed magis timent, et suspicaciores sunt, unde procliviores ad odium, nisi si bonitate naturæ mitigentur, aut sapientibus considerationibus, ut Socrates Atheniensis: et brutæ animantes eam oderunt imaginem, sub qua fuerunt aliquando læsæ: ignavi homines in odium sunt proni, quippe qui undique imminere sibi damnum metuunt, itaque oderunt omne genus virium, ac potentiæ, a quo lædi possint sive in animo, sive in corpore, sive in fortunis, unde existit magna in potentioribus formidolosis sævitia, qualem de Caligula, et Nerone, aliisque ignavis principibus, accipimus.

Et qui in homines potentes peccarunt, graviter illos oderunt metu pœnæ, vellentque eos sublato ut ipsi agerent secure: hinc sententia illa: *Offendentem non ignoscere*. Causæ vehementes odii sunt cuique, ut quisque res æstimat; ambizioso gravissima est aliquid contra suam existimationem dixisse, fecisse, cogitasse; avaro contra commoda; religioso contra pietatem; bono civi contra patriam, remque publicam; quòd si animum prius amor occuparat, hoc abolito, facilius subit odium, ut quum quid deprehendimus non esse quale arbitramur; acrius autem exasperatur odium, cum deprehendimus contrarium, ut esse avarum, quem de benignitate diligebamus; esse segnem, quem de strenuitate: idem contingit, quum amori opponitur odii causa quæ prægraveret, ut spoliatos esse nos ab hoc, quem liberalem erga alios esse deprehendimus. Odium ex frigidis est et siccis, idcirco ejusmodi personis, locis, temporibus invalescit, ut melancholicis, hieme, morbo, egestate, fame, infamia; agit quidem in his altius radices odium, sed iners, et segne, acuitur autem ad acerbiter calorem: sunt ad odium proclives superbi, et invidi, et naturali quadam malevolentia præditi, quique illam assuefactione contraxerunt, soliti malis hominum gaudere; qui tenerimè se se amant, levibus de causis oderunt alios, semper enim lædi se se autumant, injuriamque sibi fieri interpretantur.

Confirmatur atque augetur odium a frequenti ira, unde et
odium

odium dixerunt quidam *iram esse inveteratam*: item ab invidia, quod est omnium incitatissimum, atque atrocissimum, citiusque odium placatur ortum a grandi quapiam injuria, vel contumelia, quàm ab invidia: odium ex metu avertit cogitationem, non enim libenter de eo cogitamus, quò terremur; ex ira autem, vel invidia, crebram reputationem adfert, sive in nostris prosperis, ut inimici doleant quemadmodum apud Comicum Gnato Parmenoni: *Nunquid vides quod nolis?* in adversis autem, ne inimici lætentur quale est illud Nestoris Homerici: *Gaudebit hac nostra dissensione Priamus*: idcirco quantum possumus, cavemus ne illi tristes nos esse sentiant, aut demissos, nisi forte cum de industria odium invidiæ defugimus sicut Dionysius Corinthi: gaudemus vero, cum quos odimus, male habent, atque eo magis, si in eo quod nos offendit, ut vires esse ademptas insolenti, auctoritatem arroganti, divitias diviti prævè illis utenti: ex læta boni sensione amor nascitur, ex amaro sensu mali odium; bona autem, propter naturæ nostræ imbecillitatem, nec pura sunt unquam, nec diuturna, sensumque sui exiguum relinquunt; mala vero contrà, quoniam in nobis inveniunt ubi insideant, atque infigantur, et longiora, et graviora sunt, diuturnumque vestigium sui imprimunt; quo fit, ut odium citius in animis nostris proveniat, quàm amor, et majores agat radices, et stabiliores sint illius stirpes, ac fibræ, videlicet, quod in nobis invenit solum sibi conveniens: recte Cicero: *Cui dolet, meminit; cui placet, obliviscitur*.

Ex odio suppullulat maledicentia, et quum incanduit, acerbitas, ac sævitia: amor stimulat ad bene agendum, odium autem avertit a bene agendo, et ad nocendum imperit, ac sollicitat, ideo serit inimicitiarum semina, et astutè dat operam, ut quem odit, incidat in periculum, velut in iram ejus qui multum potest lædere; quomodocunque enim, sive per se, sive per alium, clam, palam, cupit illi male evenire. Hebetatur odium rebus calidis ac humidis, rebus lætis, ac valde prosperis; tum iis oppositis quæ amorem pariunt, alias potioribus quàm erant odii causæ, alias paribus, interdum quoque levioribus, ut quisque est pro tempore affectus; adimitur misericordia, tol-

litur spe, aut cupiditate certa aliquid ab inimico adipiscendi, quod utile aut jucundum credamus fore, dignumque ut illum de eo munere diligamus; diluitur item majore aliquo, et graviore odio, aut aliarum rerum magni momenti cura, et sollicitudine; sublatis quoque odii causis, contingit aboleri odium, ut quum quis est mutatus, atque hoc promptius, si qua subsit alia amandi causa, ut quod propinquus, necessarius, eruditus, reipublicæ utilis, quod rediit ad frugem meliorem: contemptus rerum terrenarum, et erectio animi ad cœlestes illas, ac sempiternas, frangit odia atque inimicitias; quid enim illi, qui in cœlestem patriam est intentus, cum offensusculis brevis hujus peregrinationis? Debilitatur etiam odium, si quis assuescat, quæ alii fecerint, aut dixerint, in meliorem partem deflectere, auferetur enim ea cogitatione origo offensionis, ac proinde odii quoque.

DE INVIDIA.

CAP. XV.

Bonum quod alteri contigit, quatuor modis potest considerari, nam vel nocet nobis, ut quum nostra bona fiunt minorâ applicatione aliorum quæ majora censeantur, quemadmodum quum sublatis in altum vicinis parietibus, officitur nostris luminibus, in quo est dolor quidam naturalis nam orbatio bonorum pro malo est; altera est ratio boni alieni, quum non nocet illud quidem nobis, sed dolemus quod non tantundem nobis evenerit, quæ est cupiditatis species quædam; tertia est forma, quum nollemus alios consequi quod nos sumus consequuti, aut quod nos expetimus, aut quod concupivimus nec potuimus assequi; major est hæc invidia quum de iis bonis, quæ nobis oportere adesse censemus nec adsunt, aut quæ aliis communicantur quum nos propria esse nobis oportere judicamus, ut dignitatem in nobili, hæc species vocatur zelus; quarta est forma, quum id solum dolet nobis absque ullo respectu, nostrarum utilitatum, sed tantummodo quod judicamus malum esse nobis alios bene agere, quæ est germana et maximè propria

pria invidentiæ natura, qualis est diaboli, et filiorum ejus; sed aliæ quoque similitudine quadam invidiæ nuncupantur: est ergo invidia, animi contractio de bono alieno; in qua contractione inest morsus quidam, et dolor, itaque mœroris est pars: bona autem, quibus potissimum invidemus, ea sunt ad quæ sequitur precium, existimatio, honor, decus, gloria; aliis enim non perinde invidetur, ut acumini ingenii, amplæ eruditioni, ignobili, aut virtuti neglectæ, quæ si magno æstimentur, invidia protinus illa insequitur, non propter ipsa, sed propter precium; ita ut decus potius et honorem invideamus aliis, quàm vera illa bona quibus honor defertur.

Invidia fere ex superbia nascitur, superbus autem sublimia hæc et speciosa magis ambit, quàm vera bona, et solida, quorum illæ sunt quasi umbræ quædam; quocirca superbi naturâ sunt invidi, ex cupidine namque præcellendi invidia oritur, et eo magis invidet quis, quo inanior est a bonis quæ concupiscit, neque is est, qui videri affectat: itaque pusillanimi invidentes fere sunt, ut Job inquit: *Parvulum occidit invidia*: præclare Cicero: *Neminem, alterius, qui suæ virtuti confideret, invidere bonis*. Invidia, res est abjecta, et servilis, quoniam quisquis invidet, majora aut potiora judicat alterius bona, quàm sua, aut certe id ne contingat metuit; quocirca nemo audet fateri se cuiquam invidere, citius dixerint irasci se, aut odisse, aut etiam timere, minus enim hæc sunt turpia, et iniqua; itaque qui odit, et qui irascitur, et qui mœret, et qui timet, et qui amat, affectum suum audent reterege, unde maxima animi cordisque alleviatio consequitur; qui autem invidet, comprimit animi miseriam illam impenso studio ne se proferat, unde magna corpori accidunt incommoda, pallor, lividitas, macies, oculi profundi, aspectus obliquus, et degener; leonum generositas nec limis unquam aspicit, et sic se aspici fert indignè; in animo intemperiæ, ac furis, tumultuantur clausæ, et cohibitæ, cui nullum potest esse tormentum par; recte illi, qui invidiam dixerunt esse justissimam, quippe quæ invidenti esset meritum supplicium.

Delectantur invidi maledicentia, et carpunt quicquid in-

vidiosus vel dicit, vel agit, ut notam aliquam inurant, aut maculam aspergant, et quæ recta sunt in pejorem partem detorqueant, non tam quod ipsi ea mala judicent, quam ut aliis mala videantur. Tametsi invidia, quum nacta est vires, depravat iudicium, vehementius etiam quam affectus reliqui, et quamlibet minuta censet esse ingentia, et turpissima quæ pulcherrima; quam in rem multum facit odii acerbitas, habet enim invidia omnis odium ingentium, et quidem atrocissimum, quippe odium ex ira mitigatur facile, ex offensione autem satisfaciendo tollitur, invidia vero nec cicuratur, nec patitur sibi satisfieri, immo irritatur beneficiis, ut ignis in naphtha accensus, qui infusione aquæ majus incendium excitat; unica ratione amittit vires, si felicitas, quam invita videt, tollatur: itaque invidia miserum vellet efficere, odium vero omnino perdere, invidia quoque idem conatur, quum aliter non potest miseriam adferre; exardescit quoque in gravem odii rabiem, unde exitium concupiscit ejus, cui invidet. Quarta invidiæ species ad omnia se se bona porrigit, tres priores ad ea tantum quæ posse nos quoquo modo consequi arbitramur, itaque inter compares et similes sunt maximè, sicuti figulo invidet figulus, et egenus egeno, et vates vati, juxta Hesiodi dictum; videlicet, dedecus est, quum sis in eadem nota, non per omnia esse parem: et naturaliter pungit hominem; nam velut injuriam videtur accipere, si melius habeat qui non habetur melior, quum vero alter est superior, cessat vel dedecus, vel querimonia: compares et consimiles voco, in quacunque boni comparatione, etsi in aliis sint valde dispares, ut rex musicus aliis musicis, quemadmodum Nero, Cæsar, Græciæ artificibus hominibus de plebe infima; docti fortuna dispares; fortunati eruditione ac ingenio inæquales; utique quum in fortunæ comparationem venit, sicut illi, cum de peritia.

Nec veritas similitudinem hanc aut dissimilitudinem metitur, sed cujusque existimatio et iudicium: sunt extremæ conditionis homines, qui regibus opulentiam suam et felicitatem invident, et magna dementia persuasionem pares se esse regibus gloriantur; alii se iudicant regno digniores, et succensent quod ille

ille rex sit, non ipsi; et quidam inter furiosos constricti, villissimæ prosapiæ, ad se clamant regnum jure pertinere, quales vidimus aliquot hîc, et in Britannia: eundem in modum evenit de litteratura, de omni arte, disciplina, præstantia ingenii: hominem novi, vix ultra prima progressum elementa, qui se de eruditione nec Thomæ Moro, nec Erasmo Roterodamo jactaret concedere. Invidia de bonis animi longiores habet decursus, quam de bonis corporis, vel externis, quoniam decus et æstimatio illorum bonorum non novit finem, uti nec bona ipsa quæ in immensa vi animi latissimè se se porrigunt; contra autem, corporalia breviores habent metas, sive in crescendo, sive in usu, sive in precio: videre hoc est in offensione, quum ludendo vincimur; gravius enim id ferimus, quum in ludo id contingit multæ industriæ, ut latrunculis, vel aciebus, quam in quo solum dominatur sors, ut in taxillis: languescit invidia felicitate eo usque progressa, vel in nobis ipsis, vel in æmulo, quæ omnem æqualitatem tollat, sicut in fortuna Alexandri, quem odisse poterant multi, invidere nemo; opprimitur enim invidia magnitudine, non aliter quam fumus ingenti flamma: vicissim, Hadrianus Cæsar nactus principatum, quum obvius ei esset factus æmulus quidam: *Evasisti*, inquit, *periculum*: tametsi quartum illud genus invidentiæ non novit discretionem, omnia invadit, et lacerat.

Vertitur item invidia in misericordiam, si in locum felicitatis succedat miseria; et fere ita fit, ut invidi sint ad misericordiam proni, et misericordes ad invidentiam: contemptus, quia miseriæ pars est, invidiam retundit; quod Dionysio inferiori contigit, quum devolutus tyrannide, abjecte despecteque Corinthi consulto versaretur: ægrotis, senibus, pueris minus invidemus, quod eorum infirmitatem miseramur; senibus, et ægris, videtur instare finis curriculi hujus, pueros ad eam magnitudinem nescimus perventuros, quam nos nollemus, et alioqui pueri, ut animantes omnes teneræ, amabiles sunt, propter innocentiam, ac simplicitatem: extruditur minor invidia a majore, hoc est, de rebus quas nos multo pluris facimus; opprimitur etiam metu grandis alicujus mali, intento enim in

periculum impendens, non vacat invidere; flaccescit invidia erga procul dissitos, vel loco, vel tempore, ut erga eos, qui longissime recesserunt, et in mortuos, nisi si res aliqua conjungit eos, et ceu præsentes reddit, ut cum ad comparationem æstimationemque revocantur vel ingenii, vel eruditionis, vel monumentorum, vel rerum gestarum, vel nobilitatis, vel divitiarum, atque opum, aut rerum ejusmodi. Invidia communicata fit minor, deteritur enim nostra invidentia ex aliena adversus eundem, tamquam ille jam fiat miserabilis, cui tam multi male cupiunt; adeo ut etiam quidam bene de iis, et loquantur, et sentiant, quibus invident, quum alios vident male de eisdem loqui supra quàm existiment par esse, vel cum vituperari audiunt in eo illa, quæ ipsi potius laudanda censeant; permovetur enim animus rei indignitate, quòd mala existimet bono accidere, et hanc putat esse ultionem, si contrà dicat, et approbet quæ illi reprobant, ut eos male urat: quarta invidiæ ratio iniquissima est prorsus, nec a Deo indita, sed a Dei inimico diabolo per peccatum invecta; reliquæ tres stimuli sunt, ut magna bona velimus parare, et conservare.

DE ZELOTYPIA.

CAP. XVI.

IN tertia parte invidentiæ est zelotypia, quæ (ut verbum sonat ipsum) zelus est de forma; ea est metus ne quis, quem nos nollemus, fruatur forma aliqua: id vero dupliciter; vel ut nos fruamur soli, vel ut is fruatur solus quem ipsi volumus, nam et de liberis, et sororibus, et de matribus, et de pupillis, et curæ nostræ concreditis, tangimur zelotypia, non ut nos illarum fruamur forma, sed ne alii contra jus et fas; id vero malum esse censemus, vel nobis, ut ignominiam, aut pœnam, vel illis ipsis, quæ nobis sunt cara, ut decus, vel flagitium. Zelotypia autem fruitionis nostræ ex cupiditate nostra nascitur, quæ est vel voluptatis, vel possessionis, vel proprietatis, vel decoris; ex quarum cupiditatum incrementis et decrementis augetur

et

et minuitur zelotypia, nam vel voluptatem existimamus esse tantam, ut soli velimus perfrui, et extenuari credamus si communicetur, vel cupimus possidere, et amissionem metuimus in communicatione, vel quaecunque id est quod possidemus, nolle in eo habere socium, ut ille, qui negat se vel Jovem passurum rivalem; ita evenit sæpe ut quod habemus proprium, si reddatur commune, abjiciamus prorsus, atque aspernemur, et non modo zelotypiam, verum etiam cupiditatem illius omnem exuamus: postremo spectatur in hoc zeli genere decus aut dedecus, pro cujusvis æstimatione, ac censura, zelotypiam induimus, deponimus, augemus, diminuimus; quo fit, ut varie homines apud varias nationes sint in hoc affecti: occidentales, et meridionales grande censent esse maritis dedecus uxorum impudicitiam, ideo valde zelotypi sunt; septentrionales non item: animantes quædam zelotypia tanguntur, ut olores, et columbi, et gallinæ, et tauri, metu communionis, ne minus sit quod communicetur, néve amittatur penitus.

Crescit et decrescit zelotypia ex personis, locis, temporibus, negotiis; *personæ* sunt, zelotypus, et ea de qua est zelotypia, et propter quam; zelotypus, si sit suspicax, sinistrequè omnia interpretans, magnas præbet morbo suo accessiones, sin ita de se sentit ut non arbitretur habere se quo placeat, celerius et gravius in zelotypiam incidit; cujus sumus zelotypi, potest occasionem dare, affectionis et incrementis, et decrementis, nam et antequam experimento fiat notior, considerantur in ea priora, mater, avia, educatrix, et educatio, et tota ante acta vitæ; tum in experimentis, sermo, mores, pietas, constantia, ingenium, prudentia, amor erga nos, cura boni nominis, et metus infamiæ; nos etiam quemadmodum in eam personam simus animati multum refert; nam si infensi sumus, omnes occasiones arripimus calumniæ, ac rixæ, sin diligimus, minus facile ad zelotypiam impellimur; verus enim amor minime est suspiciosus, immo contrà, a zelotypia amor diluitur, nisi forte est is amor, quem conjunctum diximus concupiscentiæ, quum amicus amici sui benevolentia aliis invidet, quo fruatur solus: is de quo sumus zelotypi, si soleat ad impudicitiam sollicitare,

Qqq 2

si

si possit, si artes ejus negotii calleat, si capiatur tali forma qualis est erga quam tenemur zelo, si jam re ipsa det operam et sollicitet, si habeat unde possit ei placere, si non e regione plura, vel majora alia, unde displicere: multum hæc zelotypiam et pariunt, et enutriunt: *ex loco*, si non est aditus, si omnia obserata et clausa, si locus sacer, aut frequens, vel observatus, aut expositus multorum oculis, et eorum amicorum, vel fidelium nobis, vel inimicorum illi, vel curiosorum, aut loquacium, vel prudentis unius ac vigilantis custodis, minus habet virium zelotypia, quæ si contraria sunt, plurimum: *in tempore* sunt opportunitas, religio, si non vacat vel petenti, vel petito: *ex negotiis*, si magnis negotiis distinentur, aut occupatissimi sunt, si putant esse damnosum suis utilitatibus vel existimationi, denique ei rei, quam ipsi pluris quam voluptatem faciant.

His omnibus adde causas contrarias, nam alteræ percensentur pro utrisque, ex causis vero contrariis contraria existunt effecta; atque in iis quæ sunt commemorata, plures majoresque causæ plus habent ponderis; sunt autem majores minoresve, non ex veritate, ut sæpe dixi, sed ex animo atque opinione uniuscujusque. Gignit zelotypia in animo inquietudinem, noctes ac dies turbulentissimas, omnes vuculas, omnes auras captat zelotypus, et arripit, et amplificat apud se, cum iniquissima de singulis calumnia; zelotypia simul et nascitur ex suspicacibus, et facit ipsa suspicaces, atque ad pejora omnia credulitate proclivissimos; transit in odium et rabiem non solum contra rem zelatam, sed in omnes quotquot, apud iniquissimum animum suum confingit, occasionem aliquam præbuisse facinori, de quo est anxius; postremo adversus semetipsum, unde crudelissimæ sæpenumero sequuntur ultiones, ut etiam zelotypus ex morbi impotentia manus sibi violentas attulerit: de sexu altero loquor ex more, sed uterque est intelligendus; nam inter feminas non minor est hæc perturbatio, nec levior impatientia, quam in viris. *Aboletur affectus hic* sublatis ex quibus nascebatur causis, et potissimum suspicionibus, ac credulitate, tum ratione advocata, quum considerant se torqueri frustra, nec aliud quàm molestiam

tiam lucrifacere, ut uxores aliquot, et olim, et nostro ævo, prudentissimæ, quum flectere se maritorum animos zelotypia non posse reputarent, eam tamquam inutilem et ærumnosam deposuerunt prorsus, aliæ, quod animadverterent maritorum lasciviam ignominiam sibi non fore, immo plerumque majori gloria, æquis animis se cubationem, alienationemque maritorum pertulerunt.

DE INDIGNATIONE.

CAP. XVII.

Indignatio est offensio, seu dolor, de indigna felicitate; indignitas vero hæc, aut in persona est, aut in re; in persona, quum indignus vel expetit bona, vel (quod gravius est) adipiscitur; in re autem, quum accidit res bona malo, vel a malo; in quod animi motus est duplex, indignatio adversus agentem in malum, et misericordia in eum qui patitur immerito: nascitur facile indignatio ab invidia, ea enim, ut est iniqua, efficit ut quicquid alteri evenit boni, indigno credamus evenisse; quod si pungitur quis, ne quid forte redundet in se incommodi ex bono alterius, ea perturbatio non tam indignatio erit, quàm metus, et ex metu coalescit odium; quod si est jam in præsentis damno, contrahit se animus in ægritudinem. Est interdum qui, de sua ipsius felicitate, ei a quo sibi est vel tributa, vel procurata, indigneretur, quum indignum se atque imparem negotio judicat, veluti regi, quod ab eo sit creatus consul, vel amicis, qui creandum curarunt, sibi quoque ipsi, qui expetierit, qui ambierit, qui acceperit, ut Vespasianus in triumpho Judaico apud Tranquillum; quod fere fit, quum aliquid intervenit molestiæ; quocirca in definitione, quum felicitatem posui, non adjeci alienam; huic referri potest ille ex Comædia: *Semetipsum crucians, quod melius ipse agat domi, quàm filius militiae, idcirco decrevit sibi malefacere*: et indignitas hæc circa omnia versatur boni genera; nam indignamur malo contigisse opes, et formam, et robur, et valetudinem integram, et facundiam, et ingenium, et litteras, malum voco eum qui

nostro utique iudicio non bene illis est usus; sola si adsit iustitia, et probitas, non indignamur, nullam enim mentem censemus ea esse indignam, nec arbitramur futurum eum vel nobis, vel quibus bene cupimus, inimicum, aut noxium: Crentenses quidem, iis quibus male vellent, dicebantur imprecari, ut rebus malis assuescerent, sed ubi bonis jam viderentur esse moribus præditi, id non essent imprecati, neque enim illis ipsis fuissent inimici, quos sibi non esse inimicos existimarent, nihil est enim iustitia et probitate amabilius.

Acrius vero indignamur iis, quibus casus aliquid tribuit, quàm quibus natura, et recens adeptis quàm olim, vetustas enim multum paravit sibi juris ut jam naturale videatur, quod diu est possessum: stomachamur item, si quis quæ supra vires aut meritum ipsius sint, aggrediatur, velut magistratum, honores, decus, certamen cum potiore, sive potior sit ea in re de qua contenditur, sive in diversis; prioris exempla sunt, imperitus cum perito, ignavus cum forti, pauper cum divite; posterioris autem, musicus cum viro justo, rhetor cum imperatore, pictor cum magistratu, quum quidem in ea concertatione pictoria ars cum magistratus dignitate committitur, aliis autem nominibus nec censentur, nec veniunt in comparisonem: permovemur item, si quis, laude quidem dignus, laudetur tamen supra meritum, tum enim conamur illi etiam meritam laudem detrahere. Indignatio plurimum invalescit in superbo, qui ut se maximis bonis censet dignissimum, ita alios omnes vel mediocribus bonis impares, ac indignos; itaque omnibus qui bonum aliquod affectant, tamquam immerentibus, ac proinde iniustis, succensent; quod si sint competitores, aut eandem ingrediantur viam, quam ipsi peregerunt, suboritur zelus, ne et eodem quò ipsi perveniant, puta ad opes, famam, eruditionem, favorem, gloriam; itaque homines modesti, tum animis vel humilibus, vel servilibus, haud valde sunt perturbationi huic obnoxii. Indignatio ex eadem radice oritur, qua misericordia, nempe ex iudicio boni, et amore illius; sed in objecto sunt affectus contrarii, quippe indignatio est de bono indigni, misericordia autem de malo indigni; ex harum duarum commix-

tio-

tione nascitur affectus ille, qui in Sacris litteris nonnunquam zelus nominatur, ut in libris Regnorum de *Helia*: et in Psalmis: *Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*: et zelotæ illi bello Judaico, de quibus Josephus; est enim zelus hic indignatio de iis quæ indigne fiunt contra eum, qui est nobis carus, velut contra Deum, et res sacras, contra rempublicam, contra principem; quo prætextu multi sæpenumero pravis libidinibus serviunt, et explent odii sui acerbiter zeli nomine: alii rapiuntur zelo imperito atque imprudenti, qualem in Judæis fuisse Paulus significat scribens ad Romanos. *Addita est homini indignatio ad vitæ communionem, ut æquæ et rectæ constet bonorum omnium distributio, ne ad indignos deveniant, hoc est, præve usuros.*

Zelus.

Indignationis causa.

DE ULTIONE, ET CRUDELITATE.

CAP. XVIII.

Quicquid affectus accipit, cupit in id ipsum refundere unde accepit, sive bonum sit, seu malum; hinc nascitur erga benevolum benevolentia, et beneficientem beneficentia, vel contrà, malevolentia et maleficientia; qua de causa animus ab aliquo affectus dolore, cupit, in illum ipsum qui dolorem dedit, retorquere similem morsum, isque, appetitus ulciscendi dicitur, et cum in opus exit, ultio; ea vero est meritæ sententiæ nostræ pœnæ inflictio, pœna autem damnum est, sive læsio, in quocunque genere bonorum, animi, corporis, fortunatum, ut est cuiusque de his existimatio; nam sunt qui se ulcisci putant de injuria, ostenso medio ungue, aut gesticulatione turpi, aut convicio; sunt rursum qui fuste vel gladio malint impeti, quàm verbo probroso; alii, qui vel parum sibi virium ad ultionem esse rentur, vel avidissimè eam experunt, diris, detestationibusque vindicem superiorem implorant, ut principem, vel numen: omnis ergo offensio, quæ late per odium, per iram, per invidiam, per indignationem se porrigit, cupidinem habet ultionis, hoc est, doloris reponendi, nisi quod alii affectus aliter; invidia enim callidè et astutè surrepit, ut nolit intelligi a

Ultio.

se

se esse ultionem profectam, ira apertè, et indignatio, ut hoc velit et sciri ab aliis, et ab illo de quo se ulciscitur sentiri, ac intelligi, zelus gloriosam sibi censet et prædicandam vindictam de eo, cui succenset, sumtam, odium varium est, nam cum excandescit, in naturam iræ transit, frigidum vero, quasi virus furtivè surrepit, ac lædit; acerbitas offensionis, quæ cohiberi amplius non potest, sed effuse in ultionem omnem prorumpit, ut noceat quacunque potest, rabies vocatur, tractum nomen a morbo, quo canes et lupi infestantur, quæ quoniam non datur erumpere, auget et comprimit cor, graviterque corpus universum afficit, et percellit, quod rumpi ac dirumpi dicitur.

Rabies.

Actus, et mulctationis, et vindicationis, cum invaluit, transit in sævitiam, seu crudelitatem, quæ est sympathiæ privatio; qui enim compatiuntur, miserentur quoque; carent autem sympathia alii perpetuo, alii temporario; perpetuo ex constitutione naturali corporis, vel ex consuetudine quæ versa est in naturam, ad tempus autem, ut qui affectu aliquo vehementi commoti, indurescunt; id autem non diuturnius est, quam ipsa perturbatio, ut cupiditas rei alicujus vehemens exacerbatur sævitiam in obsistentem, ut divitiarum, vel principatus, vel voluptatis, tum metus de re cara, ut de vita, de imperio, quod Neroni, et Caligulæ, et Commodò accidebat, qui ex metu sæviebant; e contrario Titus Vespasianus, filius, ex fiducia et securitate animi erat mansuetissimus etiam adversus insidiantes suo principatui: ira quoque et offensio dum ardent, auferunt rectas cogitationes, suadentque asperrima, et maximè dira. Et est crudelitas triplex, in procurando, in exequendo, et in prætermittendo; procurant, qui jubent, qui arte efficiunt, vel astu; exequentur, carnifices, et milites, multi enim crudeles sunt in jubendo, ad quod non sustinerent manus admovere; tertia est crudelitas in cessatione officii, cum non miseramur quos oportet, vel ex malevolentia, vel ex socordia, ut cum deserimus, vel præterimus parentes, propinquos, necessarios, calamitosos, in morbo, egestate, periculo, nec eorum adversis movemur; cæremus enim illa, de qua dixi, sympathia: inhumanitas, atque immanitas est, cum judicio atque ingenio humano abjecto, fe-

Crudelitas.

Crudelitas
triplex.

ri-

rinum sumitur: subsidit ultionis cupiditas intrinsecus, cum refrigeratus est sanguis a pulmonibus, aut a semetipso deferbuit, ut in iis quorum bilis cito quidem inflammatur, verum in levi materia tamquam in stupa brevissime restinguitur; pertinaciores sunt melancholici, aut phlegmatici incensi, ut tardiores ad arandum.

Quomodo
ultio mi-
tescat.

Conquiescimus quoque acceptis pœnis a nobis, vel ab alio, vel ab amico, vel a natura, et fortuna, cum fit miser, æger, pauper, ignominiosus, et cum majora pependit supplicia, quam passurus erat ab irato: in mortuos non fervet ira, tamquam passos extrema, nec amplius capaces nostræ ultionis: desinimus sæpe vindictam expetere, quando jam illam paratam videmus, quod multis evenit, qui, inimicum quando habent in sua potestate, parcunt, satis esse rati nocere potuisse: languescit etiam acerbitas illa victa, et delassata, cum paullo ante in alios desæviit, quemadmodum in publicis suppliciis placatur princeps in civitate, et imperator in exercitu, pœna paucorum: frangitur interdum ab alio affectu, ut majoribus malis, vel ira majore aliqua, ut lapis lapide, vel malleo: ira quidem cum fervet, non admittit curationem ullam, magis enim remedio exacerbatur, propterea quod ratio est prorsus perturbata, et ignis compressus validius ardet, nisi ea sit forte vis oppressionis, quæ ignem obruat, et extinguat, ut ruina incendium: mitigatur quoque amore ejus, qui deprecatur pro inimico, aut cum est honorificum parcere, aut quando aliquid utilitatis speramus, aut timemus damnum, ut clavus clavo extrudatur: *Dies denique ipsa morbis omnibus animi medicinam adfert* citius, aut tardius, pro qualitate corporis, pro persuasione, et judicio animi; et ut bilis accensa parit facile offensionem, atque iram, ita cum se remissit, extinguitur illa perturbationis flamma; idcirco bilim refrigerare admodum conducit quibus modis superius est dictum: comprimitur, et reservatur vindicta aliud in tempus, quandiu exequendæ illius non est occasio, quod Reges dicit Homerus facere, ut ad tempus ultionem dissimulent, quoad inveniant suam opportunitatem: interea autem coacervatur, et computrescit in stomacho, et quo longius dilata, hoc majore cum purulentia evomitur.

Tom. III.

Rrr

DE

DE MOERORE.

CAP. XIX.

MOERor est, animi de malo præsentis contractio, vel de eo quod jam habetur pro præsentis; perturbatio est hæc omnino lætitiæ contraria; eadem a Cicerone ægritudine nuncupatur; quas autem ille ægritudinis partes constituat ex placitis Stoicorum, facile esset huc adducere, et fecissem, si vel ab illis judicarem esse satis recte tradita, vel a Cicerone animadversâ, atque expensa, sed neutrum videtur mihi; si cui tamen placent, eundem non impedio, in promptu sunt apud eum quarto Tusculanarum quæstionum. Nascitur interdum mœror ex sola boni absentia, ut matri, cum unicus discessit; multi quoque post delicias, et convivias, et dies festos, ac lætos, tristantur, unde est rei amissæ desiderium, et animus inquietus aliquid semper requirens, ut in equa pullo adempto; ex mœrore atra bilis gignitur, et ex hac vicissim mœror ingravescit, sive alia mali opinione; videas melancholicos homines mœstos, quibus alioquî nihil accidit mali, nec ipsi mœstitiæ suæ causam possent reddere; nigri hujus humoris opus est obtenebrare spiritus, unde hæc existunt incommoda, adimitur animo sua alacritas, eademque ex causa vultui quoque obfuscatur ingenium, *Molestia*, inquit M. Tullius, *me hebetarunt*, et Niobe in saxum dicitur esse ex luctu conversa, inducitur refrigerato cerebro somnus, quemadmodum est apud Psalmistam, *Dormitavit præ tædio anima mea*, suboritur odium tum hominum, tum lucis ipsius, rerumque omnium humanarum, juvatque altius in mœrorem demergi, nec hiliora, vel consolationes admittuntur, quod Octaviæ contigit de Marcello filio in adolescentia extincto, adeoque ægritudo avertit gliscere, ut nunquam se satis judicet mœrere, Cornelia Pompeji apud Lucanum in ipsa doloris face,

Turpe, inquit, mori post te solo non posse dolore.

Augetur præcipue mœstitia in meticulosis, qui longissimè suspiciones mittunt, et diffusam texunt malorum telam, ex hoc damno illud, ex illo aliud, et deinde aliud nascetur; transit

pos-

postremo in odium sui ipsius, et desperationem, ac rabiem, sicut de Hecuba legimus, quæ hac de causa fingitur versa in canem; corpus autem ægritudine exiccatur, et contrahitur cor, adeo ut in quibusdam ægritudine extinctis repertum sit non lætius membrana, cor autem contrahit secum vultum, hoc est, suam imaginem, denique atteritur ipsa valetudo: comites mœroris sunt fletus, planctus, gemitus: affectio hæc frigida est, et sicca; idcirco invalescit in frigidis temporibus, et locis, omninoque in iis quæ ingenium obtinent melancholicum, ut in aurumno, et hieme, et tempore nubilo, et de nocte, tum ad Septentrionem, in quibus regionibus plures absunt mœstitia, quam in Hispania, vel Italia. A contrario autem lux et serenitas exhilarat animos, et sol (quemadmodum Plinius inquit) *tenebras, tristitiamque, non cæli modo, verum humani quoque animi discutit*: et ut lætitia caris communicata augetur, sic etiam mœstitia, in lætitia enim, præter nostrum bonum, lætamur lætitiæ eorum quibus bene volumus, item in ægritudine, præter malum nostrum, animadvertimus, eos, quibus cari sumus, in eisdem malis versari, amore scilicet omnia unum reddente; inter eos autem qui non ita se amant mutuo, contrarium evenit, ut lætitia communicata non augeatur, velut in societate quæstus, victoriæ, belli, lusus, litis, mœstitiæ autem, in alios derivatâ, levatur animus, solatium enim est, se in malis non esse singularem, tum alios miserari sortem nostram, tamquam patiamur immerito; et quando est, qui ex dolore nostro dolet nec is tamen dolor in nos reciprocatur, velut oneris partem a nostris humeris in alienos transferimus; quo fit, ut aliena lætitiæ ægritudinem nostram exacerbet, sicut festi dies, et celebritates publicæ, cohibetur enim introrsum, et augetur mœstitia per appositum contrarii, quemadmodum calor viventium corporum in hieme: et cum alios reputamus dolore nostro non moveri, surgit indignatio, et miseratio nostri ipsorum, et tamquam in novo malo revocatur mœror.

Diluitur tristitia vel malo sublato, vel reddito amisso bono, aut rebus lætis majoribus affluentibus, quas nos pluris æstimemus, quam illas, quarum absentia dolebamus; diluitur iis

Rrr 2

etiam,

Melancho-
liæ incom-
moda.

Mœroris co-
mites.

Quomodo
tollatur
mœror.

etiam, quæ tepefaciunt atram bilim, ut cibus calidis, et humentibus, vino potissimum, de quo est in Sacris litteris: *Da vinum mæsto*: oblectamentis quoque visus, vel auditus, ut cælo aperto, campis, et pratis patentibus, musica, tametsi est musicæ genus quoddam, quod mæsto majorem mœrorem infert: assueti malis affigi, velut callum animo ducunt, minusque ab ægritudine premuntur, et majus malum minoris mali sensum obruit: discutitur quoque aversione cogitationis, ut negotiis, et narratiunculis lepidis, recto judicio, nempe reputatione non esse tantum malum, non tanti esse ut sic nos affligamus, plus nos in eo quod agimus perdere, quàm sit in eo quod dolemus deperditum, nempe negotia, et occasionem quæstus, dignitatem, auctoritatem, famam, gloriam, quæ sunt ex mediis consolationibus, non esse malum, non tantum, non illi cui evenit, non nobis, non carissimis nostris, majus bonum instare, aut esse consecutum, hanc esse communem sortem, ab illo fieri, cujus voluntati, et judicio, non obtemperare, nefas est, mœrore remedium non parari: postremo, ut in aliis animi morbis, clavus clavo retunditur cum ostenditur vel periculum majoris mali quod instet, ut illud quod jam adest, pro nihilo sit habendum, sicut qui dolet amissam pecuniam, in discrimine captivitatis, aut mortis, aut amissionis liberorum versari, vel commonstratur maximorum bonorum spes, ut famæ, et immortalitatis nominis, vel dignitatis, gratiæ principis, *aut illius (quod omnia superat bona) beatitudinis sempiternæ.*

DE LACRIMIS.

CAP. XX.

Lacrimatio non est affectus, sicuti nec risus; est enim lacrima, humor, ex calfactione humidæ, ac teneri cerebri, distillans per oculos: in magna calfactione, quando cerebrum exiccatur, non manant lacrimæ, ut in ira virorum, nec cum jam antea est exiccatum, ut in longo mœrore, ac luctu, in senecta, vel cum siccum est ex se, ut in melancholicis; sunt quos ingens ægri-

ægritudo ita obstupefacit, ut compresso calore omni, lacrimam dare non possint, quas vel in mediocri dolore profunderent largiter: profluunt autem lacrimæ, cum cerebrum est humectatum, ut in ebriis, cum molle ac tenerum, ut in pueris, mulierculis, ægris; existunt sæpe ex vento valido, ex fumo, ex adversa aliqua valetudine, ex risu itidem, quoniam in eo incallescit cerebrum; ab affectionibus etiam nascuntur, velut ab amore, ex desiderio fruendi re cara; ab ira, in teneris, et qui se ulcisci non possunt; ab invidia, in mulierculis et pueris; a pudore, a lætitia: potissimum vero ex miseratione defluunt lacrimæ, ea vero est duplex, vel sui ipsius, vel alterius.

Miseratur quisque semetipsum in mœrore, quod indigno judicet ea mala accidere, adeoque naturales tum sunt lacrimæ, ut multi eas profundant abunde vel sola ex reputatione quod possent sibi mala immerenti contingere, velut carcer, exilium, paupertas, orbitas, mors; et ut quisque se se amat tenerrimè, maximisque censeat esse bonis dignum, ita est ad sui miserationem promptissimus, atque inde lacrimatur ad imaginationem mali: aliena quoque mala ex sympathia movent nos, et eliciunt nostras lacrimas; sed hæc tamen tum ad prodeundum tardiores sunt, tum ad exarescendum faciles, quod aliena incommoda tamquam procul spectamus, et quorum levis ad nos sensus perveniat: existunt quoque lacrimæ, cum quid vidimus, vel legimus, vel videmus, vel recordamur pie, sancte, officiose dictum a quopiam, factumve, et eo magis, si is qui egit, aut dixit, periculum aut damnum suum, magno atque excelso animo, præ operis pulchritudine pro nihilo duxit. *Tribute sunt homini lacrimæ ad testandum nostrum dolorem, ut alios in nostri miserationem, atque ad ferendam opem adducamus, ut auxilio mutuo juvemus invicem, tum etiam ad testificationem, alienis malis nos affici, in quo est permagna animorum conciliatio.*

Lacrimæ un-
de.

Lacrima-
rum causa.

Metus est, inquit Aristoteles, mali appropinquantis phantasia; idcirco pericula metuimus quæ sunt mali adventantis prænuntia, cujusmodi sunt tempestates, pravæ qualitates temporum, ad quas sequuntur eluviones, fames, pestilentia, iræ item atque offensiones eorum, qui possunt lædere, quoniam enim possunt, et volunt, manifestum est rem malam instare; timentur item astuti, vafri, callidi, magis quàm simplices et aperri. Timent qui sunt aliis formidolosi, juxta mimum Laberii: *Necesse est multos timeat, quem multi timent*: qui enim formidini est aliis, nisi omnino insanit, videt periculum sibi esse ab illis omnibus ut se a metu liberent, et *quem metuunt, oderunt*, ut est in veteri verbo, nisi forte ii sint metuentes, a quibus nullum possit damnum existere, aut quia nolent, aut quia carebunt viribus; et si hoc rarum est, quoniam nihil est tam imbecillum, quin aliquid ad nocendum valeat homini, præsertim in occasione: mala etiam longinqua minus nos perturbant, ut mors incerta, quam etiam senes homines procul adhuc abesse sperant. Aliter sic ab Aristotele finitur metus, ut sit perturbatio ex opinione futuri mali, utique molesti, vel corruptentis; non enim, inquit, omnia expavescimus, quale est si quis sit iniquus futurus, aut ignarus, sed quæ magnas molestias important animo, aut corruptionem corporibus: id quidem fere in vita civili, de qua ille in Rhetoricis præceptis loquitur; plerique enim hominum insipientiam et vitium non habent in malis, sed quod nocet corpori, aut affectioni, qui vero ex præstabiliore sunt nota ingeniorum, non minus ignorantiam rerum bonarum, et vitium exhorrent, quam alii morbos et mortem, itaque sic commodius finitur: est contractio animi de eo, quod cuique malum viderur, cum cogitatur adventare: ergo quod metus nascitur ex periculi consideratione, qui plus considerant, plus timent, ut prudentes, sobrii, experti.

Pericula proxima, etsi aliena, incutiunt nobis timorem
tam-

tamquam non procul a nobis absit malum; proximum vero est vel loco, ut illud: *Paries cum proximus ardet*: vel similitudine conditionis, tremit enim latro, cum latronem alium videt suspendi, et prægnans, cum alia vitam in puerperio amittit; atque eo perturbantur confusius, quanto est conformior conditio, in eo præsertim unde contractum est malum, ut si grassator plectitur, quia vulneravit non contentus spoliasset, alter qui idem admisit, expavescit; sin quid sit dissimile, minor est metus, ut si spoliavit tantum, non vulneravit; si ille captus est quia solus, hic vero habet comites; si ille quia pernoctabat in publico diversorio, hic in spelunca; si quis ex febre quartana interiit, quod sibi nimium potando indulgeret, minus terretur homo temperans in quartana. Metus primum omnium contrahit, et debilitat cor, ad cujus opitulationem, superiorem calorem natura illi summittit, isque cum non sufficit, etiam inferiorem eodem rapit, unde pallor, et frigus.

Tremente corde, tremit universum corpus, motum enim cordis sequitur, unde linguæ titubatio; atque hæsitantia; quod in aliis quoque affectionibus est annotare, in quibus cor celerrimè agitur, ceu in ira, et lætitia, tum etiam in exercitatione, sed in metu vox est exilis, quia calor a corde et a superioribus descendit, in ira gravior, quoniam ascendit: inhorrent etiam pili, quod ex frigore comprimuntur meatus, unde rigor pilorum: qui parum habent sanguinis calidi circa cor, ignavi sunt, ideo qui proportionem sanguinis magno sunt corde, meticulosi sunt natura, ut lepus, columbi autem, et cervi, timidi, quod felle careant unde accendi posset sanguis, nam in quibus flava bilis intumescit, sanguis quoque ebullit circa præcordia, et fiunt ignavi atque strenui: qui crasso sunt sanguine, et multo, et calido circa cor, securo sunt animo, et audaci, abundant videntur calore, quod est ad fiduciam potissimum, et in qua diutissimè conservetur materia, nempe densa, et firma; cum autem exiguus calor revocatur introrsum ad pectus, fit cor debilius, et magis tremit, unde faciem in metu rubescere, argumentum est animi degeneris; animosior est, cui expallescit, corroborat enim natura cor, summissis illi undique subsidiis caloris ac sangu-

Metus effectus in corpore.

Pilorum rigor.

Metus definitio.

guinis; is porro calor si descendat, crescit metus deserto corde, unde et alvus solvitur; et ex naturali ratione Homerus de ignavo dixit, Cor illi ad calcaneum decidisse.

Illud est annotandum, compressionem omnem cordis, quæ in ægritudine est, et formidine, tum etiam in offensione, et cupiditate cohibita et compressa, angustiam nominari, quæ fit etiam sæpe sine affectu, humore aliquo spisso incumbente in cor: hæc quidem sunt metus opera in corpore, in animo vero hæc exercet: perturbat, et confundit cogitationes; recte, qui dixit: *Quomodo poterit celos et elementa scrutari, cui perpetuo incumbit paupertatis, servitutis, mortis metus?* tum illud: *Pavor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat:* in periculis adesse animo, et consilium ex re nata, quasique sub manum, posse excogitare, ut de Annibale Livius, et de Jugurtha Salustius memoria tradunt, non solum fortissimorum est, et eorum qui non vehementer ejusmodi periculis moventur, sed etiam acutorum, magnique ingenii; tales sunt autem, vel facti usu atque exercitamentis multis et magnis, vel a natura formati et instructi, quibus est sanguis circa cor multus, calidus, liquidus, qui et copiosus, et subtilis, ac temperatos ad cerebrum spiritus mittat: Plinius ait, *Nulli animantium pavorem esse confusorem, quam homini: fides sit penes illum: qui ingenii sui nutu ad metum devertit, vix rationes ullæ ac cohortationes huic sufficiunt, ut animum resumat, et se se erigat ad fiduciam: magna et valida est naturæ vis, cum incumbit intrinsecus, id est, in prima constitutione, nisi acris atque assidua sit meditatio in periculis contemnendis, in animo adversus mala confirmando, ut persuasum obfirmatumque sit, mala quæ timentur, non esse admodum damnosa, aut alia parata esse majora bona si illis defungamur malis, aut majora mala, si illa quæ urgent non devitemus, ac superemus.*

Recte Catilina Salustianus: *Compertum habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris feri: quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet: quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere, timor*
ani-

animi auribus officit: sic ille: et timido si persuadere tentes timorem ipsum magis officere, et incommoda graviora reddere, magis timeat; ut in contagiosis morbis, in quibus multum nocet mali phantasia, pullulat enim metus geminus, alter ex periculo, alter ex metu ipso: quæ ex metu proveniunt, hæc fere sunt: demissio, abjectio sui ipsius, assentatio, adulatio, suspensiones, cautio, quæ extimulat ad quærenda malis remedia in animis firmis, in infirmis autem existit consternatio, et conturbatio, et exanimatio, tum etiam pigritia, desperatio, et prostratio, ut supra jacentem ingruat quicquid impendet et minatur; quapropter nulla est animi miseria major quam metus, nulla servitus fædior, eaque de causa odium adversus formidolosum, ad metum tamquam ad cotem exacuitur, ut adversus tyrannum, et cupit se animus asserere in libertatem; unde resumptis viribus frige factus sanguis recalescit, et actione contrapositionis ardentissimè ad se se vindicandum accenditur; quæ res etiam animosissimos sæpe, qui timuerant, facit, et crudelissimos se in dominos gerunt, qui serviebant, magnoque impetu excutiunt a se illos, a quibus premebantur.

Metus, ut alii fere affectus, suspiciosus est, et meticulosi omnes suspicaces, omniaque auget in majus, nec unquam tantum est periculum, quantum sibi fingit; quocirca solatii loco est timenti pro re cara, interesse illius periculis, aut certe liquido illa cognoscere: bene expressit hunc affectum Ovidius verbis Penelopes: (1)

Ut ilius starent etiam nunc mœnia Trojæ:

et quæ sequuntur, notum est carmen: metus augetur auctis causis, ex quibus nascitur, tum ad formidinem aliorum, qui experti sunt ea pericula, sciuntque quantum ex iis immineat mali, ut cum nauta timet in tempestate, terrentur vectores; et qui intrepido solent esse animo, cum pavent, augent nostram formidinem, ut cum tyro conspicit veteranum trepidantem; perterrefaciunt nos quoque gravius pericula, ubi præsidium nos-

Tom. III.

Sss

trum

(1) Heroid. Epist. 1. v. 67.

trum debilitatur, ut populus valde conturbatur, quando magistratus timent, vel ii qui soliti sunt in periculis civitati prospicere, quemadmodum pulli tremunt matrice commota; quas etiam res experti sumus valde asperas, magis deinceps metuimus; velut digladiationem ii, qui ex prima graviter discessere saucii. Securitas est, cum nullum esse remur periculum, idque vel ex consideratione, vel ignorantia; ex consideratione, cum defuncti periculo nullum censemus restare, aut in universum despicientes omnia quæ instant, nihil ad nos mali perventurum judicamus: qui curam etiam abjecerunt illius boni quod periculo impetitur, securi agunt, ut divitiarum, famæ, vitæ; nihil enim habent amplius de quo sint solliciti, ac proinde timeant.

Securitas.

Ignorantia est in iis qui non cogitant, aut perpendunt, ut dormientibus, pueris, ebris, inexpertis; tum in iis quorum cogitatio aliorum est aversa ab aliis cogitationibus et curis, vel a perturbationis violentia, ut ira, invidia, cupiditate; et securitas quidem est, ut dixi, quando nullum esse periculum arbitramur, fiducia autem cum in periculo confirmamur adversus mala appetentia; ea vero exoritur, vel aucto intrinsecus calore, ut vino injecto, aut iis quæ corroborent cor; vel affectu aliquo ferventi, ut ira, amore, cupiditate, metu majoris mali, quæ sunt animo animositatis loco etiam in ignavissimis; certis etiam concentus generibus, ut scribunt de Timotheo musico, qui lyræ cantibus Alexandrum Macedonem et incitarit ad arma, et mox paullo mutatis numeris sedarit: audacia est, cum ad depellenda mala, vel bona ardua consequenda, animus exurgit, et rapitur; quod fit majore quodam fervore sanguinis; eaque de causa ad irascibile officium refertur, de quo sum, cum de ira dissererem, loquutus. Æstimatur autem periculum ex loco, ex tempore, ex personis vel nobis ipsis vel inimicorum, ex viribus; quorum omnium consideratio vel gravat periculi opinionem, vel elevat cum videmus parum nobis posse noceri hoc tempore, hoc loco, ab his qui nolent, vel ob amorem nostri, vel ob ipsorum bonitatem, qualis est de Deo fiducia.

Fiducia.

Audacia.

Qui non potuerunt, quia carent viribus, non audebunt, quia

quia non noscunt se habere vires vel quòd omnino non habent, vel eas non intelligunt, ut equi, et tauri, et multi hominum; et nobis in his possessionibus, familia, amicis, necessariis, denique perpensis viribus, munimentisque (quibus septa est ea pars nostri quæ impetitur, et id quod impetit) atque inter se collatis: in ingenio sunt acumen, eruditio, facundia; in valetudine constitutio, vires, alimenta, medicinæ; in fortunis opes; in dignitate, auctoritas, gratia; quæ omnia patent latissime: non est loci hujus explicare; qui adierunt sæpe idem periculum, et evaserunt incolumes, aut certe cum levi incommodo, fidentiores in posterum redduntur, ut milites veterani in bello: nova, subita, inopinata pericula, animos, quantumvis fortes, percellunt, ac consternant; quæ vero prævidimus, quæ multum versando cogitatione fecimus jam quasi familiaria, minus urgent; meditatio enim illa pro assuefactione fuit patiendi, ut quasi callum animo induceremus: confirmant nos quoque exempla aliena: ille et ille fecit, quid est in me minus? et eo sumus erectiore animo, quo nos præstare illis arbitramur qui fortiter eadem pericula et subjerunt, et evaserunt, præstare quidem iis viribus quibus periculum ejusmodi vel toleratur, vel repellitur, ut facundia, prudentia, gratia, robore, præsidii amicorum, loci, temporis, principis, Dei.

Cum vero imminens malum non ducimus pro magno et pernicioso, constabatur animus, ut cum paratum scimus esse aliquid potius, quo prius illud ampliter compensetur, velut opes eruditio, gloria, vita immortalis. Horror, et exanimatio, quæ sunt metus in animo effectus, et opera, in præteritum quoque recurrunt, quale est Vergilii: *Namque animus meminisse horret:* ferunt Judæum quendam in Gallia, cum ex agro domum de nocte revertisset dormiens in asino, transissetque ruptum pontem per angustam tabulam, postridie revocato ad acrem considerationem periculo quod evaserat, exanimatum esse; videlicet, imaginatio facit rem præsentem, ut alias dixi: porrigunt se itidem formidines ad possibile: conjuges quidam miserabiliter cœperunt lamentari, quòd essent ad focum colloquuti, quid ipsis fieret, si unicum suum amitterent? qui illis erat sanus, et

Metus causa

valens, sed hoc phantasiæ regnum late per affectiones omnes patet: *Datus est homini metus, ut caveat nocitura prius quam se illi applicent.*

S P E S.

CAP. XXII.

Spes cupiditatis est forma, nempe fiducia eventurum quod cupimus; spes non habet evidentiam scientiæ, sed conjecturam opinionis, vel probabilem, vel possibilem, quòd sæpe factum est simile, quòd aliquando, quòd in pari idem evenit, quòd aliqua ratione et causa debet fieri, quòd par est ut fiat, quòd credibile est futurum in hoc, ab hoc, hoc tempore, hoc loco, negotio; nihil denique est tam leve, tam minutum, tam procul dissitum, tam alienum, ad quod animus non adhærescat facile, dum spei adminicula conquirat; quantulum enim, aut quale sit cumque, satis habet virium ad spem sustinendam, adeo vel ipsa levis est, vel hamata, et viscata. *Fecundissima est spei persuasio, et vitæ in primis necessaria, inter tot ærumnas, et res duras, pæneque intolerabiles; omnia enim fierent sine spei condimento non solum fatua, sed etiam insuavissima, prudenterque fictum est in fabula, quod in Pandoræ pyxide, effusius rebus omnibus, ac perditis, spes sola resederit in fundo; quæ est imago humanæ vitæ; ideoque ab Artifice mundi effectum est, ut spes levissimis de causis, et nascatur, et sustentetur.*

DE PUDORE.

CAP. XXIII.

Pudor est metus dedecoris ex quo non sequitur damnum; ab Aristotele definitur: *Dolor, seu perturbatio animi, de iis quæ dedecus videntur inferre; et omnia respicit tempora, præsens, præteritum, futurum, possibile; nec solum pudor est de ipso dedecore, sed de periculo etiam, ne admittas tale quid, unde adjisse turpitudinis periculum videare. Pudor quandoquidem de-*

decoris est metus, multum in iis valet qui honoris sunt cupidi, hi enim tanto magis metuunt contrarium tanquam grave malum. Turpe, et decorum, multiplex est, aliud enim natura ipsa constat, ut quæ sunt hominis naturæ amica, vel repugnantia; justitia, humanitas, modestia, pulchra sunt et decencia, his autem contraria, deformia; est et turpe ex primo derivatum scelere, cum corrupta est natura, diminuta est bonitas, invaluit vitium; hoc situm est in omni mentione obscenæ libidinis, quemadmodum in Genesi scriptum legimus, post inobedientiam velasse primos illos conjuges pudenda; cujus causa est, quòd humani animi generositas, cum videt membra illa sibi non obtemperare, sed duci propriis quibusdam motibus, et incendiis, summovet a conspectu, et occultat servum repugnantem, et subditum rebellem, ideoque quibus ea membra non sunt rationi, ac voluntati humanæ inobedientia, minus illa, et re, et verbis, tegunt quia non adeo tanguntur pudore, ut in prima innocentia, et in nostris senibus, et puerulis in quibus cum pubescentia venit etiam pudor rerum illarum.

Est et aliud turpe ex offensione naturali sensuum, ut ad odorem, vel aspectum tetrum, atque aversandum, qualis est in omnibus excrementis corporis, iis præcipuè, quæ per amplas corporis cloacas defluunt; res istæ omnes per se turpes sunt, horumque duorum generum verba, et commemoratio, non carent obscenitate, et offensio est devitanda; causa est, quòd verba movent necessario intelligentiam, et phantasiam, audientis, in venereis phantasia excitat motus libidinis flagitiosos; in tertris autem fastidium, et nauseam, totiusque corporis, si paullo sit tenerius, ac delicatius, perturbationem; hinc Cynicorum dissolvitur cavillosa reprehensio humanitatis, quòd homines puderet loqui de iis quæ necessaria essent, et carerent flagitio, cujusmodi sunt, liberis dare operam, excernere, nares emungere, mejere, non puderet autem de vitiis, et sceleribus aperte loqui, velut de latrociniiis; de furtis, fraudibus, prodicione patriæ, violatione legum, tyrannide; videlicet, horum scelerum commemoratio, tametsi ea sunt nefaria, tamen non movent phantasiam ad aliquid turpe, aut grave corpori, movent autem illa

altera, quamlibet naturæ necessaria, et conducentia; quin et sapientes ea flagitia reticent apud eos, quos suspicantur imitatos si sciant, non turpitudinis suæ gratia, sed periculi alieni, cum vero de illis aliquid referunt, addunt insectationem ad doctrinam cautionemque audientium: ex hisce fœditatis et decoris generibus nascuntur illa, quæ hominum moribus atque opinionibus nituntur; plurimum interest quemadmodum vel nos ipsi de rebus sentiamus, vel alii quorum iudicio movemur.

Turpis et de
cori censura

Censura pulchritudinis, aut fœditatis, ex receptis vel moribus vel opinionibus sumitur, idcirco alia aliis videntur turpiora ut sunt cupiditates eorum inter quos vivimus et versamur; militibus nihil est probrosius ignavia, negotiatoribus paupertate, aut carere fide, studiosis litterarum inscientia, quicquid ergo aliquod istorum inter illos arguit, pudorem importat; in universum autem, quoniam nihil est virtute formosius, vitia omnia incutiunt pudorem, quin et eorum similitudines, imagines, signa; vitia sunt quæ fiunt contra pium et fas, contra æquum, contra jus, et leges, contra majorum instituta, contra mores patrios, contra præcepta sapientum, et prudentum consilia; carere etiam iis rebus pulchris, quæ aliis tui similibus non desint, sive privatim cuique, ut adolescentem nobilem generosa educatione, vel publice, ut civitatem legibus, libertate, in vitio solent poni, tamquam tua culpa vel amiseris, vel non paraveris; quæ a communi ratione discedunt verecundiam incutiunt, sive in vitiis, sive in rebus neutris, ut statura vel enormis, vel pusilla, oris aut corporis deformitas, linguæ vitium; nec solum res nostræ turpes pudefaciunt nos, sed eorum qui nobis sunt conjunctissimi, ita ut illorum turpitudine in nos ipsos, vel nostra in illos redundet, uti patrum, avorum, filiorum, nepotum, consanguineorum, principum, subditorum, tutorum, pupillorum; inter omnes, patrum est maxima, quod versiculo est græco testatum: *Nemo tam est vir excellens, suisque fidens virtutibus, quem non frangat parentum ignominia*: propterea quòd vitia patrum in nos videntur naturæ similitudine derivari, tamquam hereditaria.

Sed apud recte statuentes nihil ex hisce omnibus justum et
le-

legitimum pudorem importat, præter illa in quibus est aliqua nostra culpa, velut in eorum peccatis qui curæ ac providentiæ nostræ commissi sunt, ac crediti, ut filiorum, discipulorum, uxoris, pupillorum, subditorum, clientum, familiæ, necessariorum, de quo est illud: *Amici vitia ferendo facis tua*: utique in iis probris, quæ ad curam nostram pertinent excludere, aut emendare; quo fit ut etiam leges, et pietas, et bona majorum instituta in gente aliqua, male ab aliis audiant gentibus, quum illis omnibus ea non sit melior, quale est apud Paulum: *Propter vos male audit nomen Dei in nationibus*: ex alieno pudore, atque ignominia, pudefimus et nos, quum ejusdem turpitudinis sumus nobis conscii, vel quum illius fuimus auctores, magistri, adjutores, socii, vel quum is pudefit immerito, et quem indignum sit pudeferi; erubescimus item ad alienam impudentiam, quando eum, quem conveniebat verecundari, videmus nihil commoveri prorsus, aut levissimè: qui quod non exhiberi sibi reverentiam vident, a quibus, quo loco, tempore, negotiis, aut rebus existimant oportere, verecundantur ipsi, neque id modo, sed sæpenumero indignantur, et irascuntur, eoque vehementius, quo plus sibi arrogant, et honoris sunt avidiores. Modesti homines in mediis suis laudibus erubescunt, ut M. Cicero de Cajo Aquilio dicit pro Publio Quintio, timent scilicet suspicionem arrogantiam, si immoti suas laudes auscultent, tamquam videantur eas agnoscere, atque approbare.

Qui discrimina hæc norunt fœdi, et decori, metuunt tamen dedecus, passim verecundantur sine causa, ut pueri, et rusticorum plerique, unde est ille pudor rusticanus; qui vero nihil hæc curant, nec eos pudet; quod non simplici de causa contingit; hi enim ex educatione non norunt, ut rustici, et filii egenorum, illi se ipsos in flagitia ita projecerunt ut omnem respectum hominum exuerint, ut latrones, lenones, meretrices; sunt quos in desperationem egerunt sua mala, et in odium decoris, sicut inopes, mendicos, ignominiosos; alii superiores se esse rentur, et versari semper inter eos quos nihil revereri debeant, ut principes, magistri, patres, senes, homines arrogantes, qui reliquos omnes despiciunt tamquam inferiores se: vi-

cis-

ciſſim, qui de ſe ipſi moderate ſentiunt, ſæpius incurrunt pudorem, non a rebus, ſed a ſuis ipſorum ingeniis: qui videri affectant nullis eſſe vel inferiores, vel ſubditi, impudentiam dedita opera exhibent, et quærunt occaſiones pudoris, ut confidentiam in illis ſuam oſtentent: ex optima, et præſtantiffima ſunt nota, aſſectatores ſapientiæ, qui hæc vulgaria rerum diſcrimina derident, alia videlicet habent ipſi excellentiora, magisque ad libram veritatis expenſa, atque examinata: conſiderantur in cenſendis pulchris, et deformibus, circumſtantiæ *locorum*, ut in Æthiopia deformis non eſt color ater, nec ſtatura puſilla apud Pygmæos, nec furari Lacedæmone; *temporis*, ut Saturnalibus ludere, atque ineptire; *perſonarum*, vel noſtræ, ut aliquid turpe facere Magiſtratum, deformius eſt, quàm privatum, vel alienæ, magis pudeſimus apud eos, ex quorum improbatione plus dedecoris nos reportaturos formidamus vel ob noſtrum de illis iudicium, ut apud parentes, tutores, præceptores, vel omnium, aut plurimorum, ut principum, et eorum qui magni habentur de ſapientia, et rerum iudicio, vel de virtute, et poſtiſſimum, qui ei turpitudini, quam nos reformidamus, obnoxi non ſunt, minus enim pudet nos turpiter aliquid agere apud ſimilia agentes.

Denique quoscunque reveremur, apud hos plurimum erubescimus; rursum, quorum iudicio nihil tribuitur, nec de eis verecundamur, ut puerorum, et morionum; quod fit apud plures magis pudendum est quàm quod apud paucos, modo cetera ſint paria; idcirco multum pudet nos, ſi quod fœditatis ſignum dedimus apud eos quos ſuſpicamur prodituros, et eo gravius, ſi ſint late ſparſuri, cujus generis ſunt, qui ſolent, ut dicaces, qui cupide faciunt, ut inimici, qui poſſunt, ut celebres ſcriptores, vel qui inter multos et magnos verſantur. Amor, ſi ſit admixtus cum opinione magnitudinis, pudorem ducit ſecum comitem, ſin aliter, tollit, ut inter pares; magnitudo eſt omnis excellentia quæ conſideratur ut talis, ſive conditionis, et fortunæ, ſive corporis, ſive animi, et mentis; ſpes quoque ad pudorem facit; a quo enim ſperamus boni nos aliquid accepturos, quocunque boni genere, quod nos utique du-

ducamus eſſe tale, apud hunc ex leviffima dedecoris ſpecie perfundimur rubore, metu, ne ſpe noſtra fruſtremur; huic videlicet probari vehementer experimus; ut voti ſiamus compotes. Signa quibus fœditas notatur ſunt, reprehensio, increpatio, convicium, deriſio, illuſio, dictum, nutus, geſticulatio, voces inconditæ; pudor ſuffundit genas rubore, quæ eſt erubescencia, quia periculum in metu ejus eſt generis, ad quod propulſandum opus ſit cordi ſubſidio, nempe calore illuc occurrente; in pudore autem conturbatio quædam exiſtit animi ex opinione dedecoris, ad caput ergo rapitur calor unde per faciem diffunditur, eamque ob cauſam M. Cato nec puerum pallentem probabat in pudore, nec militem rubentem in diſcrimine, quod hic argumentum præbebat ignaviæ, puer autem confidentiæ, atque impudentiæ.

Quæ videntur fœda noſtra, magis nos afficiunt pudore, quàm quæ audiuntur, et aſpectus eorum; quos reveremur, plurimum nos pudore afficit; idcirco plerique in verecundia demittunt oculos, alii avertunt, alii claudunt; pueruli, quum erubescunt, naturaliter manibus operiunt oculos, et faciem; Socrates, de amore dicturus in Phædro Platonis, faciem pallio operuit, tamquam in argumento verſaretur parum ſe digno; nec ſine cauſa dicitur proverbio: *Pudor in oculis*: in tenebris nullus fere eſt pudor, et quum capite ſumus involuto, nec noſcitur, minus pudet: alii generoſiores, qui vel in ſolitudine apud ſemetipſos pudeſcunt, ſive quid in præſentiâ agunt turpe, ſive ex recordatione quod egerint. Pudor, ſicuti et metus, animum conturbat, tametsi non tanto quatit tormento, ſed confundit certè, excutitque rectè cogitata; quod deprehenſum eſt in doctis, et cordatis viris, quum vel ad multitudinem dicturi prodiffent, vel ad principem aliquem, quem eximie revererentur; valida rei alicujus cupiditas verecundiam excutit, ut in amatoribus, in periculo rei alicuius caræ amittendæ ut vitæ, aut filii; avarii eadem de cauſa non multum verecundantur, quum ſpecies eſt lucri aliqua; nec ſenes multum pudet, partim quod apud juniores agunt, id eſt, ſe in-

Tom. III.

Tit

fe-

Notæ fœditatis.

Erubescencia.

Pudoris affectus.

feriores, quasique filios, nisi forte hos habeant pro fortioribus, ut principes, aut locupletes, aut patronos suos, alias quod non tam decore, aut dedecore, moventur, quam utili, vel inutili.

Pudoris causa.

Potiores qui

Pudor velut *Pædagogus* quidam additus est homini; puer enim, vel adolescens, consilio est invalidus propter ignorantiam eorum quæ versantur in vita; is si sibi fidat, in plurima incidet incommoda; ut ergo iudicio prudentiorum acquiescat, habet pudorem tamquam stimulum, qui impellat eum potiores revereri; potiores sunt autem, vel numero, ut multi, vel ætate, usu rerum, prudentia, eruditione leges ac mores, patria iudicia universorum, vel plurium, et eorum qui in magna sunt existimatione; quocirca nihil est ei, qui vitæ officia non novit, utilius; cohibet item affectus temere se se effundentes; atque evagantes, ideoque pro educatione est pueris, et mulieribus; nihil potuit dici in sacris oraculis de muliere fœdus, quam quod *pudorem abjecisset*, et Philosophus ille, quum puerum animadvertisset erubescens: *Bono es animo*, inquit, *fili*, *hic est color virtutis*: viris etiam frenum est, ne se in ea effundant quæ minime deceant, minimeque vel illis ipsis conveniant, vel aliis; ne quid committant turpiter, flagitiosè, prave, indecenter, pro ratione personæ, ætatis, temporis, loci, societatis, humanitatis; *maximeque necessarius est omnibus*, quicumque in communione, et societate, sunt vitam acturi.

DE SUPERBIA.

CAP. XXIV.

Superbia, tumor est animi ex opinione boni præcellentis, unde honor et precium existit, sive id bonum adsit, sive adfuerit, adfuturumve sit; infixæ sunt huius mali radices nostris pectoribus, quoniam ex eo amore nascitur qui inditus est naturaliter cuique sui ipsius; is enim, ut est admixtus ignorantia, excæcatur, efficitque ut quisque sibi videatur optimus, ac pro-

proinde bonis quibuscunque dignissimus; quæ censura transit a nobis in eos quos amamus tenerrimè, quoniam ii alteri nos sunt, ut diximus: est ergo fons superbiæ primus, inconsideratus cuique amor sui ipsius; quod autem manat ex inconsideratione, copiose necessum est influere in rudes, tardos, stupidos, præcipites, inconsideratos, nam docti, acuti, moderati, et qui in se se oculos reflectunt, probe assequuntur nihil esse de quo mortalis ullus possit sumere spiritus; et ut biliosi quamlibet acuti et eruditi, nisi se magno inhibeat iudicio, et (ut ita dicam) sufflaminent, rapiuntur præcipites in animi perturbationes, obnoxii sunt huic malo; tum quod ignis amat superferri, et diffusa per cerebrum cholera, subito, velut tormento, vim omnem rationis quatit: tanta autem sæpenumero inconsiderationis caligo mentem obruit, ut superbissimus sit qui minimas et paucissimas habet causas sui efferendi.

Nascitur ex superbia, arrogantia, ut quoniam se maximis bonis dignum superbus existimat, quæ ex se habet bona, unde originem sumit superbia, ingentia esse censeat, unica, omniumque præstantissima, ut nobilis genus suum, formosus formam, acutus ingenium; quæ vero aliunde propter illa accedunt, modica, et infra suam dignitatem, quæ tamen si aliis contingant, supra dignitatem et meritum esse iudicet; ex livore ac malevolentia, quæ superbiæ sunt comites; quicquid conciliare deus, et auctoritatem, et dignitatem potest, quærit ut vere possideat, vel possidere certè se simulat, vitat autem quicquid quovis modo existimationi possit officere; hinc est ostentandi bonorum suorum aviditas ardentissima, ut aliis ea fiant nota, et dedecorum suorum celatio diligens ac studiosa, quod facit non rebus ipsis modo, verum et jactatione verborum, et gestibus corporis totius: et quoniam quæ rara, aut nova, aut inusitata, et singularia sunt, propter admirationem pluris facimus, ille ejusmodi sibi adesse bona vult aliis persuadere, in rebus animi, in rebus corporis, in iis quæ sunt vitæ, etiam in sumendo cibo, vestiendo, ludendo, in incessu, in rebus levissimis et quas nihil omnino intersit hoc aut illo modo agere atque exercere; immo

Arrogantia.

et in quibus periculosa est novitas, affectat ab aliis discrepare, et ipse sibi munire viam qua ingrediatur, unde absurditas asseverationum in disciplinis, ut aliquid videatur novi attulisse; hinc invidentia in eos, qui vel potiora habent, vel similia, efficiunt enim hi, ut ne, quod nos maxime cupimus, nostra sint unica et propria.

Nihil adeo expetit superbus, ac Dei similitudinem aliquam, non utique quod ad bonitatem pertinet, sed quod ad potentiam, et magnitudinem, ut se nullius indigere, multos autem ipsius; nulli esse subditum, illi plurimos; neminem sibi benefacere aut prodesse se compluribus: et ut magnitudinem superbi ostentent, componunt se in modum, non amabilem, sed formidabilem; id simulant et jactant divitias, opes, potentiam, contemptum aliorum tamquam longe imparium, non dignantur eas colloquio, non congressu, utuntur sono vocis gravi, et verbis grandibus, ac tragicis, irrisione, subsannatione, jurgis, minis, unde insolentia dicatorum et factorum intolerabilis; in omni contentione pertinacia invicta, et contra auctoritatem omnem, et contra manifestissimam veritatem, contra bonum et utile vel ipsius ejusdem superbi; omnia enim postponit præeminentiæ, ne qua re habeatur inferior; itaque nec admoneri se patiuntur, nec doceri volunt, sed quicquid semel arripuerint, tuentur, unde sectæ, et factiones, citiusque mutari vellent veritatem, et rerum naturam, quam suam asseverationem, quam ipsi non raro falsam esse haud ignorant: sequitur ira superbiam, quod nunquam sibi tantum tribui existimat, quantum meretur; tum ultionis cupiditas, et mulctatio per occasionem; jam circumspectio ad aliena verba omnia, ad nutus, ad gestus, ne quid adversum se exeat non honorificum; suspicax est superbia, et quæ simpliciter sunt dicta vel facta, iniquissimis interpretationibus ad calumniam detorquet.

Ex hoc tam pravo more, tamquam immodica sui indulgentia, fit tenerimus animus, omniumque rerum quæ adversa sua voluntate eveniant, impatientissimus; hinc offensio, et

in-

indignatio rabiosissima, et convicia non in homines modo, sed in Deum quoque, tacita plerumque, interdum vero expressa, et aperta: ignoratio hæc tam crassa, vel inconsiderantia tam præcipitata, non sinit nos, in reputatione nostrorum bonorum, cogitare a quo sint bona illa, quis, quomodo, qua ratione tribuerit; nihil de Deo succurrit animo; nos nostrâ solertia, diligentia, merito nostro parasse existimamus, quale illud est apud Ezechielem ex persona diaboli: *Ego feci me*: quod est, sicut Job ait: *Manum suam deosculari*: quæ est impietas magna. Irreperit mire per cuniculos in mentem superbia; sæpe enim magnis ex virtutibus oritur, alias ex consideratione nostræ moderationis turgescimus, modo cum reputamus superbos esse nos, idque nobis dolet, reflectitur in se animus, et quod superbia sua sibi displiceat, superbi; flexuosus quidem serpens ille, hostis hominum, sed et massa nostra longâ vitiorum continuatione corruptissima est. Expergiscitur nonnunquam ex recta præceptione superbia, *egrescitque medendo*, ut inquit ille, et, quemadmodum de palma dicunt, *deprimendo erigitur*; quum enim hortamur aliquem virtute fidere, quod est verum ac solidum bonum, non genere, opibus, forma, facundia, eruditione, gratia, quæ sunt inania, fit sæpenumero ut is; neglecta admonitione, existimet præcipuum se in eo esse de quo jubetur non erigere animum, magnamque sibi vel eruditionem, vel formam, vel quid simile inesse, quandoquidem remediis videt esse opus ne de tanto bono insolescat: ergo adhibendo medicamento incrudescit morbus, quia medicamentum tamquam molestum rejicitur, vel prætermittitur ut inutile, causa vero morbi, quia honorem videtur continere, grata est, et fovetur delicate: magna itaque est opus arte ad cohibendam belluam hanc tam multiformem et multicipitem.

Impedit superbia magnos in sapientia profectus; partim dum pudet discere ne inferiores videantur, partim quod magnam vitæ partem superbi per ambitionem, invidiam, iram, ultionis cupidinem transigunt, ut sic occupatis, nulla sana cogitatio subire possit eorum mentes; et quemadmodum vene-

na-

nata animalia, si quid ederint salubre, in venenum tamen convertunt, ita superbus, quæcunque agit, ad honorem parandum, et auram captandam refert; et quia unicus esse ac singularis cupit, si quem aliqua de laude commendari audit, statim sua bona profert in comparationem, tamquam potiora: Themistocles interrogatus, quænam esset suis auribus musica gratissima? *Oratio*, inquit, *de meis laudibus*: etiam de eo gaudet extolli, quod non solum ipse non habere se est sibi conscius, sed id quoque scit alios scire: *Mentiris, sed places*: dixit mulier quædam pedisequæ assentanti: dolet homines aliud intueri, aliud cogitare, alia de re loqui, quàm de se uno, nec officium eos censet facere, si id intermittant, ut de Galigula scribit Tranquillus, quocirca altitudinem omnem, tamquam suis officientem luminibus, vellent deturbatam, ut principum nonnulli, ad commemorationem divinæ potentiæ, tacite carpuntur animis, et cuperent ne quis se esset potentior, ac ne Deus quidem; Caligula idem cum Jove simulabat se inimicitias exercere.

Superbo tantoperè est persuasum se esse præcellentem, ut exemptum se arbitretur esse oportere humanis legibus, et impune abire quicquid agit, ipse in alios iudex severissimus; nec impunita solum præteriri sua, verum (quod est intolerabilius) haberi in recte factis exemptos quoque naturæ legibus, ne Deo quidem summo, et præpotenti, subditos, ita ut quidam pudori ducant orare in templis, suppliciter Deum precari, ad memoriam scelerum suorum vultum contrahere, vel lacrimam dare aliquam: bene Declamator ille de superbo: *Erubescit Cæsarem timere*: Superbia animum tumentem facit, et proinde inanem, haud secus quam ignis aquam, quod et in corporibus experimur biliosis, in quibus facile gignuntur flatu, et ventis inter omnia vitiorum genera potest constare pax, et concordia, superbia excepta: de quo est in Proverbiis Salomonis: *Inter superbos semper jurgia sunt*: reliqui enim vitiosi id expetunt quod possunt omnes consequi, superbi quod expetunt, non possunt, nempe utrunque alteri præferri; solum habet superbus

bus amicitia speciem aliquam cum eo, qui se illi subicit adulatione rerum, et assentatione verborum: superbo nullo negotio persuaseris ut ab iis se affectibus absteineat qui sunt demissioni vicini, metu, lætitia effusa, assentatione, ambitu; tamen ille demittit se nonnunquam ut magis extollatur, sicut retrocedunt qui longius volunt salire, ut etiam abjectissime nonnunquam serviat, quo possit impotentius dominari, et se egentissimis, atque impurissimis submittit, si per illos arbitratu gradum se ad dominationem posse præstruere, ut olim C. Marius, et Jul. Cæs. et quotidie nostri principes: est et comitas atque educatio quædam superbissima, non in alterius honorem, sed in nostrum ipsorum, ut boni esse et prudentes, beneque instituti judicemur, unde accedat æstimatio: de quo in Ecclesiastico dicit Jesus: *Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo*.

Affectus hic est præfervidus, nascitur, gliscitque in locis, temporibus, negotiis calidis, velut ad meridiem, in bellis, dissensionibus; quo autem bonum, quod possidere nos credimus, pluris fit, hoc majores cristas erigit hic gallus, ut in raris bonis, et quæ paucissimis contigerunt, iisque honoratissimis, aut omnino nullis: expenduntur et judicia spectantium; intumescit animosus miles in castris, et facinoribus belli, clarus doctus in academiis; contra, deponit animos studiosus inter signa militaria, miles inter libros, idcirco superbissimi omnium sunt nobiles, et formosi, quia genus et forma magni ubique fiunt, tum divites, quod *pecuniæ omnia obediunt*, ut inquit Sapiens, illisque omnes honorem exhibent. Frangitur superbia, primum a sapientia, et consideratione nostræ vilitatis, tum si aperte sciamus non ignorare alios non inesse nobis ea bona quæ simulamus, aut si sciant non esse nostra, sed ad tempus accommodata, hinc si adsint tot mala, ut existimatis bonis prægravent, nosque in animi contractionem abjiciant, aut ex grandi periculo in metum, et horrorem; et, ut est affectus calidus, infrigidatione corporis tepescit, ex alimentis, et loco; bona præterita si per se considerentur, erigunt nobis animos, dejiciunt

autem, si ad pudorem præsentis fortunæ referantur, cum quidem culpa esse nostra amissa ducimus, et potissimum culpa infami, velut prodicione, furto, latrocinio, adulterio, alea, imprudentia, dementia: naturale illud semen primum superbiæ, unde in tantam degeneravit malitiam, non erat malum, nempe, *ut se homo excellenti conditione progenitum reputans, amaret se, dignumque maximis, ac veris bonis censeret, nempe caelestibus, quæ magno animo appeteret, Verum prolapsus in ignorantia, longissime illinc discessit ad cupiditatem vilium rerum, ac vanissimarum, quæ appellavit bona, et pro aternis illis substituit.*

BRUGIS, ANNO M. D. XXXVIII.

IN-

INDEX RERUM, ET VERBORUM, QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

| A | | | |
|--|--|--|--|
| <p>Abraamus Ægyptios docet litteras, ac mathecini. Pag. 8.</p> <p>Abstrahentium non esse mentiri, quo sensu a veteribus dictum. 325.</p> <p>Academiæ tres. 16.</p> <p>Accidentia an diversa a substantiis sint. 200.</p> <p>Accidentia sine substantiis esse nequeunt, et contra. 200.</p> <p>Acerbitas ex odio. 486.</p> <p>Achillis gloria. 417.</p> <p>Absynthii insuavitas. 319. et 320.</p> <p>Actio nulla sine fine. 227.</p> <p>Actio quævis duo necessaria habet. 262.</p> <p>Actiones omnes cogitatio antecedit. 298.</p> <p>Actiones omnium rerum constantium male tempus, et locum habent. 244.</p> <p>Actiones voluntatis ac mentis in homine quid differunt. 267.</p> <p>Actionibus singulis sua sunt instrumenta. 239.</p> <p>Actionis finis. 355.</p> <p>Actionum omnium motus, unde. 261.</p> <p>Actus a ratione gignitur, a voluntate paritur. 382.</p> <p>Actus duo in voluntate. ibid.</p> <p>Adæ in Evam amoris initium. 429.</p> <p>Adamantes in tenebris cerni facilius. 314.</p> <p>Admiranda, a ratione naturæ, non rei naturalis proficisci. 359.</p> <p>Admiratio quærendi cupiditatem parit. 82.</p> <p>Admiracione rueri reverentiam. 456.</p> <p>Adolescentes, ut se liberos declarent nullius jussis obtemperare. 384.</p> <p>Adulatio Principibus noxia. 188.</p> <p>Ægritudo. 498.</p> <p>Æneæ sacra, prætereunte Diomede, qualia. 457.</p> <p style="text-align: right;">Tom. III.</p> | <p>Æquabilitas animi. 474.</p> <p>Æqualitas in amore. 445.</p> <p>Æquanimitas non affectus. 426.</p> <p>Æquipollentiæ usus. 162.</p> <p>Æquivalentia quid. ibid.</p> <p>Æsculapius fulmine ictus, 9.</p> <p>Æsculapius Naviculam scripsit. 10.</p> <p>Ætas quod membrum hominis invadat. 346.</p> <p>Ætatis ad diem, et annum collatio. 400.</p> <p>Ætate prima quæ vidimus et audimus diutius recordamur. 351.</p> <p>Æternitas quid. 246.</p> <p>Æternitas tota Deo præsens. 386.</p> <p>Ær vacuum nullum relinquit. 253.</p> <p>Ær auri congenitus. 316.</p> <p>Ær cur substantiæ lubricæ, et subtilis. 253.</p> <p>Ærem percussum semper reflecti. 317.</p> <p>Ær frigidum et cur. 221.</p> <p>Affectiones omnes in animo. 380.</p> <p>Affectuum enumeratio. 427.</p> <p>Affectus affectum excitat et delet. ibid.</p> <p>Affectus arte regi non possunt. 186.</p> <p>Affectus corporis rationem recipiunt et præstant. 423.</p> <p>Affectus ubi dominantur. 426.</p> <p>Affectus unde moveantur. 7.</p> <p>Affectus cognitio qualis. 121.</p> <p>Affectuum discrimen. 424.</p> <p>Affectuum tractatio non perfecte a veteribus tradita. 421.</p> <p>Affectuum usus. 423.</p> <p>Affectus instar fluctuum. 427.</p> <p>Affectus omnes ex amore. 440.</p> <p>Affectus perturbatiores unde. 425.</p> <p>Agamemnonis in Calchantem ira. 480.</p> <p>Agamemnonis somnium. 397.</p> <p>Ajaxis furor ex ira. 477.</p> <p>Alexander Macedo biliosus somno refertus. 391.</p> <p style="text-align: right;">Vv</p> | <p>474.</p> <p>445.</p> <p>426.</p> <p>162.</p> <p>ibid.</p> <p>9.</p> <p>10.</p> <p>346.</p> <p>400.</p> <p>351.</p> <p>246.</p> <p>386.</p> <p>253.</p> <p>316.</p> <p>253.</p> <p>317.</p> <p>221.</p> <p>380.</p> <p>427.</p> <p>ibid.</p> <p>186.</p> <p>423.</p> <p>426.</p> <p>7.</p> <p>121.</p> <p>424.</p> <p>421.</p> <p>423.</p> <p>427.</p> <p>440.</p> <p>425.</p> <p>480.</p> <p>397.</p> <p>477.</p> <p>391.</p> | |

| | | | |
|---|-------------|------------------------------|------|
| Calvitium unde. | 401. | Cupiditas quid. | 436. |
| Caniciei causa. | ibid. | Cupiditas sua genera habet. | 437. |
| Cantherius in porta cadit. | 41. | Cynosura parva quis notavit. | 5. |
| Caprarum interioris Asiae pili qualis. | 279. | Cynica Schola. | 18. |
| Casus in artem vertuntur saepe. | 228. | | |
| Castis quid sit. | ibid. | | |
| Casus ubi multum valeat. | ibid. | | |
| Causae verae ac propriae. | 230. | | |
| Causarum cognitio pulchra. | 188. | | |
| Causarum cognitio quousque necessaria. | ibid. | | |
| Causarum divisio. | 92. et 237. | | |
| Causarum in rebus studium noxium plurimis. | 188. | | |
| Causas rerum cognoscere suavis res. | 237. | | |
| Causas ignoramus vehementer. | 243. | | |
| Causis secundis quo pacto utatur dominus. | 236. | | |
| Censura de operibus Aristotelis. | 25. | | |
| Censura veri vel falsi quae requiratur. | 155. | | |
| Cerebri dispositio. | 328. | | |
| Cirrhæ inventor. | 8. | | |
| Coacervatio argumentationis quid. | 168. | | |
| Cochlea quid sit. | 40. | | |
| Coeli an per se agitentur. | 213. | | |
| Coeli motus circularis et cur. | 262. | | |
| Coeli terreque materia diversa. | 199. | | |
| Caelorum numerus. | 266. | | |
| Cogi possunt leges non natura. | 92. | | |
| Cognitionis gradus. | 84. | | |
| Cognitionis omnis cur tributa. | 382. | | |
| Coloris formae unde sint. | 313. | | |
| Comitiones Sophistarum. | 44. | | |
| Composita enuntiatio quid. | 153. | | |
| Consuetudines pravæ quando in melius commutentur. | 62. | | |
| Cor omne animal habet. | 341. | | |
| Cor primum vivens ac ultimum moriens. | 340. | | |
| Corpora animantium spongiis similia. | 305. | | |
| Creatura omnis vanitati subdita, et quæ ea sit. | 207. | | |
| Creaturarum ordo. | 188. | | |
| Creduli qui. | 363. | | |
| Crudelitas quid, et quæ ejus formæ. | 496. | | |
| Cupiditas fiducia minuitur. | 437. | | |
| Cupiditas hominis quanta. | ibid. | | |
| Cupiditas qualis affectus. | ibid. | | |

D.

| | |
|--|-------|
| D eclaratio quid. | 132. |
| Decorum est multiplex. | 509. |
| Definiendum quo pacto ubique sit. | 141. |
| Degeneratio rerum quomodo contingat. | 279. |
| Dei attributa. | 287. |
| Dei excellentia per omnia confertur creaturis et quatenus. | 289. |
| Dei imago ut sit in creaturis composita. | 286. |
| Dei immensitas quæ sit. | 252. |
| Dei nomine quid veniat. | 186. |
| Dei opera artificis magnitudinem testantur. | 265. |
| Dei potentia in eo cernitur quod sine instrumentis omnia creant. | 264. |
| Dei vir ac facultas est ipsius voluntas. | 288. |
| Delectatio philosophiæ. | 21. |
| Delectatio quid qualisque affectus. | 464. |
| Deliramenta quare patiantur homines interdum. | 62. |
| Deo æternitas nullum vero tempus convenit. | 246. |
| Descensus argumentationis quid. | 167. |
| Descriptio per quæ fiat. | 132. |
| Deum esse nobis inditum a natura. | 186. |
| Deum in coelo potissimum habitare cur homo æstimer. | ibid. |
| Deus an agat necessario. | 267. |
| Deus an in octava sphaera habitet. | 266. |
| Deus cuncta ad nos non se accommodat. | 267. |
| Deus cur corpore careat. | 205. |
| Deus immobilis. | 259. |
| Deus infinitus ad actionem, ad opus finitus. | 267. |
| Deus noluit prorsus orbari hominem vero lumine. | 188. |
| Deus nullam mutationem recipit. | 287. |
| Deus per se felicissimus. | ibid. |

Deus

| | | | |
|---|-------|---|-------|
| Deus quid sit. | 264. | Dona Dei varie omnibus distributa. | 369. |
| Deus sapiens, potens, optimus, et cur. | 186. | Dormitatio inter vigiliam ac somnum medium. | 395. |
| Deus secundis causis prona voluntate non necessitate. | 236. | Dullardi querela de Sophistica. | 63. |
| Deus sine labore ac resistantia operatur, et cur. | 236. | Duo sunt in Sylogismo. | 29. |
| Deus sua opera etiam meliora facere debet. | 265. | | |
| Dialectica de verbis non de rebus disputat. | 45. | | |
| Dialectica Laurentii Vallæ. | 358. | | |
| Dialectica Philosophi ad sermonem vulgarem est composita. | 42. | | |
| Dialectica quid in sermone inveniat. | 41. | | |
| de Dialectica quis primus scripserit latine. | 43. | | |
| Dialectica, via ad reliquas disciplinas. | 39. | | |
| Dialecticæ non diu immorandum et cur. | 58. | | |
| Dialecticæ officium. | 42. | | |
| Dialecticæ scriptores primi. | 13. | | |
| Dialecticæ studium pessimo depravatam. | 41. | | |
| Dialecticæ utilitas. | 58. | | |
| Dialecticus quibus vocibus uti debeat. | 40. | | |
| Diffinire quanti sit viri. | 141. | | |
| Diffinire recte quis valeat. | 133. | | |
| Diffinitio a descriptione quid differat. | 132. | | |
| Diffinitio philosophiæ. | 9. | | |
| Diffinitio quid, et ejus utilitas. | 131. | | |
| Diffinitionis inquirendæ exemplum. | 134. | | |
| Dicendi cupidi, eruditi fiunt. | 376. | | |
| Discendi cursus. | 373. | | |
| Disciplina est duplex. | 372. | | |
| Disciplinarum virtutumque semina in hominibus esse. | 357. | | |
| Discursus finis. | 361. | | |
| Discursus quid, et ejus formæ quæ. | ibid. | | |
| Disputatio quid. | 68. | | |
| Disputationibus qui idonei, qui non. | 79. | | |
| Disputationibus ut se parandum est. | ibid. | | |
| Distributiva animæ vis. | 304. | | |
| Directe concludere et indirecte. | 170. | | |
| Divisio quid, et ejus utilitas. | 129. | | |
| Docentes augent non minuunt eruditionem. | 372. | | |
| | | E | |
| | | E ffectio est substantia. | 203. |
| | | Elegum carmen. | 8. |
| | | Elementa quatuor num insint quovis composito. | 223. |
| | | Elementorum actiones. | 219. |
| | | Elementorum dispositio sapiens. | ibid. |
| | | Elenchos sophisticos cur tradiderit Aristoteles. | 47. |
| | | Elenchus quid. | 29. |
| | | Elephas mutorum præstantissimus. | 296. |
| | | Empedocles cantiuncula. | 7. |
| | | Endimionis somnus. | 5. |
| | | Ens formæ ac modi. | 196. |
| | | Ens latine uno vocabulo non ostenditur. | ibid. |
| | | Ens simplex quod. | 258. |
| | | Ens unde descenderit. | 196. |
| | | Enthymema quid. | 167. |
| | | Entium singula vires vel ex se vel ex alio habent. | 226. |
| | | Enuntiatio quid, quæ ejus partes. | 149. |
| | | Enuntiatio singularis. | 152. |
| | | Enuntiatio vera vel falsa quæ habenda. | 155. |
| | | Enuntiationes simplices vel compositæ. | 149. |
| | | Enuntiationibus quis verborum modus aptissimus. | ibid. |
| | | Enuntiationum compositarum natura. | 162. |
| | | Epagoge quid. | 167. |
| | | Epicherema quid. | ibid. |
| | | Epicurea secta. | 17. |
| | | Equi cur lympidam aquam poraturi pede turbent. | 303. |
| | | Erubescimus et in nostris et in alienis rebus et quomodo. | 511. |
| | | Εξω quid possit. | 232. |
| | | Εξω quid sit. | ibid. |
| | | Esse in Deum verum communicatur rebus conditis. | 195. |
| | | Esse non recipit magis aut minus. | 211. |

Ethi-

| | |
|---|------|
| Ethica philosophia. | 23. |
| Ethica quid. | 35. |
| Eryma finitionis loco haberi possunt aliquando. | 132. |
| Exemplum quid. | 167. |
| Expertis credendum est. | 63. |
| Exercitiis cuncta purgantur ac virescunt. | 277. |
| Extimativa facultas qualis. | 328. |

F

| | |
|--|-------|
| F acies pudoris sedes. | 90. |
| Facies speciosa quæ. | 430. |
| Familiaritas nimia contemptum parit. | 456. |
| Favor erga quos se extendat. | 453. |
| Favor quid ac qualis affectus. | ibid. |
| Felicitatis viam, omnes homines agnoscunt sed non recipiunt. | 189. |
| Femina natura. | 310. |
| Filii Seth primi scripsere. | 8. |
| Finem presentem non ultimum percora intuentur. | 242. |
| Fines ignoratissimi. | 243. |
| Finis a cupiditate noscitur. | 238. |
| Finis potissimum causa est. | 237. |
| Finis respicit futurum. | 238. |
| Finitiones quomodo sunt sufficientes. | 141. |
| Finitionis formæ. | 131. |
| Fœdiratis censura unde sumatur. | 510. |
| Frigus ad agendum tardus, ad patiendum magnas vires habet. | 230. |

G

| | |
|--|-------|
| G enerandi vis quando animantibus veniat rursus quæ pereat. | 305. |
| Generatio quid. | 308. |
| Generationum formæ. | ibid. |
| Gorgia Leontini eruditio. | 4. |
| Grammatica tempore Aristotelis nendum erat inventa. | 27. |
| Grammaticæ inventor. | 13. |
| Grammaticæ officium. | 41. |
| Gustui odoratus utilis admodum. | 324. |
| Gustus aqueus. | 335. |
| Gustus qualis sensus. | 319. |
| Gymnosophista quid. | 4. |

H

| | |
|--|-------|
| H abitacionum loca idonea. | 402. |
| Habitus crescit ac decrescit tempore. | 399. |
| Habitus quid. | 398. |
| Hecuba in canem cur versa. | 499. |
| Herba nulla est quæ non sit rarior quovis humano corpore. | 204. |
| Hippiæ eruditio. | 4. |
| Hispani homines invicti artem ignorantia tuentur. | 38. |
| P. Hispanus latinè inscientissimus. | 49. |
| P. Hispanus obscuritatum in dialecticis auctor. | ibid. |
| Historiæ res novæ sunt. | 215. |
| Historiæ usus. | 60. |
| Hominem recordari non addiscere. | 82. |
| Homines quidem odore frugum vivere. | 303. |
| Homines si non ipsi sapiunt, alios bene monentes audiant. | 63. |
| Homini duo aptanda parandaque. | 11. |
| Homini primæ vires. | 190. |
| Homini ac bruti intervalla. | 405. |
| Homini gradus in vita quod animam concernit. | 388. |
| Homo ad quid genitus. | 11. |
| Homo cum brutis quæ communia habet, in iis decipitur sæpe. | 195. |
| Homo cur parvus mundus vocetur. | 335. |
| Homo felix in hoc ævo fieri nequit. | 296. |
| Homo mundi princeps. | 188. |
| Homo neutram vitam vivet sine calore. | 225. |
| Homo per loca argumentorum. | 115. |
| Homo porco similis. | 331. |
| Homo qualis futurus sit. | 287. |
| Homo quam facile in belluam degeneret. | 279. |
| Honor an precium virtutis. | 455. |
| Horologii inventor. | 5. |
| Humor caloris partus. | 220. |
| Humor res glutinum. | ibid. |
| Humor viventibus necessarius, et cur. | 301. |

I

| | |
|------------------------------|------|
| I dæ nullæ apud Deum. | 235. |
| <i>Idioma</i> quid. | 48. |
| Ignis | |

| | |
|---|-------|
| Ignis an vivens sit. | 306. |
| Imaginatio quid sit, ubi et quæ ejus actio. | 327. |
| Increduli qui. | 363. |
| Indignatio qualis affectus unde nascatur et apud quos regnet. | 493. |
| Infantes quare senibus plus dormiant. | 308. |
| Infinitem duobus modis intelligitur. | 246. |
| Ingenia excellentia passim exoriri. | 62. |
| Ingenia mutantur. | 368. |
| Ingenia optima ubi intenduntur, valent. | 38. |
| Ingeniorum acumen quibus exciretur. | 57. |
| Ingeniorum discrimen. | 374. |
| Ingeniorum quid et ejus functiones. | 364. |
| Inhærens quid. | 136. |
| Inhærentium interitus. | 283. |
| Inhærentium motus. | 270. |
| Instrumentis uti ad opus efficiendum imbecillitatis signum est. | 264. |
| Instrumentum quid, et quæ ejus forma. | 235. |
| non intelligendi duæ causæ. | 344. |
| Intelligentia simplex quid. | 343. |
| Interjectiones naturaliter significant non vero omnes. | 143. |
| Inventio medii. | 180. |
| Inventio probabilium. | 86. |
| Invidia qualis affectus, apud quos regnet, et ejus causæ. | 486. |
| Invidorum natura. | 487. |
| Ira quid qualisque affectus. | 475. |
| Ira et offensio quid differant. | 476. |
| Iræ causæ. | 478. |
| Iræ restinctio. | 481. |
| Iræ mala in iracundo. | 478. |
| Iræ ac odii discrimina. | ibid. |

J

| | |
|----------------------------------|-------|
| J udicia humana duplicia. | 185. |
| Judicium in homine quid. | 362. |
| Jus civile quid. | 136. |
| Jus civile unde. | ibid. |
| Juventus unde. | 400. |

L

| | |
|---|-------|
| L abor assuefaciendus quando sit homo. | 272. |
| Laborem respicientes citius defatigantur aliis. | ibid. |
| Lacrimarum causæ. | 501. |
| Lacrimarum utilitas. | ibid. |
| Lacrimas promptas qui affectus habeant. | 462. |
| Lacrimatio quid. | 500. |
| Lacrimis nihil citius fictis arescit. | 463. |
| Læticia quid qualisque affectus. | ibid. |
| Leges diffinitionis. | 140. |
| Leges divisionis. | 130. |
| Legum Latores qui. | 12. |
| Legum Latorum laus. | 11. |
| Leo limis unquam aspicit et se sic aspici fert indigne. | 487. |
| Lex quid. | 89. |
| Libri Aristotelis quo tempore latuerent. | 26. |
| Litteraria Civitas suæ restituitur libertati. | 62. |
| Loci divisio. | 251. |
| Loci ex quibus divisiones ac diffinitiones desumuntur. | 136. |
| Loci inventionis cum ad arguendum tum dicendum valent. | 117. |
| Loci torundi partium ordo. | 251. |
| Locum cuius rei aptum assignatum. | 250. |
| Locus inventionis quid. | 86. |
| Locus non mutatur corpore licet moto. | 250. |
| Logicæ artes sermonem accipiunt non dant. | 41. |
| Lunam lucere luce aliena, quis primo deprehenderit. | 5. |
| Lux diffusa per omnes res. | 313. |

M

| | |
|--|-------|
| M agi omnium nationum primi. | 4. |
| Magnitudinis dividendæ nullus modus est. | 245. |
| Majestas quibus conservetur aut quibus perdat. | 456. |
| Majestas supremus honor. | ibid. |
| Major et minor terminus, quid dicatur. | 170. |
| Ma- | |

| | | | |
|--|-------|---|-------|
| Mares vivaciores sunt feminis. | 402. | Moestitia quibus depellatur. | ibid. |
| Maris natura. | 310. | Moestitia ubi potissimum regnet terrarum. | ibid. |
| Mathematici voluntatem hominis caelo penitus subjiciunt. | 385. | Morbi frigidi pertinaciores. | 230. |
| Mathesis certissima sciendi via. | 8. | Morbi via expedita ad mortem. | 402. |
| Materia argumentorum quomodo tractatur. | 70. | Mors hominis quid. | 404. |
| Materia caelorum. | 199. | Mors quando invadat animam. | ibid. |
| Materia non perit. | 216. | Mors quid. | 403. |
| Materia paratio. | 274. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Medici animarum apud varias nationes. | 12. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Medici nobiles. | 10. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Medicina inventores. | 9. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Membra vitalia. | 404. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Memoria qui magna valuerunt. | 347. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Memoria quibus adjuvetur. | 346. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Memoria quid. | 345. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Memoriae qui valeant maxime. | 347. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Memoriae sedes atque vires. | 346. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Mendacium esse lucrum. | 111. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Mens hominis quibus gradibus ad verum perveniat. | 82. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Mens quid sit. | 388. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Mentis humanae essentia. | ibid. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Mentis actus quando quiescere cogatur. | 389. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Mercurius Lyræ inventor. | 4. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Metalla, an inter res anima præditas, numeranda sint. | 306. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Metaphora quid. | 147. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Metus opera in corpore ac animo ejusque fructus. | 503. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Metus quid, in quos cadat, quæ ejus causæ. | 502. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Metus usus. | 507. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Misericordia oculis commovetur maxime. | 461. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Misericordia quæ tanguntur, qui non. | ibid. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Misericordia quid, qualisque affectus. | 458. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Misericordiam quid provocet. | ibid. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Misericordiam quidam tollere volunt sed errant. | 459. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Modus primus verborum quæ habent nomina. | 149. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Moeror quid. | 498. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Moeroris causæ. | ibid. | Mors suas species habet. | ibid. |
| Moeroris comites. | 499. | Mors suas species habet. | ibid. |

N

| | |
|---|--------------|
| Natio quævis peculiare a Deo munus habet. | 293. |
| Natura a rudissimis ad perfecta pergit. | 229. |
| Natura in formatione operis nequit, licet conetur Deum, contingere. | ibid. |
| Natura in necessariis benigna. | 390. |
| Natura ab arte in formandis operibus quid differat. | 228. |
| Natura quomodo operetur in hoc mundo. | 121. |
| Naturæ pixides. | ibid. |
| Naturæ rerum Dei sunt instrumenta. | 187. |
| Naturæ universæ instructio qualis primo. | 212. |
| Naturalia in iis se produnt quæ repentina consilium omne excludunt. | 186. |
| Naturaliter judicare qui dicantur. | 185. |
| Necessarium quid. | 155. et 233. |
| Nomina orbantia. | 270. |
| No- | No- |

P

| | | | |
|---|------|--|-------|
| Nomina vocum vel rerum quæ. | 146. | Alma omnium arborum calidissima. | 403. |
| Nominum distinctio. | 127. | Paradoxa Sophistarum. | 55. |
| Norma excellentiarum. | 292. | Parentum ignominia pudorem omnium gravissimum incurrit. | 510. |
| Novitas admirationem parit. | 83. | Parisiensis scholæ ætas. | 65. |
| Nullum ingenium Aristoteli præstantius. | 25. | Parsimonia in fundo sera. | 450. |
| Numerus interdum naturæ, interdum cogitationis. | 256. | Partes temporis. | 247. |
| | | Particulares argumentationes. | 164. |
| | | Patria duplex habetur. | 93. |
| | | Patriæ mores induimus. | ibid. |
| | | Peccatum homini præclaras facultates dextraxit. | 293. |
| | | Perfectiones Dei. | 287. |
| | | Persica poma lethalia atque salubria, et ubi. | 226. |
| | | Phantasia leviter mutatur ac assentitur. | 69. |
| | | Phantasia quæ apprehendat. | 195. |
| | | Phantasie actio. | 327. |
| | | Philosophi ante Aristotelem paucos scripserunt. | 25. |
| | | Philosophi academici trium generum fuerunt. | 16. |
| | | Philosophia una, munus præcipuum hominibus datum. | 3. |
| | | Philosophiæ divisio. | 14. |
| | | Philosophiæ moralis. | 60. |
| | | Philosophiæ nomen unde. | 14. |
| | | Philosophiæ secretæ ac laudes. | 3. |
| | | Philosophiæ usus ac necessitas. | 22. |
| | | Philosophum in rebus potius quam vocibus occupatum esse debet. | 193. |
| | | Pisces an audiant. | 316. |
| | | Piscium alimenta. | 302. |
| | | Plantas non sentire propter densitatem materiæ, falsum est. | 204. |
| | | Populo quæ auctoritas placeat maxime. | 110. |
| | | Possibile quid. | 155. |
| | | Posteris nemo male vult nisi pessimus. | 109. |
| | | Præceptum vetus. | 52. |
| | | Prævidentia Dei an homines voluntatem servam faciat. | 386. |
| | | Prævidentiæ quid sit. | ibid. |
| | | Predicatorum æmulationis quid. | 150. |
| | | Prima præparatio materiæ. | 218. |
| | | Prima rerum divisio. | 193. |
| | | | Prin- |

| | |
|---|-------|
| Obscuritas Sophismatum. | 40. |
| Oblivisci dicimur quadruplici ratione. | 348. |
| Occasio ad nos spectat. | 248. |
| Occasio quid. | ibid. |
| Oculi ignei. | 335. |
| Oculi non minus sunt in animo quam corpore. | 313. |
| Oculi per se nullum colorem habent. | 315. |
| Oculi primo moriuntur, postremo vivunt. | 404. |
| Odi ac iræ discrimina. | 478. |
| Odium in quas cadat personas et ejus causæ. | 484. |
| Odium quid qualisque affectus. | 483. |
| Odium semper separat atque dissolvit. | 432. |
| Odoratus cur antecedit gustum. | 324. |
| Odoratus qualis sensus. | 320. |
| Odorifera veterum ac recentiorum. | ibid. |
| Oecumenicæ usus facultatis. | 60. |
| Offensio quid qualisque affectus, et quos fructus edat. | 471. |
| Officio nulla vitæ pars carere potest. | 429. |
| Officiorum ratio quam late pateat. | ibid. |
| Oleæ inventor. | 310. |
| Omnia sunt Deo naturalia. | 237. |
| Opera divinæ quæ censeantur. | 231. |
| Opinio multorum stulta. | 56. |
| Opinionum commenta delebit dies. | 61. |
| Opus artis ut perficiatur cernimus, at non naturæ. | 273. |
| Opus suum quo pacto natura ac ars efficere conentur. | 228. |
| Ordo credibilium. | 84. |
| Ordo rerum. | 293. |
| Ordo optimus ex perversissimo nascitur, et quare. | 62. |
| Orpheus ac lapides ferasque moverit et traxerit. | 7. |

| | | | |
|--|-------|--|------|
| Principes formosissimos semper creantur barbari. | 90. | Rei vocabuli significationes. | 196. |
| Principio nihil prius. | 193. | Reminiscentia quid. | 346. |
| Privatio principium non est. | 199. | Rerum conditarum actiones metitur tempus. | 260. |
| a Privatione ad habitum regressus fieri potest. | 271. | Rerum conspiratio mutua. | 297. |
| Probatio quæ vertantur. | 510. | Rerum distinctio unde nata. | 294. |
| Profectus omnis impedimentum. | 375. | Rerum essentialis ex operationibus æstimanda. | 405. |
| Proverbum. | 52. | Rerum ortus, progressus, exitus, ac causæ nobis ignora. | 187. |
| Pudor quando incipiat. | 509. | Rerum proprietates, vires atque excellentias quatenus cognoscamus. | 293. |
| Pudor quid, unde nascatur, in quos cadat, quæque ejus causæ. | 508. | Res cunctæ curam hominis requirunt. | 278. |
| Pudoris sedes oculi. | 513. | Res cunctæ execrationi subdita. | 279. |
| Pudoris vultus. | ibid. | Res naturales indagata, confictæ, &c. | 195. |
| Pueri loco belluam nasci, ubi locorum frequens sit. | 309. | Res puræ vel tristæ quæ. | 278. |
| Puerorum corruptoribus graves imminet pœnæ. | 65. | Reverentia familiaritate destruitur. | 456. |
| Pugnæ enuntiationum. | 154. | Reverentiæ significationes. | 457. |
| Pulchritudinis censura unde sumatur. | 510. | Rhetorica quid in sermone inveniat. | 46. |
| Pulchritudo amorem ad se trahit. | 430. | Rhetoricæ inventores ac scriptores. | 13. |
| Purgationis in animantibus loca. | 304. | Rhetoricæ officium. | 46. |
| Pythagoras excitat numeris. | 54. | Rigor linguæ quid sit. | 48. |
| | | Rigorem non esse confingendum. | 50. |
| | | Risus in hominem tamen cadit. | 470. |
| | | Risus quibus familiaris. | 464. |
| | | Risus quid qualisque affectum actio. | 470. |

Q

| | |
|--------------------------------------|-------|
| Qualitates secundæ. | 221. |
| Quatuor prima inherentia. | 220. |
| Quæ ab aliis capiuntur. | 138. |
| Quæ rem capiunt. | ibid. |
| Quæstionum divisio. | 83. |
| Quid sibi velit rigor. | 48. |
| Quies quid. | 260. |
| Quies quot modis dicatur. | ibid. |
| Quietis utilitas. | 282. |
| Quomodo alii utantur locis. | 117. |
| Quomodo res veniunt ad essentialiam. | 209. |
| Quot sint Angeli. | ibid. |

R

| | | | |
|--|------|--|-------|
| Ratio argumentorum quæ sit. | 77. | Senectus quando incipiat. | 401. |
| Ratio quid et ejus natura. | 353. | Senectutis certum argumentum. | ibid. |
| Ratio Syllogismorum. | 169. | Senectutis indicium certissimum labescere memoriæ. | 347. |
| Rebus singulis meta fixa, certa, et cur. | 242. | Sensibus non omnia metienda. | 405. |
| Reductio enthymematis. | 179. | Sensus an falli possint. | 325. |
| Reductionum ratio. | 176. | Sensus communes sunt animalibus ac plantis. | 311. |
| Reflexa probatio quid. | 76. | Sensus communis quis. | 327. |
| Rei appellatione. | 113. | | Sen- |

S

| | |
|--|-------|
| Salvum nihil privatum, si reipublicæ male sit. | 212. |
| Sapientes casu locum non relinquunt. | 228. |
| Sapientia olim prima quæ sit credita. | 7. |
| Sapientiæ gradus primus. | 15. |
| Satan solus malus. | 293. |
| Sciendi desiderium naturale est. | 191. |
| Scientia quæ vocatur. | 532. |
| Scientiam homines rerum non, sed conjecturas quasdam invenerunt. | 188. |
| Senectus quando incipiat. | 401. |
| Senectutis certum argumentum. | ibid. |
| Senectutis indicium certissimum labescere memoriæ. | 347. |
| Sensibus non omnia metienda. | 405. |
| Sensus an falli possint. | 325. |
| Sensus communes sunt animalibus ac plantis. | 311. |
| Sensus communis quis. | 327. |

| | | | |
|--|--------------|--|-------|
| Sensus exteriores interioresque cui servantur in animalibus. | 326. | Sophista quis. | 79. |
| Sensus falluntur sæpe. | 84. | Sophistæ in suas leges passim peccant. | 53. |
| Sensus qui, ac quot singulis animalibus tributi. | 325. | Sophistæ tria potissimum captionum genera habent. | 80. |
| Sensus quot. | 322. | Sophistica disciplina quid sit. | 45. |
| Sensuum corruptio unde. | 389. | Sophisticæ commoda prava. | 61. |
| Sensuum cognitio qualis. | 311. | Sophisticæ studia. | 61. |
| Sensuum fides prima in verbis cognitione. | 84. | Species novæ ex commistione aliarum procreantur. | 295. |
| Sensuum numerus optimus. | 323. | Species omnia quæ sunt essentialis generis continet, ac insuper addit aliquid. | 123. |
| Sensuum ordo. | ibid. | Species quomodo sint inter se discretæ. | 295. |
| Sensuum usus. | ibid. | Speculationis finis. | 355. |
| Sensoria quæ et quot. | 311. | Spei utilitas. | 508. |
| Senum humor nullo modo similis infantum. | 401. | Spes quid, unde nascatur, in quos cadat, quæ ejus causa. | ibid. |
| Sermo prior sua forma exitit. | 41. | Spiritus ut fuit in loco. | 252. |
| Sermonis præcepta non possunt perpetua esse. | 152. | Spiritum conjunctio. | 256. |
| Servitutis indicia. | 458. | Spiritu duo genera. | 206. |
| Signa significantia. | 142. | Stellarum usus. | 266. |
| Significare aliquid, et aliquo modo. | 144. | Stirpium alimenta. | 303. |
| Significare idem et diversum. | 145. | Stirpium origo. | 308. |
| Significare quid. | 142. | Stoici quales philosophi. | 16. |
| Simonides memoriæ artem docuit. | 39. | Stoici se saxa voluerunt reddere. | 460. |
| Socrates quomodo se nihil scire professus sit. | 15. | Subjectum enuntiationis quid. | 149. |
| Solertia quid. | 227. | Subjectum inherētis quod. | 284. |
| Solis cursus et conversiones quis primus prescuratus sit. | 5. | Substantia an cum accidentibus eadem. | 200. |
| Solis defectum quis primo prædixerit. | ibid. | Substantia sine accidentibus esse nequid, nec contra. | 200. |
| Somni utilitas. | 391. | Superbia belluæ multiformis. | 517. |
| Somnia variarum rerum unde proveniant. | 394. | Superbia quid, quibus insita, undeque nascatur. | 514. |
| Somnifera quæ. | 391. | Superbiæ comites. | 515. |
| Somniorum prænotio. | 396. | Superbus quid expectat potissimum. | 516. |
| Somniorum in quos cadat. | 394. | Superficies unde dicta. | 244. |
| Somnium quid. | ibid. | Suppositio confusa. | 157. |
| Somnium reflectitur interdum. | 395. | Suspicio unde gignatur. | 364. |
| Somno cur infantes magis quam senes dediti. | 391. | Syllogismo quæ functio animi utatur. | 69. |
| Somnus in oculis cur potissimum appareat. | 390. | Syllogismorum vis in quo sit sita. | 170. |
| Somnus longus aut brevis utri. | 392. | Syllogismus quid, et quæ ejus natura. | 169. |
| Somnus quid sit. | 315. et 390. | Symbolum Nicen. quid de Deo statuatur. | 55. |
| Sophismata cur excogitata. | 42. | Synonymæ an sint voces diversarum linguarum idem significantes. | 145. |
| Sophismata in medicina. | 54. | | |
| Sophismatis nihil vel vanius vel stultius. | 37. | | |

T

| | |
|--|------|
| Tactus cur sparsus per universum corpus. | 324. |
| Tac- | |

| | | | |
|---------------------------------------|-------|--|-------|
| Tactus qualis sensus. | 317. | Veri investigatio varias rationes ha- | |
| Tactus terreus. | 335. | bet. | 84. |
| Taurus Asiae Mons quando elici coep- | | Veritas odium parit. | 434. |
| tus. | 147. | Veritas altissimo puteo immersa. | 68. |
| Temere aliquid fieri. | 239. | Veritatis examinandae functio. | ibid. |
| Temporis divisio. | 248. | Veritatis examinandae instrumentum | |
| Temporis et loci differentiae. | 103. | commune. | 142. |
| Temporis partes. | 247. | Vini inventor primus. | 310. |
| Temporis puncta. | 262. | Vires naturales Dei vires sunt. | 236. |
| Tempus partire nequit. | ibid. | Virium conservatio ac reparatio. | 281. |
| Tempus quid. | 246. | Virtutes vulgo acceptae. | 440. |
| Tenebrae in nobis non in rebus. | 190. | Virtutis color. | 514. |
| Terminus naturae et noster. | 210. | Visa pro verioribus habita. | 393. |
| Tesris oculatus unus plus facit quam | | Visus auctor investigationis sapientiae. | 373. |
| auriti decem. | 84. | Visus praestantia et utilitas. | 325. |
| Themistocles memoriae artem discere | | Visus qualis sensus. | 312. |
| noluit, et cur. | 39. | Vitae fons. | 340. |
| Theophrastus brevitatem vitae quere- | | Vitae longitudo ac brevitatis. | 402. |
| barur. | 57. | Vita hac nihil miserius. | 242. |
| Theophrastus in Grecia divinus appel- | | Vita homini praesens cur concessa. | 191. |
| latus. | ibid. | Vita in animantibus quid sit. | 330. |
| Theut matheses edocuit. | 8. | Vita quid sit. | 401. |
| Timotheus musicus ineptos artifices | | Vita rationabilis qualis. | 329. |
| edocuit. | 39. | Viventium species. | 338. |
| Topica quid. | 29. | Vivere sine calore nihil potest. | 222. |
| Totum quid et ejus apposita. | 256. | Voces adversae negantes, privantes | |
| Trinitatis Divinae imago in homine. | 342. | absolutae cum adjecto quae sint. | 145. |
| Triplex mensura in tempore. | 248. | Voces omnes praeter interjectionem | |
| Triplex philosophia. | 14. | significare. | 143. |
| Triticum ultro in Sicilia provenit. | 309. | Voces simplices quae habendae. | 148. |
| Tritici inventrix Ceres. | 310. | Vocum collatio. | 165. |
| Turpe multiplex est. | 509. | Voluntas quid. | 382. |
| | | Voluptates corporis ac animi se exten- | |
| | | dunt invicem. | 467. |
| | | Voluptatum discrimen secundum dig- | |
| | | nitatem. | 466. |
| | | Vox significans quae. | 143. |
| | | Vulcanus e Nilo prognatus. | 4. |
| | | Ultro qualis affectus. | 495. |
| | | Unde nascitur nomen loci. | 118. |
| | | Unde nata est rerum distinctio. | 294. |
| | | Universalitatum genera. | 152. |
| | | Utilitas philosophiae. | 22. |
| | | Zelotypia qualis affectus, unde nas- | |
| | | cat, et apud quos regnet. | 490. |

V

| | | | |
|-----------------------------------|-------|--|--|
| Vacuum abhorret generalis natura. | 212. | | |
| Vacuum quid sit. | 253. | | |
| Vacuum utrum in rerum natura. | ibid. | | |
| Validius ope externa minus eget. | 263. | | |
| Vanitas vitae praesentis. | 243. | | |
| Vanum quid habeatur. | 242. | | |
| Varietas rerum ex viribus. | 200. | | |
| Veneratio quid. | 454. | | |
| Ventorum utilitas. | 280. | | |
| Verbis sensa consignantur. | 193. | | |

F I N I S.

